St Luke's
Wincanton
Somerset
29 Dec 1909.

Dear Sir

I am very sorry for having kept you such a long time. The work being all but exhausted I had great difficulty in getting together all the parts. I am sorry one (p III) is slightly soiled. I hope it goes no deeper than the wrapper. Wishing you all the blessings of the season believe me, dear Sir,

Yrs faithfully

[illegible] Zimmerman

MONUMENTA HISTORICA
CARMELITANA

J. † M.

Fr. EZECHIEL A SS. CORDE JESU

Vic. Gen. Fratrum Discalc. Ord. B. V. Mariæ de Monte Carmelo ejusdemque S. Montis Prior.

Cum Rev. adm. P. BENEDICTUS-MARIA a S. Cruce, sacerdos professus Semi-Provinciæ nostræ Angliæ petierit a Nobis licentiam typis edendi quintum fasciculum, e serie aliorum, cum titulo „*Monumenta historica Carmelitana*" Nos audito judicio duorum e nostris theologis qui prædictum fasciculum quintum perlegerunt, petitam licentiam quantum ad Nos attinet concedimus.

In quorum fidem etc.

Datum Romæ ex Ædibus nostris Generalitiis, die 5 Aprilis 1907.

Fr. EZECHIEL A SS. CORDE JESU
Vic. Gen.

(L. S.)

Fr. BERNARDUS a Nat. B. V. Mariæ
Secretarius.

Editor verba scriptorum antiquorum adlegando ubi tum de sanctitate vel heroica quorumdam Fratrum virtute disserunt, tum de miraculis ab eis patratis agunt, nullatenus intendit se judicium ferre, quin potius ista sicut et alia omnia juxta Urbani VIII decretum S. Ecclesiæ auctoritati submittit.

MONITUM

Codex manuscriptus Musæi Britannici, Add. 16372, pertinebat olim ad scrinium provinciæ Alemanniæ Inferioris, unde cum plurimis aliis in publicis nundinis veno positus laudato Musæo incorporatus est. Constat pergamenis foliis quæ *in octavo* (mm 235 × 150) dicuntur, sexaginta, quorum primum, ceteris ab injuria temporis intactis, ob frequentem usum pene illegibile evasit. Folium vero quod numero quadragesimo signatur, perperam codici insertum est, cum instrumentum sit quo Joannes Roelant filio suo Joanni Carmelitæ e conventu Durensi redditus aliquos sibi a parentibus relictos legat atque transponit. Quo sicut et paucis aliis suo loco indicandis idcirco omisso cetera omnia duxi publici juris esse tandem facienda.

Mirum enim quod neque Joannes-Baptista de Lezana qui sæculo XVII Annales Ordinis nostri conscripsit, neque alii qui de ejusdem historia tractarunt, antiquas illas constitutiones vel etiam acta capitulorum generalium noverint.

Non me utique latet Ordinis librum Romæ adhuc existere, quo Lezana allegato, de capitulorum gestis sæpe sæpius disseruit; sciendum autem librum illum, quem Deo dante suo tempore editurus sum, anno 1362, scilicet post capitulum Trevirense (ultimum in codice nostro) inchoatum et in eo de prioribus capitulis non constitutiones sed nomina tantum officialium provinciarumque taxationes esse ab oblivione præservata. Quo fit ut liber ille et codex noster sese invicem compleant, quod enim in uno desideratur in altero insertum invenitur.

Quamvis constitutiones mox edendæ aliis omnibus quæ ad nos usque venerunt antiquiores sint, non sunt tamen ut omnibus priores habendæ. Et re quidem vera, cum regula a B. Alberto circa annum 1210 tradita perbrevis sit et de gubernio ordinis aliisque bene multis scitu aliunde necessariis omnino taceat, liquet, patribus illis qui medio sæculo tertio decimo, Carmelo relicto, Occidentem versus migrarunt, nihil antiquius fuisse quam alia via ordinis saluti, unitati ac prosperitati providere et consulere. Quod per plurima capitula generalia quæ ab anno 1247 sat regulariter tertio quoque anno habita sunt, jure creditur factum. Declarationes vero, institutiones aliaque ejusmodi inibi elaborata, in unum paulatim redacta, demptis aliis, aliis additis, in codicem constitutionum merito coaluerunt.

Si quis autem curiosius indagare velit quænam

fuerit radix et origo nostrarum constitutionum, dicam præcipua statuta ex constitutionibus ceterorum ordinum mendicantium, Prædicatorum præsertim, mutuata fuisse. Maximam enim videre est similitudinem inter nostras constitutiones modumque gubernandi in eis descriptum et ejusdem naturæ ordinationes apud Fratres Prædicatores. Ceterum caveat lector ne juxta moderna instituta de antiquis judicet, cum omnia quæ v. g. ad rem monetariam, bona fratrum personalia aliaque similia pertinent, nullo modo ex principiis juris Tridentini sed ex regulis juris feodalis judicanda sint ac interpretanda.

Codex noster ab initio usque ad acta capituli A. D. 1351 celebrati, eadem manu conscriptus est, unde recte colligitur hoc eodem anno inchoatus. Plures dein scriptores operi manum admoverunt, sed tum primus, tum posteriores, plus æquo se in scribendo negligenter habuerunt; frequenter enim verba omissa, alia repetita, subjecta cum verbis et adjectiva nomina cum substantivis nullatenus concordantia invenies. Talia, ubi error manifestus apparuit, corrigere non dubitavi; quæ vero addenda censui uncinis inclusi. Neque orthographiam sequendam duxi. Sæculo quarto decimo sicut et præcedenti et subsequentibus scribebatur *eciam, amicicia, ale,* &c. ubi nunc temporis *etiam, amicitia, alæ* &c. legimus. Quem recentiorem scribendi modum amplexus sum, cum nulla adesset ratio cur me hac in re scriptori

conformarem. Nomina autem propria et dictiones rariores (v. g. *rauba, beyanus*) quæ in exemplari meo occurrunt, fidelissime imitatus sum.

Aliquibus in locis tanta ob scriptorum incuriam prævalet confusio ut, non sequela verborum, sed sensus constitutionum consulendus sit. Denique ne lector nimium fatigetur, longiores rubricas arabicis numeris, qui in textu nostro non reperiuntur, distinguendas duxi.

MONUMENTA HISTORICA CARMELITANA

(Fol. 1 a) **Quæstiones in receptione novitii.**

Hæ sunt quæstiones quæ quæri solent a novitio antequam recipiatur, sed non omnes ab omnibus. Quædam a juvenibus scolaribus, quæ non ab adultis ; quædam ab adultis quæ non a sacerdotibus ; quædam ab ignotis quæ non a notis ; quædam a clericis quæ non a laicis. Quam distinctionem discernat discretus recipiens. In primis utrum sit liberæ conditionis. Secundo utrum sit legitimus. Tertio utrum........ (1) alicui morbo vel sit conjugatus. Quarto utrum debitis notabilibus sit obligatus. Quinto utrum alicujus religionis mendicantium sit professus. Sexto utrum habeat membrum aliquod mutilatum. Septimo utrum usum vel sensum alicujus membri amiserit. Octavo utrum deformitatem apparentem in corpore habeat. Nono utrum de aliqua hæresi vel fide catholica sit suspectus. Decimo utrum fuerit a nostro ordine pro aliquo vitio expulsus, vel etiam ab aliquo alio ordine, quantumcumque laxiori, scienter ejectus. Undecimo utrum aliquam infirmitatem celaverit. Duodecimo utrum habeat aliquod impedimentum receptionis ordinis sacri. Tertio decimo utrum habuerit annum

(1) Ob injuriam temporis multa in hac prima pagina illegibilia evaserunt quæ..... signavi. Cf. infra Rubr. XIII ubi hæc eadem plenius habentur.

XIV, alias anno transacto profiteri non posset. Quarto decimo (utrum se de) implicationibus sæculi expedierit. Quinto decimo utrum.... et paupertatem ordinis velit sustinere. Sexto decimo utrum proponat sibi tria principalia ordinis..... proponat vivere in obedientia, in castitate et sine proprio....

Respondeant fratres : Amen. Tunc recipiendus extracto camisio....... manus jungat.

. . . . (Vir-)ginem Mariam peto recipi ad . . . . et vitam meam in melius emendare valeam. Quo facto recipiens. . . . . ad suas recipit manus. Dicat : Ego auctoritate mihi commissa recipio te ad confraternitatem nostri ordinis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et respondeant circumstantes : Amen. Isto expedito statim assignetur sibi dies indutionis et deputetur sibi aliquis frater discretus et honestus qui receptum informet de . . . . , . et constitutionibus ordinis.

De indutione novitiorum. (Fol. 1 a - 1 b)

(Omittitur hic cum iterum Rubrica XIII ponatur)

Qualiter novitius professetur.

Tempus probationis statuitur Rubrica XIV per integrum annum (Fol. 2a) computando a Kalendis et non a festis mobilibus, et præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna suspensionis ne aliquis ad professionem recipiatur infra ætatem XIV annorum complete, et accipitur ex Sexto, tit. de regularibus, c. Non solum, et c. Constitutionem, ubi sic dicitur : « Vobis religiosis mendicantibus de fratrum nostrorum consilio, in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus,

quemquam ad professionem vestri ordinis seu ad renuntiationem sæculi faciendam recipere valeatis, nec constitutum infra hujusmodi annum aliquatenus impedire, quominus ipse ad aliam religionem quam maluerit transeat. Alias talis professio quoad illum ordinem est irrita et professantes a professione quorumlibet ipso facto sunt suspensi, et graviori pœna sui ordinis puniendi.(1) » Et ideo antequam tempus professionis veniat quæratur diligenter, si professandus sit XIV annorum complete ; si sit, tunc cum tempus professionis advenerit novitius confiteatur etc. sicut in receptione ponitur, fiant. Et vestitus tunica sine scapulari et cappa ad capitulum ducatur. Et fiat sicut in receptione est signatum, et eædem quæstiones quærantur quæ supra. Qui, si impedimentum professandi non patiatur, flexis genibus ponat manus inter manus præsidentis et dicat : Ego frater

(Cetera ut infra Rubrica XIV).

(Fol. 2 b) **Benedictio caseorum et ovorum.**

Dignare Domine omnipotens Deus bene ✝ dicere et sanctificare hanc creaturam casei, quam ex adipe animalium producere dignatus es, ut quicumque ex populis tuis fidelibus de ea comederint, omni benedictione cœlesti et gratia tua saturati repleantur in bonis. Per.

Benedictio ovorum.

Oremus. Subveniat, Domine, quæsumus tuæ benedictionis gratia huic ovorum creaturæ, de qua pullos gallinarum dignatus es procreare, ut cibus salubris fiat tuis fidelibus in tuarum gratiarum actione sumentibus. Per.

(1) Non omnino concordat cum textu canonis.

Benedictio laridi.

Oremus. Deus qui per resurrectionem Filii tui paschalia nobis gaudia contulisti, auge et sanctifica collata nobis hæc dona tuæ largitatis, ut mentes nostræ pariter spiritualibus repleantur deliciis. Per eundem.

Benedictio carnium.

Oremus. Domine, universæ carnis conditor, qui Noe et filiis suis de mundis et immundis animalibus præcepta dedisti, quique sicut olera herbarum humano generi quadrupedia munda edere permisisti, et in nocte illa qua agnum in Ægypto Moysi et populo in vigilia Paschæ comedere præcipisti (Fol. 3a) in figura agni Domini nostri Jesu Christi, cujus sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti, et illa nocte omne primogenitum in Ægypto percutere præcepisti, servans populum tuum agni sanguine prænotatum, dignare Domine bene ✝ dicere et sanctificare has ovium mundarum carnes, ut quicumque ex populis tuis fidelibus de eis comederint, omni bene ✝ dictione cœlesti et gratia tua in bonis saturati repleantur. Per Dominum.

Benedictio vini in die Joannis Evangelistæ.

Antiphona. In ferventis olei dolium missus Joannes Apostolus divina se protegente gratia illæsus exivit. ℣. Cibavit illum dominus pane vitæ et intellectus. ℟. Et aqua sapientiæ salutaris potavit eum. ℣. Non nobis, Domine, non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Collecta. Omnipotens sempiterne Deus qui dilectum discipulum tuum beatum Joannem illæsum de ardore ferventis olei liberasti, et eum mortiferum venenum sine periculo corporis sui portare fe-

cisti, tuam suppliciter obsecramus clementiam, quatenus pro tui nominis honore et ipsius apostoli tui dilectione et intercessione hunc potum tuæ pietatis dextera bene ✝ dicere digneris, ut omnes, qui de ipso gustaverint, corporis medelam et animæ salutem percipere mereantur. Per Dominum.

In Cœna Domini Mandatum.

BENEDICTIONES.

Adjutorium nostrum in nomine Domini. Sit Nomen Domini benedictum. Dominus vobiscum. Oremus.

Benedic ✝ Domine creaturam istam panis sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes gustantes ex eo accipiant tam corporis quam animæ sanitatem. In nomine Patris ✝ et Filii ✝ et Spiritus Sancti ✝.

Oremus. Benedic ✝ Domine creaturam istam panis ut sit remedium salutare humano generi et præsta per invocationem nominis tui ut quicumque ex eo sumpserint, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Et benedictio Dei omnipotentis, Patris ✝ et Filii ✝ et Spiritus Sancti ✝ descendat super hanc creaturam ad sumendam sanitatem corporis et animæ. Amen.

Benedictio vini.

Domine Jesu Christe qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti, quique vitis es vera, multiplica super nos misericordiam tuam et bene ✝ dicere et sanctificare digneris hanc creaturam vini, ut omnes qui ex eo gustaverint, sanitatem mentis et corporis accipiant, ac vitis æternæ palmites esse mereantur. Qui vivis etc. Benedictio Dei omnipotentis etc.

Ad mandatum post lotionem in Cœna Domini.

Dicatur Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater noster. Et ne nos. ℣. Ostende nobis Domine. ℣. Suscepimus Deus misericordiam tuam. ℣. Tu mandasti. ℣. Tu lavasti pedes discipulorum tuorum. ℟. Opera manuum tuarum ne despicias. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Adesto quæsumus Domine, officiis nostræ servitutis, et quia tu pedes lavare dignatus es tuis discipulis, opera manuum tuarum quæ nobis retinenda (Fol. 3 b) mandasti: præsta ut sicut hic exteriora abluuntur inquinamenta, sic a Te omnium nostrorum laventur peccata. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.(1)

Cum fratres sunt exituri (2)

dicatur: Ad te levavi oculos. Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater noster. Et ne nos. ℣. Salvos fac servos tuos. ℣. Esto eis domine turris fortitudinis. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. Domine exaudi. Dominus vobiscum.

Collecta. Adesto Domine supplicationibus nostris et itinera et actus famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes hujus vitæ varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

Cum fratres revertuntur

dicatur: Kyrie el. ut supra. Pater noster. Et ne nos. ℣. Salvos fac. ℣. Convertere Domine usquequo. Domine exaudi. Dominus vobiscum.

Oremus. Omnipotens, sempiterne Deus, miserere his fa-

(1) Cf. Ordinale, Fol. 46 b. sqq.
(2) Cf. Ordinale, Rubr. XLVII.

mulis tuis et quidque in eis in via subripuit visus, aut auditus, aut otiosi sermonis, aut malæ rei, totum in ineffabili pietate tua indulgeas et abstergas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad recipiendum confratrem vel sororem. (1)

Ps. Deus misereatur nostri. Gloria Patri. ℣. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio. Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater noster. Et ne nos. ℣. Salvum fac servum tuum, vel, : famulam tuam. ℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. Domine exaudi. Dominus vobiscum.

Suscipiat te Deus in numero filiorum suorum et nos licet indigni suscipimus te in orationibus nostris.

Concedat tibi Deus per Unigenitum suum mediatorem Dei et hominum, tempus bene vivendi, locum bene agendi et instantiam perseverandi, et ad æternæ vitæ gloriam perveniendi. Et sicut nos hodie fraterna caritas spiritualiter jungit in terris, ita divina pietas nos cum sanctis suis conjungere dignetur in cœlis. Per Christum.

(1) Cf. Ordinale, Rubrica XLVIII.

CONFIRMATIO DECLARATIONIS,

correctionis et mitigationis Regulæ per Inncecentium IV,

Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis priori et fratribus eremitis de Monte Carmeli Salutem et Apostolicam benedictionem. Quæ honorem

(et reliqua ut in Bullario Carmelitano, t. I. P. 8.)

(Fol. 4a.) **Incipit regula fratrum ordinis beatæ Mariæ de Carmelo.**

Albertus Dei gratia Jherosolimitanæ ecclesiæ vocatus patriarcha, dilectis in Christo filiis B. et cæteris eremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem et Sancti Spiritus benedictionem.

Multifarie multisque modis sancti Patres instituerunt qualiter quisque in quocumque ordine fuerit, vel quemcumque modum vitæ religiosæ elegerit, in obsequio Jesu Christi vivere debeat, et eidem fideliter de corde puro et bona conscientia deservire. Verum quia requiritis a nobis ut juxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam quam tenere in posterum debeatis.

De Priore habendo et tribus votis sibi promittendis.

Illud in primis statuimus ut unum ex vobis habeatis pri-

orem qui ex unanimi omnium assensu vel majoris et sanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, et promissam studeat operis veritate servare, cum castitate et abdicatione proprietatis.

De receptione locorum.

Loca autem habere poteritis in eremis, vel ubi vobis donata fuerint, ad vestræ religionis observantiam apta et commoda, secundum quod priori et fratribus videbitur expedire.

De cellis fratrum.

Præterea juxta situm loci quem inhabitare proposueritis singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem prioris ipsius et de assensu aliorum fratrum vel sanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

De communi refectorio et lectione.

(Fol. 4b.) Ita tamen ut in communi refectorio ea quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ scripturæ audiendo ubi commode poterit observari sumatis. Nec liceat alicui fratrum nisi de licentia prioris qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula prioris sit juxta introitum loci ut venientibus ad eumdem locum primus occurrat, et de arbitrio et dispositione ipsius postmodum quæ agenda sunt cuncta procedant. Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes et in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.

De horis Canonicis.

Hi qui horas canonicas cum clericis dicere norunt eas di-

cant secundum constitutionem sanctorum Patrum et Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non noverint viginti quinque vicibus Pater noster dicant in nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis et solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus matutinis. In aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio, præter officia vespertina, in quibus quindecies ipsam dicere debeatis.

De non habendo proprium.

Nullus fratrum aliquid esse sibi proprium dicat : sed sint vobis omnia communia, et distribuatur unicuique per manum prioris, id est per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis ætatibus et necessitatibus singulorum.

Quod licet nos habere in communi.

Asinos sive mulos prout vestra expostulaverit necessitas, vobis habere liceat, et aliquot animalium sive volatilium (ad) nutrimentum.

De Oratorio et cultu divino.

Oratorium prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, ubi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commode fieri potest.

De capitulo et correctione.

Dominicis quoque diebus vel aliis ubi opus fuerit, de custodia Ordinis et animarum salute tractetis : ubi etiam excessus

et culpæ Fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate media corrigantur.

De jejunio Fratrum.

Jejunium singulis diebus, exceptis dominicis, observetis, a festo Exaltationis sanctæ Crucis usque ad diem Resurrectionis Dominicæ, nisi infirmitas vel debilitas corporis aut alia justa causa jejunium solvi suadeat, quia necessitas non habet legem.

De abstinentia carnium.

Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domus vestras sumere (Fol. 5a) poteritis pulmenta cocta cum carnibus, sed et carnibus supra mare vesci licebit.

Exhortationes et admonitiones.

Quia vero tentatio est vita hominis super terram, et omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur, adversarius quoque vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, omni sollicitudine induite armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi castitatis cingulo, muniendum est pectus cogitationibus sanctis, scriptum est enim Cogitatio sancta servabit te. Induenda est lorica justitiæ, ut Dominum Deum vestrum ex toto corde, et ex tota anima et tota virtute diligatis, et proximum vestrum tamquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : sine Fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum

suum a peccatis eorum. Gladius autem spiritus quod est Verbum Dei, abundanter habitet in ore, et in cordibus vestris : et quæcumque vobis agenda sunt in Verbo Domini fiant.

De opere Fratrum et labore.

Faciendum est vobis aliquid operis ut semper vos diabolus inveniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis in hoc beati Pauli apostoli magisterium pariter et exemplum, in cujus ore Christus loquebatur, qui positus est et datus a Deo prædicator et doctor gentium, in fide et veritate : quem si secuti fueritis non poteritis oberrare. In labore, inquit, et fatigatione fuimus inter vos, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, non quasi non nos habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes. His autem qui ejusmodi sunt denuntiamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Hæc via bona et sancta, ambulate in ea.

De silentio Fratrum.

Commendat autem Apostolus silentium cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum propheta testatur, Cultus justitiæ silentium est. Et rursus : In silentio et spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus ut dicto Completorio silentium teneatis usque ad Primam dictam sequentis diei. Alio vero tempore, licet silentii non habeatur observantia tanta, diligentius tamen a multiloquio caveatur. Quoniam sicut scriptum est et non minus experientia docet : In multiloquio

non deerit peccatum. Et qui inconsideratus (Fol. 5b) est ad loquendum, sentiet mala. Item qui multis utitur verbis, lædit animam suam. Et Dominus in Evangelio: De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, et frænos rectos ori suo, ne forte labatur et cadat in lingua, et insanabilis sit casus ejus ad mortem, custodiens cum propheta vias suas, ut non delinquat in lingua sua, et silentium in quo cultus justitiæ est, diligenter et caute studeat observare.

Exhortatio Prioris ad humilitatem.

Tu autem, Frater B. et quicumque fuerit post te Prior institutus, illud semper habeatis in mente et observetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio : Quicumque vult inter vos major fieri, erit minister vester, et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

Exhortatio Fratrum ut priorem suum humiliter honorent.

Vos quoque cæteri fratres priorem vestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit illum super capita vestra ; et Ecclesiarum præpositis ait : Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit, ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia mereamini æternæ vitæ mercedem.

Epilogus.

Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundum quam vivere debeatis. Si quis autem supererogaverit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Actum Lugduni Anno Domini M. CC. XLVII. Domini papæ Innocentii quarti anno quinto Kalendis Septembris. [1]

Nulli ergo hominum omnino liceat. etc. Datum Lugduni Kalendis Octobris pontificatus nostri Anno quinto.

Incipiunt casus episcopales et summi pontificis.

VERSUS.

Pontificem quærat is qui succenderit ignem,
Sacrilegus, patrum percussor vel sodomita.
Qui facit incestum, deflorans vel homicida,
Et voti fractor, perjurus, sortilegusque.

CASUS PAPALES.

Per papam clericum feriens, falsarius, urens,
Solvitur et quisquis audet celebrare ligatus,
Ecclesiæ fractor et qui communicat illis.

Hos versus tamen sane intelligas. Ignem domorum vel promptuariorum. Sacrilegus, i. e. qui tollit sacrum de sacro, vel vasa consecrata, vel etiam vestes consecratas. Patrum percussor, i. e. patris vel matris carnalis vel etiam spiritualis. Sodomita, i. e. concubitores virorum vel brutorum. Qui facit incestum, i. e. concubitum cum consanguinea vel affini. Deflorans, i. e. virginem scilicet vi oppressam vel raptam, vel velatam monialem. Homicida i. e. quocumque modo præterquam justum judicium fuerit perpetratum. Et voti fractor scil. solemnis non privati. (Fol. 6 a). Perjurus scil. coram judicio sciens et cum scandalo magno commisso. Sortilegus i. e. assumens sibi officium pitonissæ vel faciens enormes incantationes.

(1) Nota tam in Bullario quam in multis aliis libris bullam perperam anno 1248 datam dici.

CASUS PAPALES.

Per papam clericum feriens, i. e. non ex suo officio sed maligne ferientem, i. e. portantem characterem, nec vim vi repellendo sed præmeditate usque ad effusionem sanguinis. Falsarius. Non quicumque, sed Bullæ papalis. Urens, i. e. incendiarius ecclesiarum. Celebrans ligatus, i. e. excommunicatus vel suspensus. Ecclesiæ fractor violenter et qui communicat illi scienter, præter uxorem, pueros et familiam pretio alligatam.

Incipiunt Constitutiones Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

In margine manu s. XVI: Factæ in capitulo generali Barcinonæ anno 1324 sub R. P. M. Joanne de Alerio priore generali.

IN PRIMIS QUALITER RESPONDENDUM SIT QUÆRENTIBUS QUALITER ORDO NOSTER SUMPSERIT EXORDIUM ET QUARE DICAMUR FRATRES ORDINIS BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI. RUBRICA PRIMA. (1)

Cum quidam fratres in ordine nostro juniores quærentibus a quo, quando vel quomodo ordo noster sumpserit exordium, vel quare dicamur fratres ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, juxta rei veritatem nesciant satisfacere, pro eis in scriptis formam talibus relinquentes volumus respondere:

Dicimus autem veritati testimonium perhibentes, quod a tempore Eliæ et Elisei prophetarum montem Carmeli devote inhabitantium, Sancti patres tam novi quam veteris testamenti ejusdem montis solitudinis pro contemplatione cœlestium veri amatores, ibidem juxta fontem Eliæ in sancta pœnitentia, sanctis successibus, incessanter continuata sunt proculdubio laudabiliter conversati. Quorum successores post Incarnationem Christi ibidem ecclesiam in honore beatæ Mariæ Virginis construxerunt, et ipsius titulum elegerunt, et ob hoc deinceps Fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmeli per apostolica privilegia sunt vocati. Quos Albertus Jherosolimitanæ ecclesiæ patriarcha in unum collegium congregavit,

(1) Hoc primum caput per varios auctores inter opera Petri Raimundi vel Johannis Balistarii Generalium enumeratur, sed est utroque antiquius.

scribens eis regulam ante Concilium lateranense, postea a summis pontificibus approbatam. Quam regulam sub bullarum suarum testimonio devotissime confirmarunt. In cujus professione nos eorum sequaces, usque in hodiernum diem in diversis mundi partibus Domino famulamur.

De receptione locorum et clausuris et ædificiis eorumdem. Rubrica 2nda.

1. In principio statuimus, quod sint in ordine nostro quindecim provinciæ, quarum prima sit Terra Sancta, secunda Sicilia, tertia Anglia, quarta Provincia Narbonensis, quinta Thuscia, sexta Francia, septima Alemania inferior, octava Lumbardia, nona Aquitania, decima Hispania, undecima Hibernia, duodecima Alemania superior, tertia decima Apulea, quarta decima provincia Provinciæ, quinta decima Scotia.

2. Item statuimus quod nullus accipiat locum nisi de licentia prioris generalis vel ordinatione et assensu (Fol. 6b) capituli provincialis aut sanioris partis ejusdem, sub pœna gravioris culpæ, secundum exigentiam delinquentis; quod si mora traheret periculum, per priorem provincialem de consilio et assensu trium vel quatuor priorum vel lectorum idem concedimus ordinari. 3. Tales autem ad hoc præcipue deputentur, qui opinionis bonæ et discretionis providæ habeantur, nec ille qui fratribus sic missis præfuerit prioris, sed procuratoris tantum nomine censeatur. 4. Nec ratione officii procuratoris sit de gremio provincialis capituli, nec sint ibi fratres quaternarium numerum excedentes, qui si deficiant in aliquo vicino conventu per priorem provincialem eis assignato eligere et eligi valeant cum ad provinciale capitulum fuerit eundum.

5. Item statuimus quod quicumque intraverit terminos alterius conventus vel provinciæ ad procurandum et aliqua

procuraverit in præjudicium aliorum, procurata restituat, et loco et voce careat eo ipso, et prior mittens vel scienter permittens ab officio per superiorem reponatur, et pœna gravioris culpæ puniatur per quinque dies.

6. Item statuimus et mandamus quod quicumque frater terminos vel terminum alterius fratris ejusdem conventus contra ordinationem prioris ad procurandum intraverit, ultra ibidem procurata tantum de rebus personalibus per priorem localem conventus refundere compellatur, et nihilominus pœna gravioris culpæ per quinque dies puniatur.

7. Item prohibemus sub pœna gravioris culpæ per XL dies infligendæ, ne aliquis prior localis vel procurator absque inevitabili necessitate, sine licentia prioris generalis vel provincialis, indebitet locum ultra summam pecuniæ taxatam ab eisdem.

8. Item statuimus quod nullus prior vendat, alienet seu commutet annuos census aut possessiones quascumque ordini acquisitas, absque consensu prioris generalis, vel capituli provincialis, sub pœna gravioris culpæ per XL dies, vel carceris pro delicti qualitate et quantitate, et loco et voce careat ipso facto.

9. Item nullus prior res communitatis notabiles, etiam consentiente conventu, fratri cuicumque aut sæculari distribuat, absque licentia prioris provincialis, vel capituli provincialis, sub pœna absolutionis ab officio et gravioris culpæ per XL dies.

10. Item de compositionibus, pactionibus perpetuis, et quibuscumque obligationibus gravibus et periculosis ordinamus.

11. Item omnia loca nostra honesta clausura muniantur antequam aliquod opus notabile ibidem inchoetur, sub pœna gravioris culpæ per XX dies transgressoribus infligenda, nisi

aliqua summa pecuniæ pro aliquo certo opere vel fabrica tribuatur.

12. In qualibet autem provincia tres fratres, qui habeant industriam ordinandi opera facienda, per priorem provincialem et diffinitores capituli provincialis ordinentur, de quorum fratrum consilio et assensu nova loca vel antiqua non ordinata et opera quæcumque notabilia ordinentur et ædificia sumptuosa perpetua inchoentur et ædificentur.

13. Nullum tamen opus notabile et sumptuosum (Fol. 7a) inchoetur per quemcumque, nisi de licentia prioris generalis vel provincialis et de ordinatione et assensu trium fratrum prædictorum. Priores autem contrarium facientes a suo officio absolventur et pœna gravioris culpæ per XL dies puniantur. Si autem vicarius vel locum prioris tenens vel quicumque alius frater in contrarium fecerit eidem pœnæ sine dispensatione subjacebit.

14. Prioribus autem provincialibus vel eorum vicariis districte præcipiendo mandamus, quod quando contigerit novas domus vel alias in suis provinciis existentes aliquorum quæstionibus molestari, et propter paupertatem suam proprio adjutorio destitui, de aliis domibus suæ provinciæ exhiberi faciant domibus hujusmodi subsidium opportunum, quousque pacis obtineant complementum, sub pœna inobedientium et rebellium tam prioribus provincialibus quam quibuscumque aliis impedientibus infligenda.

15. Inhibemus autem in virtute obedientiæ salutaris, quod nullus prior localis vel ejus vicarius seu quicumque alius causam vel quæstionem incipiat sine licentia et assensu sui prioris provincialis contra principes vel prælatos vel quoscumque alios, nisi sine periculo et gravi damno differri non valeret, ut si forte esset appellatio facienda vel aliud inchoandum ad causam pertinens quod differri non posset ullo modo. Tunc

de assensu conventus agere possit quæ agenda sunt, ita tamen quod statim priori provinciali facta denuntiet. De mandato ipsius in consequentibus processurus, sub pœna gravioris culpæ secundum qualitatem et quantitatem delicti transgressoribus infligenda.

RUBR. III. DE DIVINO OFFICIO ET MODO PULSANDI.

1. Statuimus quod æquali pulsatione bis pulsetur ad vesperas et ad matutinum, nisi in totis duplicibus, in quibus trina pulsatio longa fiat. Ad cæteras autem horas primo fiet pulsatio 5 vel 6 ictibus et post oportunum intervallum pulsatio tota. Item in diebus 9 lectionum et supra, pulsetur ad Te Deum, nisi causa rationabili dimittatur.

2. Qui competenti festinatione non venerit ad horas, ad refectorium, ad sermonem, ad scholasticam collationem, vel lectionem, et ad capitulum vel alia aliqua pulsatione vocatus, pœna mediæ culpæ illum censuimus puniendum. Si autem in consuetudinem duxerit una die pœna gravioris culpæ puniatur et unam in capitulo accipiat disciplinam. Si vero in contemptum fecit, pœna inobedientis puniatur.

3. Post Completorium facto intervallo unius nocturni, pulsatio fiat cum campanella 6 vel 7 ictibus, ad quam omnes fratres qui Completorio conventuali non interfuerint, ubicumque fuerint infra septa loci, statim dicant Completorium, sub pœna gravis culpæ, exceptis illis quos ita tarde venisse contigerit, quod hæc circa eos non possit competenter observari, et ex tunc sub eadem pœna silenter fiant universa. 4. Item in æstate ante dormitionem post prandium, et etiam post dormitionem temporibus jejunii, fiat pulsatio cum campanella prædicto modo.

5. Audito primo signo parent se fratres, et secundo signo ad ecclesiam conveniant, ad omnes horas (Fol. 7 b) tam

diei quam noctis, et pro posse suo humiliter et devote et uniformiter divinum officium compleant, secundum usum Dominici sepulchri.

6. Nullus in choro aliud vel aliter cantare præsumat, quam communis usus ordinis approbat, nec motetos nec vpaturam (1), nec aliquem cantum magis ad lasciviam quam devotionem moventem, sub pœna gravioris culpæ per unum diem. 7. Ordinale autem jam dudum per Magistrum Sibertum ordinatum et correctum et per quatuor præcedentia nostri Ordinis generalia capitula (2) confirmatum unanimi sensu approbamus et per totum ordinem ab omnibus præcipimus observari. Hoc addito quod dicatur ad omnes horas canonicas immediate ante *Fidelium* Salve Regina cum ℣. *Ora pro nobis*, et collecta *Protege Domine*, et finiatur *Per Christum Dom. Nostrum* sine nota. Dempto Completorio ubi dicatur cum nota.

8. Et quod fiat de Domina in adventu semel in septimana, et dicatur officium de Annuntiatione, excepta ultima septimana propter Laudes proprias feriarum, et quod in omni missa solemni de Domina omni tempore dicatur *Gloria in excelsis*. Et hæc in suis locis in prædicto Ordinali locentur.

9. Prioribus quoque provincialibus sub pœna depositionis ab officio districte mandamus ut dictum Ordinale per conventus suarum provinciarum multiplicare faciant et ad ejus observationem suos subditos cogant efficaciter et inducant. Et prior generalis priorem provincialem Angliæ ab officio provincialatus teneatur absolvere, si per ejus negligentiam

(1) Sic, nescio quid sit.

(2) Palæonydorus notat Ordinale a Magistro Siberto de Beka correctum ex ordinatione capituli Coloniensis A.D. 1315 per totum Ordinem diffusum esse; sed per hunc locum liquet ipsum jam antea scil. Londini A. D. 1312 approbatum esse. Totum Ordinale quamprimum publici juris facturus sum.

steterit quod non observetur. Addentes etiam quod quicumque huic constitutioni contradixerit seu obviaverit, a nullo nisi a priore generali de ista inobedientia possit absolvi.

10. Concedimus tamen et permittimus quod qui devotionem habuerint octavam de Corpore Christi cum pleno officio tenere possint. Et de festis Sanctorum quorum corpora in conventibus nostri Ordinis requiescunt, similiter et de Sanctis quorum nomina in Canone missæ continentur et de Sta. Apollonia et de Sta. Barbara, necnon et de sanctis quorum in villa ubi fratres sunt vel morantur solemne festum celebratur, et de illis de quibus infra proprium conventum altare habemus, juxta eorum devotionem facere valeant festum 9 lect. vel magis. 11. De aliis autem sanctis qui in prædicto Ordinali non continentur non liceat alicui conventui vel fratri plenum officium facere, sive 3 lect. vel 9 lect. nec de sanctis 3 lect. in ipso ordinali contentis valeant facere 9 lect.

12. Item statuimus quod in quolibet conventu totius Ordinis missa de beata Virgine singulis diebus ante Primam cum nota celebretur.

13. Item ordinamus quod priores provinciales compellant priores locales ut in conventibus suis scriptores teneant ad scribendum libros ecclesiasticos ubi desunt, ut prædictum ordinale valeat observari et conventus qui habent exemplaria teneantur per pecias [1] non habentibus communicare. Item statuimus quod priores in conventibus suis corrigant vel corrigi faciant ecclesiasticos libros qui indigent correctione sub pœna gravioris culpæ per X dies.

14. Priores autem locales et subpriores fratres suos frequenter admoneant quod ordinate se habeant in choro et (Fol. 8 a) extra, et uniformiter inclinent, ut manus cancellatæ genua possint contingere, et intrando et exeundo chorum, ca-

(1) i. e. per partes (*par pièces*).

pitulum et refectorium nudatis capitibus inclinationem faciant reverenter, sub pœna mediæ culpæ. Inclinent etiam se eodem modo quotiens nomen Jesu Christi et nomen Virginis Mariæ in officiis nominantur.

15. Moneant etiam fratres suos ut discooperto capite cum omni reverentia et sollicitudine circa altare studeant ministrare, sub pœna mediæ culpæ.

16. In omnibus conventibus tabula communis habeatur per quam singuli fratres sciant ad quæ officia deputantur.

17.Qui vero in officio sibi per tabulam assignato negligens repertus fuerit, in proximo capitulo post Tertiam disciplinam recipiat, assueti autem pœna gravis culpæ puniantur. Qui vero aliunde occupatus fuerit infra septa loci aliquem fratrem qui vices ejus suppleat humili deprecatione satagat invenire, sub pœna gravis culpæ. 18. Ostium chori exterius clausum teneatur, nisi pro necessitate et oratorium visitantium devotione aperiatur.

Rubr. IV. De jejunio fratrum et comestione.

1. Statuimus ut fratres nostri jejunent in cibis quadragesimalibus a Dominica Quinquagesimæ usque ad diem Dominicæ resurrectionis, diebus Dominicis exclusis, et in vigiliis Nativitatis Domini, Ascensionis, Pentecostes, * Omnium Sanctorum, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Purificationis beatæ Mariæ, et omnium apostolorum, præterquam sancti Joannis evangelistæ et SS. Philippi et Jacobi ; ac in quarta et sexta feria et sabbato quatuor temporum, et in vigiliis sancti Joannis Baptistæ et sancti Laurentii, necnon per totum Adventum, sub pœna gravis culpæ. 2. Priores vero provinciales priores locales hujus fractionem jejunii seu comestionem carnium in Adventu includendo primam Dominicam [et] ipsius directe vel indirecte permittentes, ab of-

ficiis absolvere teneantur, nisi evidenti et manifesta necessitate ipsos cum quibus dispensaverint, cognoverint indigere. 3. Poterunt tamen fratres itinerantes in Adventu et IV temporibus jejunantes in comestionibus scil. ovorum et lacticiniorum se habere secundum varias consuetudines regionum. 4. Jejunent etiam fratres in Letania majori, * scil. in festo S. Marci evangelistæ, et 2 nda et 3 tia feria ante Ascensionem Domini, et in omnibus aliis sextis feriis per annum extra Quadragesimam et Adventum, quibus poterunt comedere ova et lacticinia, si priori videbitur expedire, excepta sexta feria hebdomadæ paschæ cujus jejunium relinquimus in arbitrio fratrum. * 5. Alio vero tempore extra domos nostras comedere poterunt fratres pulmenta cocta cum carnibus, sed nec carnes integras, nec tricas, nec sanguinem, nec intestina. 6. Nullus fratrum comedat carnes in domibus nostris, nec in infirmatorio, nec extra infirmatorium, sine licentia speciali sui superioris. 7. Nec volumus quod aliquis superior possit licentiare subditos suos ad comedendum carnes quarta feria, nec bis in die (Fol. 8b) quocumque, sine evidenti et manifesta necessitate ; quod si fecerit prior provincialis talem superiorem a suo officio absolvere teneatur.

marg. manu s. XV : si non in dominica venerit.

* Marg : excepta illa 6. f quæ est infra hebdom. pasch. cujus jejun. in arbitr. fratr. relinquimus.

8. Si quis vero contra formam religionis scil. Regulæ et Constitutionum carnes in domibus nostris comederit, pœna gravioris culpæ per duos dies puniatur. Qui autem extra domos nostras absque inevitabili necessitate, aut infirmitate, aut notabili debilitate, quæ evidenter appareat, carnes comedisse convincatur, pro qualibet comestione pœnam gravioris culpæ sustineat per quinque dies, et hanc constitutionem volumus et præcipimus per priores provinciales et locales quoad omnes fratres firmiter observari.

9. Item statuimus quod priores provinciales, locales, magistri, lectores, et omnes alii fratres teneantur comedere cum

conventu scil. in refectorio, ad minus duobus diebus in septimana, et tunc non comedant nisi de cibariis quæ per regentem conventum toti conventui ministrabuntur, sub pœna gravis culpæ per tres dies. 10. Prohibemus autem ne aliqua pitantia in conventu seu in refectorio comedatur nisi communis omnibus habeatur sub pœna prænotata. 11. Item fratres in secunda mensa comedentes non aliis quam in prima vescantur alimentis, sub pœna gravis culpæ, hoc permittenti et facienti infligenda.

12. Item statuimus, quod nullus frater veniat ad fratres ultimi conventus vel ad alios extra refectorium comedentes, nisi servitor vel servitores qui per priorem vel subpriorem eis fuerint ordinati, sub pœna gravis culpæ.

13. Item prohibemus ne fratres nostri in civitatibus et villis, in quibus locum habemus, comedant vel bibant, nisi pro inevitabili necessitate, præterquam apud religiosos, prælatos, reges, principes, patronos et magnates, sine licentia prioris generalis vel provincialis, sub pœna gravis culpæ, secundum exigentiam delinquentis. 14. Poterit tamen prior localis licentiare fratres ad comedendum in villa cum personis notabilibus et honestis, sic tamen quod prior discrete se habeat in licentia concedenda, ne per hoc materia vel occasio scandali subsequatur. 15. Si autem aliquis frater inebriatus fuerit intus vel extra, quam ebrietatem habeant cognoscere duo vel tres fratres fide digni, X diebus gravioris culpæ subjacebit. Caveant autem diligenter ne ex ipsorum comestionibus scandali materia sæcularibus tribuatur.

Rubr. V. De silentio et locutione fratrum.

1. Statuimus quod fratres silentium teneant in claustro, dormitorio et in cellis, præterquam in cella prioris, in choro et refectorio, sub pœna gravis culpæ. 2. Fratres autem ex-

tra refectorium comedentes silentium teneant universi, si qui alii religiosi vel sæculares sint præsentes, excepto præsidente; poterit tamen simplex præsidens cum uno fratre dispensare, prior localis cum duobus, prior vero generalis et provincialis cum omnibus fratribus qui ibidem sunt in mensa ut loquantur sine conviciis et (Fol. 9a) tumultu. 3. Si quis autem conviciose vel clamose locutus fuerit, ei a præsidente continuo silentium imponatur, sub pœna gravis culpæ. 4. Idem autem et sub eadem pœna de fratribus in absentia quorumcumque extraneorum comedentibus volumus observari. Excepto quod magistri, bachalarii, lectores et prælati nostri ordinis, et ministri, talibus solatiis libere possint loqui, de quibus supponimus quod non loquantur nisi licita et honesta.

5. Si quis autem inter Completorium et Primam sequentis diei contra formam regulæ silentium fregerit, pœna gravis culpæ rigide puniatur.

6. Caveant etiam fratres a vaniloquio et præcipue prope etiam ecclesiam et in ea. Qui vero in hoc reprehensus fuerit, pœnam mediæ culpæ sustineat. Si autem in consuetudinem duxerit, pœnæ gravis culpæ subjacebit.

7. Statuimus etiam, quod est pudor dicere, quod quicumque juraverint per sanguinem Christi vel ejus vulnera, aut hujus assueti fuerint, seu aliqua turpia de Christo vel ejus Matre gloriosissima aut de Sanctis nominatim jurando, vel aliquo alio modo præsumpserint, pœna gravioris culpæ puniantur, et si ab hujusmodi a quocumque suorum superiorum bis vel ter moniti non destiterint, loco et voce priventur per eosdem.

8. Nullus etiam in capitulo loquatur, nisi culpas suas dicendo et præsidenti ad interrogata respondendo, sub pœna gravis culpæ.

9. Item statuimus quod fratres cum mulieribus extra septa loci locuturi, sic se habeant, ut unus ab alio videatur, et priores caute se habeant in assignatione hujus sociorum. Infra autem septa loci nullus tempore comestionis vel dormitionis cum mulieribus loquatur. Excepto quod janitor vel alius a priore assignatus tali hora venientibus compendiose poterit respondere, sub pœna gravis culpæ.

De Dormitione fratrum. Rubr. VI.

1. Statuimus quod fratres in tunica et scapulari dormiant supracincti, sub pœna gravis culpæ. Exceptis infirmis quorum relinquimus arbitrio ut scapulare induant vel deponant. 2. Item mandamus sub obedientia quod nullus frater celebret sine scapulari, sub pœna inobedientibus infligenda.

3. Item tempore dormitionis fratres in cellis suis maneant, nec usque ad pulsationem exeant, neque verbo aut nullo alio modo strepitum faciant unde dormientes possint inquietari, sub pœna gravis culpæ. 4. In singulis autem cellulis communis dormitorii fiat apertura parens cancellata, per quam introspicere poterunt transeuntes, nec claudatur a quocumque, sub pœna gravioris culpæ per unum diem. 5. Quicumque autem nudus jacere inventus fuerit, pœnæ gravioris culpæ, si semel reprehensus fuerit, per unam diem subjacebit. Si autem assuetus fuerit, pro qualibet vice pœnæ duplicetur. Volumus autem quod comedat panem et aquam cappa et scapulari expoliatus, ut eo quod de nocte impudenter abjecerat in suam confusionem coram omnibus tunc temporis careat. 6. Si autem sine scapulari dormiat (Fol. 9b) suam pœnitentiam in habitu faciat pari modo.

Rubr. VII. De custodia et provisione Infirmorum.

1. Statuimus ut fratres infirmi statim cum cœperint infirmari confiteantur priori suo et communicent, et tunc super omnia diligens cura ipsorum habeatur secundum infirmitatem eorum et debilitatem. Et omnino eis provideatur secundum consilium medicorum quibus prior indilate habeat providere, et frater devotus non aliunde occupatus specialiter assignetur, qui eis sciat et possit et debeat competenter ministrare, sub pœna gravioris culpæ per X dies transgressoribus infligenda. 2. Cum autem horas canonicas dicere non poterunt, eis ab aliquo dicantur, sub pœna gravis culpæ. In quolibet autem loco construatur infirmatorium cum capella, in quo jaceant fratres infirmi, et singulis diebus divinorum audiant celebrationem, ubi fieri poterit competenter.

3. Præcipimus autem omnibus prioribus, sub pœna depositionis ab officio, ut in suis conventibus sacrum Corpus Dominicum in altari majori vel circa, pro fratribus et familiaribus nostris in casu communicandis reverenter servetur quod tempore communionis fratrum innovetur. Oleum etiam benedictum pro infirmis inungendis eisdem præcipimus, sub eadem pœna, in loco decenti servare et omni anno semel innovare.

4. Si vero aliquis frater infirmus aliquod periculum notabile incurrerit propter improvidentiam prioris, vel per duritiam procuratoris, seu negligentiam ministri, quicumque in hoc culpabilis fuerit, si prior est, ab officio deponatur et rigidius aliis puniatur ; si vero procurator est, vel minister, pœna gravioris culpæ per XX dies puniatur.

5. Inhibemus, ne fratres nostri in domibus sæcularium diu custodiantur infirmi, ubi aliter poterit convenienter a

fratribus ordinari. In nostris autem locis, ubi frater incœperit infirmari, ibi moram faciat, donec convaluerit, nisi de licentia prioris generalis aut provincialis ex causa aliter ordinetur et provideatur ei sicut fratribus de conventu infirmis.

6. Districte inhibemus provincialibus, sub pœna gravioris culpæ per XX dies, quod non permittant aliquos fratres in suis provinciis existentes uti scientia medicinæ, nisi adeo sint instructi in prædicta scientia, quod sine periculo et scandalo ordinis ea possint operari.

RUBR. VIII. DE MINUTIONIBUS ET RASURIS FRATRUM.

1. Minutio fratrum generalis quater fiat in anno; prima post Natale Domini, secunda post Pascha, tertia post festum beati Joannis Baptistæ, quarta ante festum Sanctæ Crucis in Septembri. In his quatuor minutionibus comedant fratres minuti extra refectorium et habeant recreationem tribus diebus de communi. Non autem ultra primam noctem nisi cogente necessitate a choro se debeant absentare.

2. In ceteris vero minutionibus comedant fratres in refectorio nisi prior debeat cum aliquo misericorditer dispensare. Nullus (Fol. 10 a) quippe fratrum minutionem faciat sine licentia prioris sub pœna gravis culpæ.

3. Rasura autem fratrum fiat per totum annum de quindena in quindenam, nisi propter aliquam solemnitatem imminentem vel modicum oporteat prævenire vel tardare.

RUBR. IX. DE HOSPITIBUS ET ITINERANTIBUS.

1. Statuimus quod priores fratres nostros itinerantes devote recipiant et eis secundum necessitatem suam et laborem in victualibus provideant diligenter, nullam causam allegantes, ut charitas mutua foveatur, sub pœna gravioris culpæ per V dies transgressoribus infligenda. Fratres itine-

rantes si tempore comedendi vel hospitandi ad conventum venire poterint in villa ubi domum habemus, alibi non comedant, nec hospitentur, vel apud religiosos vel quoscumque alios dormiant vel maneant, nisi conventu prius visitato et licentia habita a priore generali vel provinciali sub pœna gravioris culpæ transgressoribus infligenda. 2. Item fratres non veniant ad hospites vel ad fratres alios extra refectorium comedentes absque licentia prioris. Sed per fratrem eis ministrantem suum negotium eis intiment sub pœna mediæ culpæ. 3. Nec liceat hospitibus vel aliis fratribus nisi de licentia prioris loci apud quem sunt recepti, exire septa loci, sub pœna gravioris culpæ. Nec aliquid emant nisi pro empto pretium statim solvant, nec mutuo aliquid recipiant sine scitu prioris loci et licentia, sub pœna proprietariorum infligenda. 4. Item tam priores quam subditi ad alios conventus venientes suæ provinciæ vel alienæ et in eis vel eorum terminis delinquentes, priores provinciales, vel conventuales, seu eorum vicarii in quorum terminis fuerint inventi, ipsos corrigendi liberam habeant potestatem secundum ordinis instituta.

5. Item statuimus quod nulla mulier hospitetur in domibus nostris, nec aliquis frater ad mensam mulierum comedat infra septa loci, excepta competenti necessitate et licentia prioris speciali, sub pœna gravis culpæ. Nec aliqua mulier visitet claustrum vel officinas interiores, nisi matrona honesta, vel aliqua alia bonæ famæ cui sine scandalo non poterit denegari, et tunc cum honesta et competenti comitiva et fratribus præmunitis, (1) sub pœna gravis culpæ. 6. Sæculares vero non diu morentur inter fratres præter servientes, ne aliqua occasione fama ordinis minuatur, sub pœna gravis culpæ. 7. Nec aliquis sæcularis ad certam portionem recipiatur, sub

(1) I. e. præmonitis.

pœna gravioris culpæ per XL dies delinquentibus infligenda: Poterit tamen prior generalis vel provincialis super hoc dispensare cum sibi visum fuerit expedire.

8. Item malefactoribus sceleratis ad domos nostras fugientibus metu pœnæ, per priorem loci ad quem fugerint, ecclesia vel locus alius a fratribus totaliter separatus assignetur, nec volumus quod aliquis alius frater ad eos veniat, vel loquatur, aut comedat, aut bibat cum eisdem, sub pœna inobedientium transgressoribus infligenda.

9. Item statuimus quod fratres (Fol. 10 b) per obedientiam missi literas habeant conductorias, tempus missionis et reversionis eorum continentes, quas prioribus vel eorum locum tenentibus ad quos venerint vel declinaverint, ostendere non omittant, sub pœna quæ infra ponitur proximo versu, et eas cum redierint prima die suo priori reddere teneantur, sub pœna gravis culpæ et prior statim impressionem sigilli frangere non omittat. 10. Fratribus vero inordinate et sine obedientia et literis testimonialibus suorum superiorum euntibus, cappæ per priorem ad quem declinaverint auferantur, et ipsi nihilominus cum suis rebus retineantur. Prior autem ille priori provinciali hoc non differat intimare. Prior autem qui in ablatione cappæ negligens repertus fuerit per V dies pœna gravioris culpæ puniatur.

11. Cum vero egrediuntur fratres plus una nocte moraturi, prostrati ante altare benedictionem accipiant, et etiam cum reversi fuerint faciant illud idem. Itinerantes, prior in religione primus sit in itinere, nisi ex causa rationabili per superiores ordinis aliter ordinetur. 12. Cum vero fratres eundi alicubi licentiam habuerint, illuc eant quo licentiam eundi obtinuerint et tempore sibi deputato revertantur. Si autem postquam per obedientiam missi fuerint non peracto negotio propter quod mittuntur, reverti præsumpserint, si per eorum negligentiam steterit vel defectum, aut si infra

terminum sibi deputatum non redierint, nisi ex causa rationabili excusentur, vel si ad alium locum quam ad illum ad quem missi fuerint, vel licentiam eundi habuerint, declinaverint, nisi periculum notabile vel evidens necessitas hoc requirat, pœnæ gravioris culpæ secundum exigentiam delicti subjacebunt. 13. Item fratres per licentiam vel obedientiam exeuntes socios secundum assignationem prioris habeant nec alios recipiant, sub pœna gravioris culpæ per tres dies. 14. Item statuimus quod fratres equitare non præsumant nisi ex magna necessitate, et a suo priore fuerint licentiati, sub pœna gravioris culpæ tot diebus quot præsumpserint equitare. 15. Item frater non vadat nec mittatur solus nisi de licentia prioris generalis vel provincialis, nisi ex magna necessitate hoc procedat, sub pœna gravioris culpæ per XX dies et sub pœna privationis vocis et loci, nisi forsan in casu quoad illos qui de studio parysiensi habent redire seu illuc ire. Si vero duo missi fuerint et unus alium sine causa rationabili reliquerit, pœnam gravioris culpæ per XL dies sustinebit; si vero ex hoc scandalum evenerit, secundum qualitatem et quantitatem delicti gravius puniatur. 16. Item nullus prior localis vadat vel mittat fratres ad prioratum vel procurationes alterius conventus, exceptis negotiis communibus, nisi de licentia prioris generalis vel provincialis, vel nisi pro necessitate manifesta, sub pœna gravioris culpæ per V dies transgressoribus infligenda. 17. Item inhibemus per sanctam obedientiam præcipiendo districte ne frater aliquis nostri ordinis sit enbaxiator principis cujuscumque pote- (Fol. 11 a) statis aut comitatus in causis suspectis, periculosis et odiosis, sub pœna privationis vocis et loci eo ipso, et sub pœna carceris secundum quantitatem delicti vel periculi infligenda.

Rubr. X. De confessionibus et prædicationibus.

1. Confessiones novitiorum ante receptionem audiantur et ante professionem et de modo confessionis diligenter instruantur. 2. Fratres non professi et novitii suo priori tantum confiteantur, vel confessori a priore suo constituto, et non alio, nisi de licentia sua speciali, sub pœna auctoritatem superiorum usurpantium, tam confitenti quam confessori infligenda. 3. Inhibemus districte ne aliquis frater alicui extraneo religioso vel sæculari sacerdoti confiteatur, si copiam sacerdotis nostri ordinis habere potuerit, sub pœna gravioris culpæ per X dies infligenda. Poterit tamen frater quicumque, si conscientiam peccati mortalis habuerit et necessitatem celebrandi aut communicandi, religioso extraneo vel sacerdoti sæculari honesto, vel fratri nostri ordinis loco et voce carenti, aut etiam novitio sacerdoti in prædicto casu confiteri. Et tunc idem peccatum suo priori, dum ejus copiam habere potuerit, confiteatur. 4. Novitiis autem confessiones fratrum vel extraneorum audire non liceat, nisi pro inevitabili necessitate ut superius est expressum.

5. Nulli etiam fratri liceat sine licentia prioris generalis vel capituli provincialis et prælatorum, audire confessiones extraneorum, vel aliquid exequi, quod ad ordinarios pertinet ecclesiarum, et tunc quando diligenter sit examinatus et sufficienter idoneus sit inventus. 6. Et quia in multis casibus ignorantia est periculosa et damnabilis, præcipimus omnibus et singulis prioribus provincialibus, quod post reditum de capitulo generali infra annum examinent omnes et singulos fratres sacerdotes suæ provinciæ de tribus, vid. de missis dicendis, et prædicationibus, et confessionibus audiendis. Et quos non idoneos invenerint privent eos ab administratione officii in quo minus idonei inventi fuerint, non ob-

stante quacumque licentia prius talibus a quocumque concessa super istis.

7. Item statuimus et ordinamus quod in quolibet conventu nostri ordinis casus episcopales quos locorum ordinarii sibi specialiter reservare consueverunt, in aliquo communi loco habeantur, sic quod fratres ad audiendum confessiones deputati eorum copiam faciliter habere possint, sub pœna gravioris culpæ priori et subpriori per X dies infligenda. 8. Sint etiam priores solliciti et attenti ut sciant et habeant statuta synodalia in quibus frequenter feruntur sententiæ, et aliqua prohibentur quæ necessarium est scire confessiones Christifidelium audituros. De dictis autem casibus episcopis specialiter reservatis fratres nullo modo præsumant absolvere, juxta ordinationem seu constitutionem Concilii Viennensis, nisi forsan frater aliquis super certis casibus licentiam episcopi specialem haberet (Fol. 11b) et expressam. 9. Sint etiam priores provinciales vigiles ut in conventibus suarum provinciarum habeant casus in quibus sententia excommunicationis incurritur ipso jure, et præcipue de Sexto libro decretalium domini Papæ Bonifacii, et de constitutionibus concilii Viennensis, quantum pro ipsis fratribus et confessionibus necessarium fuerit et salubre, aliter autem ad hujusmodi periculosum officium nullus ab aliquo licentietur.

10. Confessiones autem in domibus nostris in locis manifestis et non alibi audiantur et in confessionibus extra domos nostras audiendis frater a fratre videatur, sub pœna gravioris culpæ per tres dies.

11. Nulli fratri illegitimo vel irregulari seu etiam loco et voce carenti cura tradatur animarum, nec confessiones fratrum nec extraneorum audire permittatur, nisi super hoc sufficienter cum eis fuerit dispensatum, et nisi aliquo casu arduo currente prior generalis vel capitulum provinciale cum loco et voce carentibus dispensaret, sub pœna gravioris cul-

pæ per XL dies tam permittenti quam facienti infligenda. Committimus tamen prioribus provincialibus quod discernant in quibus casibus carentes loco et voce possint audire confessiones et prædicare Verbum Dei, et dispensent in his cum eisdem.

12. Nullus etiam frater habeat potestatem absolvendi aliquem fratrem a peccato mortali sine licentia sui prioris. Si quis autem confessus fuerit vel convictus quod fratrem aliquem absque licentia superiorum suorum a peccato mortali absolverit et præcipue de casu aliquo quem prior generalis, provincialis seu localis sibi specialiter reservaverit, ab actu recipiendi confessiones suspendatur et in visitatione superioris loco et voce privetur. 13. Et nihilominus monemus omnes et singulos confessores nostri ordinis ut caveant ne fratres ad eos causa confessionis venientes scienter absolvant de casu seu casibus a superioribus expresse in speciali retentis, quod si fecerint excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, a qua non possunt absolvi nisi per priorem generalem vel suum priorem provincialem.

14. Item statuimus quod fratres venientes ad conventum alienum possint confiteri fratribus licentiatis ad audiendum confessiones, quemadmodum fratres illius conventus, de culpis commissis in utroque conventu seu in via, præterquam de casibus a superioribus suis retentis. 15. Monemus etiam fratres ut culpas suas dictas in capitulo communi in privata confessione plenius manifestent et in debita forma ecclesiæ absolvantur.

16. Statuimus etiam quod quilibet frater bis in hebdomada confiteatur ad minus, sub pœna gravis culpæ. Celebraturus autem missam quamcumque provideat sibi, ut non confiteatur in altari, nisi forte de aliquo oblito et tunc compendiose ; transgressi mediæ pœnæ culpæ, assueti vero pœnæ gravioris culpæ subjacebunt.

17. Nullus etiam publice prædicare præsumat (Fol. 12 a) nisi a priore generali vel capitulo provinciali fuerit examinatus et licentiatus, sub pœna gravioris culpæ per X dies.

RUBR. XI. DE COMMUNIONE FRATRUM.

1. Communio fratrum fiat decies in anno : prima in Nativitate Domini, 2nda in Purificatione B. Mariæ, 3tia in Cœna Domini, qua die de manu prælati volumus omnes fratres communicari, 4ta fiat in Annuntiatione B. Mariæ, 5ta in festo Paschæ, 6ta in Pentecoste, 7ma in Assumptione B. Mariæ, 8va in Nativitate ejusdem, 9na in festo Omnium Sanctorum, 10ma prima dominica Adventus Domini. In his solemnitatibus nullus frater absque licentia sui prioris a communione se abstrahere præsumat, sub pœna gravioris culpæ per duos dies. 2. Verumtamen fratres professi, prout eis Deus devotionem contulerit, diebus dominicis et festis duplicibus communicare poterunt.

3. Ordinamus etiam et volumus ut fratres nostri tam clerici quam laici (qui)temporibus statutis in majori missa sint communicaturi, sacerdote communicato in stallis suis humiliter genuflectendo faciant confessionem, quibus absolutis primo communicent ministri altaris, deinde bini et bini secundum ordinem ad gradus altaris [revertentes] accedant, et revertantur sub hac forma, ut dum primi communicant eos secuturi semper sint parati ante gradum inferiorem, et hoc modo se habeant a primis usque ad novissimos, incipiendo a senioribus. Ita tamen quod si aliquem in fine imparem venire contigerit, socium de inferioribus accipiat, qui eum in eundo et redeundo associet.

4. Quotiescumque autem communicant fratres a duobus teneatur linteus qui mentis communicantium submittatur.

Diaconus vero et subdiaconus paratum teneat calicem vinum communicantibus subministrans ordinate.

5. Quicumque autem sacerdos ultra unam diem a celebratione missarum se subtraxerit absque prioris sui scitu et licentia speciali, pœnæ gravis culpæ per unam diem subjacebit; si autem in consuetudinem duxerit secundum exigentiam delicti pœna ejus aggravetur. Priores vero qui in hujusmodi negligentes reperti fuerint, in visitatione superiorum pœna prætaxata rigide puniantur.

RUBR. XII. DE VESTIMENTIS ET CALCIAMENTIS FRATRUM.

1. Vestimenta autem fratrum lanea sint ejusdemque formæ ut habeant tunicas griseas rotundas usque ad talos descendentes, et scapularia ejusdemque coloris usque ad mediam tibiam, et liceat fratribus qui indiguerint uti lineis femoralibus. Quilibet autem frater habeat cappam albam talis longitudinis ut sit tunica brevior uno palmo.

2. Nullus autem frater vestes aliquas portet de panno tincto vel lana tincta *, quod si fecerit et veste privetur et graviori pœna puniatur. (Fol. 12b) Item prohibemus quod nullus utatur camisiis aliqua ratione vel causa sub pœna gravioris culpæ per tres dies. Necnon singulis illis diebus tribus singulas recipiant in capitulo disciplinas induti sola camisia comedentes. 3. Et etiam linteamina penitus inhibemus, maxime infra dormitorium nisi pro evidenti necessitate et manifesta, sub pœna mediæ culpæ et privatione eorumdem. 4. Item præcipimus per obedientiam salutarem quod nullus cujuscumque conditionis vel status existat portet clamidem de die in ecclesia, refectorio vel claustro majori, quod si fecerit clamide privetur et pœna gravis culpæ pro vice qualibet puniatur.

* Marg. Derogatum in Capitulo Rupeculæ anno 1488.

5. Priori aut provinciali et ejus socio provideatur in ves-

tiariis et expensis necessariis singulis annis per capitulum provinciale. Idem autem fiat quoad vestimenta magistris et bachalariis et lectoribus in provinciis in quibus assignati fuerint ad legendum. 6. Fratribus autem aliis indigentibus vestimentis et calciamentis provideatur secundum suam indigentiam et possibilitatem conventuum in quibus morantur, sub pœna gravioris culpæ per tres dies negligentibus et impedientibus infligenda. 7. Priores vero conventuales addendi indigentibus et auferendi a superabundantibus si plures quam quatuor tunicas in universo habuerint, liberam habeant potestatem. Idem dicimus de superabundantia calciamentorum, scapularium et capparum.

8. Fratres nostri calciamentis utantur ligaticiis et non aliis, sub pœna gravis culpæ per tres dies, exceptis illis qui infirmitate patenti indiguerint.

RUBR. XIII. DE RECEPTIONE NOVITIORUM.

1. Quoniam de receptione novitiorum necessaria est discretio, venientes ad nos causa recipiendi, antequam admittantur ab eis requiratur an sint conjugati, an ratiociniis obligati, an alicujus religionis mendicantium professi, an habeant membrum mutilatum, an usum vel sensum alicujus membri amiserint, an aliquam deformitatem apparentem in corpore habeant, an sint vel fuerint de aliqua heresi vel fide catholica suspecti. Item an fuerint vel a nostro ordine pro quocumque vitio expulsi, vel etiam ab aliquo alio ordine quantumcumque laxiori scienter ejecti. Item an habeant aliquam infirmitatem celatam. Qui si aliquem horum defectuum patiantur, non recipiantur, et si recepti fuerint expellantur. 2. Qui vero receperit ad ordinem aliquem conjugatum postquam matrimonium fuerit consummatum, vel de ratiociniis obligatum, vel etiam professumalicujus religionis aliorum trium mendicam-

tium, dato quod literas dimissorias a suo ordine habuerit, sine licentia prioris generalis (Fol. 13a) vel capituli generalis seu provincialis capituli ordinis nostri, tam recipientes quam consentientes pœna gravioris culpæ per XL dies puniantur. 3. Qui autem professum eorundem ordinum, non habentem dimissorias, scienter receperit, eidem pœnæ subjacebit et omni prælatione et cura animarum ipso facto sit privatus, donec cum ipso per Dominum nostrum summum pontificem fuerit dispensatum et sic receptus ab ordine expellatur. 4. Qui vero habentem membrum mutilatum aut deformitatem aliquam habentem in corpore apparentem, seu carentem usu aut sensu alicujus membri, vel suspectum de aliqua heresi, seu de Fide catholica, vel etiam aliquem expulsum a nostro vel ab alio ordine pro quocumque vitio, scienter receperit, pœna gravioris culpæ per X dies tam ipse recipiens quam assensum præbentes puniantur, et receptus expellatur. 5. Item statuimus quod nullus sæcularis infirmus recipiatur in fratrem, nisi perseverandi in ordine nostro habuerit voluntatem. Item nullus clericus recipiatur ad habitum Ordinis nisi probabiliter litteratus, vel in officio ecclesiastico sufficienter instructus, et ad cantandum et legendum aptus et idoneus fuerit inventus.

6. Nullus etiam laicus recipiatur nisi a priore generali vel a priore provinciali, qui laicos poterunt recipere in fratres vel semifratres, prout sibi visum fuerit expedire. Nullum tamen recipiant nisi in arte mecanica ordini nostro necessaria sit exercitatus et instructus, nisi damnum inevitabile ipsos a receptione illorum merito valeat excusare. 7. Item nullus ad novitiatum vel ad professionem admittatur, nisi a priore generali vel provinciali, vel ab eo cui prior generalis vel provincialis super hoc licentiam decreverit concedendam. Et ille habita licentia hujusmodi, nisi de consensu majoris et sanioris partis conventus, ad novitiatum vel professionem non

admittatur, sub pœna gravioris culpæ per X dies. Poterunt tamen prior generalis vel provincialis omnino sine consensu cujuscumque ad novitiatum vel ad professionem recipere cum eis videbitur expedire. 8. Caveant tamen ne aliquem recipiant, nisi pro ordine nostro secundum constitutiones idoneus fuerit inventus. 9. Item statuimus quod nullus cujuscumque conditionis existat recipiat aliquod donum, quantumcumque modicum sive magnum, in dono vel in pacto a novitio recipiendo, seu a parentibus suis, vel amicis, ad proprium usum, sub pœna carceris et privationis doni quod novitio restituatur. 10. Si autem recipiendus aliquam eleemosinam conventui vel ordini conferre voluerit, non recipiatur a fratribus, sed per manus recipiendi creditoribus ordinis solvatur, vel in altari offeratur. 11. Consulimus etiam quod recipiendus ante receptionem habitus expediat se de omnibus quæ habet, nisi ex causa rationabili per priorem (Fol. 13b) generalem vel provincialem aliter fuerit ordinatum, ne diabolo suggerente in temporalium adminiculo confidens ad sæculum postea revertatur.

12. Moneatur etiam recipiendus per priorem ut resignet omni juri repetendi vestimenta facta ad modum ordinis, quæ de sua pecunia vel aliunde emit, pro casu si receptus ab ordine vellet resilire ; quod si facere noluerit nullatenus admittatur.

13. Cum vero recipiendi fuerint novitii, primo radantur et calcientur ad modum fratrum, et tunica ordinis induti cum aliqua veste sæculari superposita ad capitulum ducantur. Qui cum adducti fuerint prosternant se in medio capituli, et interrogati a præsidente *Quid quærant,* respondeant *Misericordiam Dei et ordinis.* Quibus sursum erectis exponat illis asperitatem ordinis et paupertatem. Et maxime tres articulos religionis, scil. quod post receptionem habitus omni tempore vitæ suæ proponant obedienter et caste et sine

proprio vivere. His expositis requirat voluntatem eorum. Qui si respondeant se cuncta velle servare et sæculo renuntiare, dicat præsidens : *Deus qui te incœpit in nobis ipse perficiat.* Respondeant fratres *Amen.* Tunc præsidens exuat eos vestibus sæcularibus dicens super quemlibet *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis.* Respondeant fratres *Amen.* Et prædictæ vestes sæculares reserventur per priorem usque ad professionem receptorum, nisi de voluntate eorum de ipsis aliter disponatur. Et mox prior super recipiendos dicat sequentes orationes. Si voluerit solemnitatem facere et cætera usque ad locum illum : *Et sic recepti.* Si autem dicere noluerit prædicta, induantur habitu ordinis et ducantur ad chorum processionaliter et fiant quæ sequuntur ibidem.

ORATIO

DEUS indulgentiæ Pater qui severitatem tuæ districtionis temperans, indulsisti ne filius portet iniquitatem patris, et qui mira etiam dispensatione malis bene utens tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris, quæsumus clementiam tuam ut huic famulo tuo non obsistat quod habitum nostræ sacræ religionis ad honorem beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli dedicatæ per nos tanta ac tali re indignos accipiat, sed ministerium quod exterius per nos exhibetur, Tu interius per donum sancti Spiritus exequaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DEUS qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per ministerium sanctæ incarnationis ejus renovare dignatus es, Te suppliciter exoramus, ut ejusdem Domini nostri gratia super hunc famulum tuum abrenuntiationem sæculi profitentem, clementer respicere dignetur, per quam in spiritu suæ mentis renovatus veterem hominem cum actibus suis exuat et novum hominem

qui secundum Deum creatus est induere mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. (Fol. 14 a).

DOMINE Jesu Christe qui es via sine qua nemo venit ad Patrem, quæsumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum a carnalibus desideriis abstractum per iter disciplinæ regularis deducas, et qui peccatores vocare dignatus es dicens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego vos reficiam ; præsta ut hæc vox invitationis tuæ ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens et quam dulcis es gustans tua refectione sustentari mereatur. Et sicut attestari de tuis ovibus dignatus es, agnosce eum inter oves tuas, ut ipse te agnoscat et alienum non sequatur, sed Te, nec audiat vocem alienorum, sed tuam qua dicis : Qui mihi ministrat me sequatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTE Spiritus, qui te Deum ac Dominum revelare dignatus es mortalibus, postulamus immensam tuæ pietatis gratiam, ut sicut ubi vis spiras, sic et in hoc famulo tuo affectum devotionis indulgeas, et quos tua sapientia es conditus tua quoque prudentia gubernare, quem juxta tuam consuetam gratiam unctio tua de omnibus doceat ; et per intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ, quam præcipuam hujus sanctæ religionis patronam dedisti, eum a vanitate sæculi veraciter converte, et sicut es omnium peccatorum remissio, ita deprimentes impietatis obligationes in eo dissolve, et ad observantiam hujus sancti propositi fac eum ita certatim fervere, ut in tribulationibus et angustiis tua indeficienti consolatione valeat respirare, et ut juste et pie per veram humilitatem atque obedientiam, castitatem et paupertatem in fraterna caritate fundatus, quod Te donante promittit felici perseverantia compleat ; quod Ipse præstare digneris, qui cum Deo

Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Mox finita oratione prælatus induat illos habitu ordinis cum signo ✝ dicens super quemlibet: *Induat te Dominus novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Et aspergat eum aqua benedicta. Deinde dicatur Oratio:

ADESTO Domine supplicationibus nostris et hunc famulum tuum bene ✝ dicere dignare cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus, ut Te largiente et devotus in ecclesia tua persistere et vitam percipere mereatur æternam. Per Christum D. N. Amen.

Et sic recepti et induti ducantur processionaliter ad chorum, et prosternant se ante altare ceteris fratribus stantibus in stallis suis, et tunc prior incipiat solemniter hymnum *Veni Creator*. Chorus prosequatur. Ad cujus primum versum omnes flectant genua. Finito hymno dicatur *Kyrie el. Christe el. Pater noster*. Deinde prior stans juxta ipsos prope cornu altaris dicat (Fol. 14b) *Et ne nos.* ℣ *Manda Deus virtuti tuæ.* ℣ *Salvum fac servum tuum.* ℣ *Esto ei domine turris fortitudinis.* ℣ *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℣ *Ora pro eo sancta Dei genitrix. Domine exaudi. Dns. vobisc.*

OREMUS

Deus qui corda fidelium.
Protege Domine.

DEUS qui justificas impium et non vis mortem peccatoris, Majestem tuam supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum de tua misericordia confidentem cœlesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur et nullis tentationibus a te separetur.

Omnipotens sempiterne Deus qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum spiritum gratiæ salutaris, et ut in veritate tibi complaceat perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum D. nostrum. Amen.

Deus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil bonum inchoatur, nihilque bonum perficitur, adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures, et hunc famulum tuum cui in tuo sancto nomine sacræ nostræ religionis habitum imponimus a mundi impedimento et sæculari desiderio defende. Et concede ei ut in hoc sancto proposito devote persistere valeat, et remissione peccatorum percepta ad electorum tuorum valeat pervenire consortium.

Deus qui non vis mortem peccatorum, sed per pœnitentiam [et] emendationem vitæ semper inquiris, te supplices deprecamur, ut huic famulo tuo sæcularibus actibus renuntianti largæ tuæ pietatis gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadium vitæ præsentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis te donante percipiat, et sicut iste te Deo inspirante nostris optat jungi consortiis, propter quod damus ei communem societatem nobiscum vivendi, quantum a Te Domine possumus promereri et nostrum est largiri, sic cum electis tuis, a Te remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromissa percipere. Per Christum D. nostrum. Amen.

His dictis eleventur et aspergantur aqua benedicta et osculentur reverenter primo altare, secundo priorem, tertio fratres et post collocentur in ultimis locis chori.

14. Probationis tempus statuimus per annum integrum, ut novitii austeritates religionis et fratres novitiorum mores experiantur. 15. Statuimus autem ut novitii clerici tempore novitiatus sui divino officio addiscendo sint intenti nec aliquo

alio studio occupentur (Fol. 15a) per quemcumque. Priores autem in hoc negligentes per septem dies pœna gravioris culpæ puniantur.

16. Quicumque intraverit ordinem laicus nec literas discat, nec librum ad proprium usum portet, nec tonsuretur, nisi per priorem generalem cum aliquo qui ad hoc sufficiens fuerit, dispensetur. 17. Item novitii secretis capituli cujuscumque non intersint, et priores discrete se habeant erga novitios tam in pœnitentiis injungendis, quam in aliis, nec permittant eos redargui ab aliquo nisi a magistris quos semper habeant sibi ad informationem specialiter deputatos; qui si negligentes fuerint erga ipsorum informationem, pœna gravis culpæ per V dies puniantur. 18. Item nulli novitio tradatur officium nisi ex magna necessitate. 19. Si quis novitius exierit de nostra religione et redierit, reincipiat annum probationis et compleat, nisi ei renuntianti juri suo super hoc a priore generali vel provinciali hujusmodi gratia concedatur, ut residuum annum in novitiatu complere tantummodo teneatur. 20. Volumus etiam quod nullus novitius ab ordine recedere permittatur, nisi capite raso, nisi forte alias consueverit portare tonsuram regularem, et hoc in habitu sæculari.

RUBR. XIV. DE PROFESSIONE RECEPTORUM.

1. Ante tempus professionis novitius humiliter professionem suam petat tribus vicibus a conventu et a fratribus sigillatim. 2. Statuimus et per sanctam obedientiam mandamus præcipiendo, quod de quocumque novitio professando per 8 vel 15 dies antequam veniat dies suæ professionis, prior localis aut quicumque præsidens diligenter inquirat et discutiat an talis novitius juxta formam ordinis debeat professari. Et si quidam inveniatur inhabilis statim ejiciatur ab

ordine nec expectetur dies quo si habilis foret, esset ad professionem admittendus. Per hanc autem ordinationem intendimus occurrere periculo quod circa novitios professandos, ubi novitiorum habitus idem est et professorum, ex constitutione imminet concilii Viennensis (1) 3. Nec aliquis ad professionem admittatur nisi de salute animæ suæ sit sollicitus et devotus. 4. Item prohibemus in virtute sanctæ obedientiæ ne aliquis recipiatur ad professionem infra ætatem XIV annorum, et nisi fuerit in ordine nostro per annum integrum computando a Kalendis et non a festis mobilibus. Priores autem contrarium facientes ipso facto sunt suspensi de jure ab actu alios professandi. Qui si non habita dispensatione alium professaverint, ipso facto sunt excommunicati de jure, et nihilominus volumus quod absolvantur ab officio prioratus.

5. Cum vero tempus professionis alicujus advenerit, novitius vestitus tunica sine scapulari et cappa, stet in præsentia præsidentis et conventus, et requiratur ab eo sicut supra de novitiis est expressum. Qui si impedimentum non patiatur flexis genibus ponat manus (Fol. 15b) inter manus præsidentis et dicat: *Ego frater N. facio professionem et promitto obedientiam Deo et beatæ Mariæ de Monte Carmeli et tibi fr. N. priori generali fratrum ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli tuisque successoribus secundum regulam prædicti ordinis usque ad mortem.* Si autem alicui alteri quam priori generali professio fuerit facienda tunc dicatur sic: *Ego frater N. facio professionem et promitto obedientiam Deo et beatæ*

(1) Eos qui deinceps in discretionis constituti ætate novitiorum habitum in aliqua religione per annum portaverint, hoc ipso religionem illam decernimus esse professos, nisi hujusmodi habitus in colore, scissura vel forma se distinctum patenter exhibeat ab habitu professorum. C. 2 de regular. inter Clement.

Mariæ de Monte Carmeli et priori generali fratri N. ejusdem ordinis suisque successoribus secundum regulam prædicti ordinis usque ad mortem. Sicut prius. Quo facto dicat præsidens : *Deus qui te incæpit ipse perficiat.* Respondeant fratres *Amen.* Sequitur tunc oratio super fratrem *Deus indulgentiæ,* cum sequentibus. Require in receptione novitiorum. Quibus dictis sequitur benedictio super habitum. ℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* ℣. *Domine Deus virtutum converte nos. Domine exaudi. Dnus vobiscum.*

OREMUS

DOMINE Jhu Xpe qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti patres ad innocentiæ vel humilitatis indicium abrenuntiantibus sæculo ferre sanxerunt, et sic ipsum bene ✝ dicere digneris, ut hic famulus tuus qui eo usus fuerit te induere mereatur.

DOMINE Jhu Xpe auctor virtutum et amator pœnitentium, qui maxime humilitatem, castitatem et paupertatem ab omnibus ceteris virtutibus corporaliter in mundo elegisti, et peccatores ad pœnitentiam misericorditer vocasti, ac omnes fideles convertentes pie suscepisti, tuam ineffabilem misericordiam suppliciter exoramus, quatenus habitum hunc sanctificare ac benedicere digneris, et concede propitius, ut quicumque illum devote in signum sanctæ conversationis gestaverit, cum veste candida et immaculata ante tribunal tuum in Sanctorum agmine glorificatus in die judicii valeat apparere. Qui cum Patre et Spiritu Sancto etc.

Deinde aspergatur aqua benedicta dicendo *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Respondeant fratres *Amen.* Postea prior induat eum habitum dicens *Accipe hunc habitum in remissionem peccatorum tuorum et nostræ sanctæ religionis augmentum. In nomine Patris et Filii et Sp. S.* Resp. con-

ventus *Amen*. Similiter fiat de cappa sed dicatur *Accipe hoc signum in remissionem* etc. Quibus factis sequitur oratio super professum genua flectentem sine Dnus vobisc.

OREMUS

DOMINE Jhu Xpe pater misericordiarum et consolatio peccatorum, qui dixit Nolo mortem peccatoris sed ut magis convertatur et vivat, qui non venit vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam (Fol. 16 a), ipse te sua ineffabili misericordia et inolita pietate ad veram cordis contritionem vocet et gratiam devotæ pœnitentiæ inspiret, ut digne habitum sanctæ professionis valeas accipere et votum tuæ professionis et promissa sancti ordinis adimplere, et in sancto suo servitio perseverare et cum electis ejus ad æterna gaudia feliciter pervenire. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

Resp. conventus *Amen*. Deinde aspergatur aqua benedicta et postea ducatur processionaliter ad chorum et ante altare jaceat prostratus aliis fratribus stantibus in stallis suis. Prior incipiat solemniter hymnum *Te Deum laudamus* etc. qui prosequatur a conventu. Quo dicto prior stando ad pedes professi dicat *Kyrie el. Christe el. Pater noster. Et ne nos.* ℣. *Manda Deus*, et tres ceteras preces sequentes cum orationibus *Deus qui corda*, *Protege* cum sequentibus. Require in receptione novitiorum. Quibus dictis aspergatur aqua benedicta et osculetur altare, et postea priorem et fratres, et ponatur in loco suo inter professos et laicos super novitios.

RUBR. XV. DE ORDINATIONE PROFESSORUM.

1. Nullus ante professionem se faciat vel permittat promoveri, quod si fecerit a nostro ordine expellatur, et prior mittens graviter puniatur; nec loco et voce carens ad sacros aliquos ordines promoveatur, quousque gratiæ receperit

complementum, sub pœna gravioris culpæ per XX dies. 2. Si quis vero sine licentia prioris generalis vel provincialis ordinari se permiserit, pœna gravioris culpæ per XL dies rigide puniatur, et ab ordinis sic suscepti executione ipso facto sit suspensus, quousque a priore generali vel a capitulo generali cum eo fuerit misericorditer dispensatum. 3. Si vero laicus quocumque modo se permiserit ordinari vel tonsuram sibi permiserit fieri clericalem sine licentia prioris generalis, carceri mancipetur, donec per capitulum generale aliter de eo fuerit ordinatum. 4. Si quis vero in excommunicatione ordinatus fuerit non nisi per Summum pontificem dispensetur. Si vero in excommunicatione in ordine contracta vel in apostasia, divina celebraverit, pœnæ gravioris culpæ per XL dies subjacebit, tamen cum eo per priorem generalem poterit super hoc de virtute privilegii misericorditer dispensari.

RUBR. XVI. DE STUDIIS ET STUDENTIBUS ET PROVISIONIBUS EORUM.

1. Quoniam ignorantia mater est erroris et cujuslibet status deperditio, nobis et ordini quantum ad hoc volentes in posterum providere, duximus statuendum, quod in ordine nostro sint octo studia generalia, scil. Parisiis, Tholosæ, Bononiæ, Florentiæ, in Monte Pessulano, Coloniæ, in Anglia Londoniis et in conventu Romanæ Curiæ.

2. Ad studium vero parisiense teneatur per obedientiam mittere (Fol 16b) Sicilia studentem unum, provincia Narbonæ duos, Francia duos, Alemania inferior duos, Lumbardia duos, Aquitania duos, Tuscia unum, Hispania duos, et provincia Neapolitana unum ad minus ad studium Parisius mittere teneantur ad sumptus communes suarum provinciarum, quæ habeant etiam tribuere dicto conventui Parisius pro quolibet annuatim CL grossos et cuilibet ipsorum LXX grossos pro vestiario. 3. Et si contingat prædictas provincias studentes

ad quos tenentur non mittere Parisius, omnino volumus et priori generali committimus exequendum, quod contributionem taxatam mittant Parisius ac si proprie scolares ibi haberent vel tenerent. 4. Aliæ vero provinciæ nullum mittere teneantur ad prædictum studium, nisi priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis vel priori generali expedire videatur. 5. Item statuimus quod Magister actu legens in studio Parisiensi prædicto et bachalarius præsentatus et bachalarius actu legens, necnon et legens bibliam in eodem conventu sine contributione admittantur. 6. Item ordinamus et concedimus quod provincia Franciæ sine contributione quacumque tres scolares Parisius habere valeat, propter onus quod habet de fratribus ponendis ibidem, et pro variis negotiis conventus prædicti exequendis.

7. Provincia vero Narbonæ præter magistros et bachalarios prædictos unum studentem, Alemania inferior unum, Aquitania unum et etiam Anglia si voluerit unum illic sine contributione destinabunt. 8. Ceterum quælibet provincia ad dictum conventum parisiensem mittat per contributionem quotquot voluerit studentes sive bachalarios sive alios, et contribuat pro quolibet sic misso annuatim dicto conventui centum quinquaginta grossos antiquos quos infra mensem sui adventus solvere teneatur, qui post terminum ad suas provincias redeant non vocati. 9. Item statuimus quod ultra vitam conventus pro necessariis magistri actu regentis ibidem ac ejus famuli dentur eidem annuatim CCCC grossi boni et antiqui, quorum medietatem accipiat de sua provincia primis duobus annis ex quo factus fuerit magister, quibus cathedram tenebit ex debito. Residuum vero de taxatione ordinis in communi. Et si ultra prædictos duos annos ipsum ibidem propter successoris defectum legere contingat vel ipsum aut alium in hoc casu suas contigerit resumere lectiones, prior generalis de communitate ordinis de tota sua taxatione eidem

providere teneatur. Et si forsan magistrum ex debito ibidem regentem infra prædictos duos annos occasione infirmitatis aut alterius cujuscumque causæ de studio contingat recedere, volumus quod provincia talis (Fol 17a) magistri alteri substituto de medietate taxationis tamquam magistro suæ provinciæ providere teneatur.

10. Bachalarius vero actu legens habeat de sua provincia CCCL grossos et quilibet aliorum bachalariorum annuatim CL grossos. Cursum autem legenti provideatur de C grossis per suam provinciam, præter illud quod sibi debetur ut studenti. Legenti vero bibliam provideatur de C grossis de communi taxatione ordinis et de sua provincia de aliis C grossis. Cuilibet quoque studenti simplici, sive per contributionem sive aliter, per suam provinciam provideatur annuatim pro suis indigentiis in LXX grossis præter expensas quas eundo et redeundo faciet quæ solvantur eidem.

11. Poterunt autem fratres de diversis provinciis ad studium Parisiense dispositi de licentia sui provincialis ad dictum locum cum contributione prædicta si ipsam ab amicis suis habere valeant se transferre.

12. Item omnibus prioribus provincialibus districte præcipimus et mandamus, quatenus totam provisionem quam pro suis studentibus conventui parisiensi juxta constitutiones singulis annis debent, ante festum Omnium Sanctorum mittant Parysius, similiter et taxationem capituli generalis priori generali vel ubi eam dari ordinaverit ante Nativitatem Christi mittant. 13. Priores quoque locales sub eodem mandato taxationem sui conventus juxta ordinationem sui provincialis capituli tempore statuto solvere et mittere teneantur. Priores autem locales per quorum defectum et negligentiam prædicta steterint a suis officiis per provincialem vel ejus vicarium, vel priores provinciales per generalem aut ejus vicarium, vel per diffinitores capituli generalis absolvantur.

14. Ordinationes per R. P. Magistrum Guydonem priorem quondam generalem in conventu parysiensi factas præcise prædicto conventui parisiensi revocamus. 15. Item ordinamus quod reverendus pater prior generalis crescente caristia notabili panis et vini seu aliorum victualium, augmentare valeat contributionem pro studentibus per constitutionem ordinatam, prout eidem videbitur expedire. 16. Item statuimus quod per magistrum actu regentem in Universitate quacumque de consilio bachalarii ibidem ordinentur duo fratres bachalarii quorum unus philosophiam moralem legat et alius naturalem. 17. In omnibus autem provinciis ubi generalia studia ordinantur sit studium tam in theologia quam in philosophia. 18. Item statuimus quod quælibet provincia ordinis possit mittere duos studentes ad quodlibet studium generale et ad Angliam dempto studio Parysiensi. 19. Et si contingeret quod studentes missi non essent idonei ad studium ad quæ specialiter sunt per suam provinciam missi, volumus quod (Fol 17b) prior provincialis illius provinciæ possit eos ad alios conventus sive studia particularia suæ provinciæ destinare.

20. Volumus etiam et concedimus provinciæ Scotiæ, quod præter illos duos studentes quos habet mittere ad provinciam Angliæ sicut ceteræ provinciæ ordinis, possit alios duos ad eandem provinciam ad studia pro logicalibus et naturalibus deputata si voluerit destinare. Hoc idem concedimus provinciæ Yberniæ faciendum.

21. Statuimus quod de communi ordinis provideatur legentibus in conventu Romanæ Curiæ viz. annuatim magistro in CL grossis, bachalario legenti sub eodem, vel lectori in LX grossis, legenti philosophiam In XL grossis. 22. Item cuilibet magistro in theologia in prædictis aliis studiis generalibus theologiam legenti, provideatur annuatim de provincia in qua legit in C grossis turonensibus antiquis pro suis

expensis necessariis, ultra communem vitam conventus faciendis. Et idem volumus fieri lectori principali conventus Tholosæ sive fuerit magister sive non. 23. In studiis vero generalibus dempto studio Tholosæ, ubi lector principalis non fuerit magister, provideatur solum in LX grossis eidem, sublectori autem in L grossis, sive lector principalis fuerit magister sive non. Legenti vero ibidem ordinarie philosophiam in XL grossis de eadem provincia provideatur. 24. Scolaribus autem de diversis provinciis ad dicta studia missis provideatur annuatim de XL grossis turonensibus antiquis per provincias a quibus mittuntur, deductis expensis quas facient eundo ad hujusmodi studia et ad suas provincias redeundo. Et teneantur sic missi redire ad suas provincias post triennium etiam non vocati. 25. Item magistris in Anglia dum actu in universitatibus legunt, ultra vitam conventus, provideatur in C grossis antiquis, bachalariis actu legentibus in LXXX, bachalariis actu non legentibus et stantibus in universitate in L. Ceteris autem studentibus prædictarum universitatum Angliæ provideatur in XXX. Prædicta autem provisio fiat cuilibet de distinctione propria et non aliena (1).

26. Statuimus autem quod magistri parisienses in theologia, magistros cujuscumque alterius studii in quocumque loco et actu præcedant et bachalarii bachalarios. Sicut parisiense studium inter cetera tenet principatum. Nisi notabilis excessus puta IV vel V annorum in suo statu magistros et bachalarios aliarum universitatum illis rationabiliter præponeret et præferret. 27. De bachalariis autem Parysius legentibus vel lecturis priori generali auctoritatem committimus, ut eis tam pro suis victualibus quam pro expensis faciendis

(1) Provincia Angliæ ob nimiam suam magnitudinem in quatuor distinctiones seu regiones divisa erat. Nescio utrum aliæ provinciæ similiter dividebantur.

circa cursus de provinciis, de quibus fuerint (Fol. 18 a), providere faciat in expensis. 28. Item dicimus de magistris in generalibus studiis assignatis de provinciis in quibus legunt. Item quod quicumque bachalarius Sententias legerit in quacumque universitate anno proximo sequenti in eodem studio stare censeatur et legere aliquem vel aliquos libros de philosophia naturali vel morali, et sibi provideatur sicut bachalario expectanti.

29. Item statuimus quod cuicumque magistro in theologia tam Parysius quam aliorum studiorum prior localis fratrem honestum pro socio ad suam pacem teneatur assignare. 30. Item præcipiendo mandamus omnibus prioribus provincialibus et localibus et ceteris fratribus cujuscumque gradus fuerint ut in reverentia bona suos habeant magistros, bachalarios et lectores in theologia, quibus magistris, bachalariis, lectoribus actu legentibus, socios assignare teneantur ad ministrandum eisdem. 31. Item statuimus quod magistri, bachalarii et lectores actu legentes semper primam vocem habeant post priorem, nisi subpriorem vicem prioris tenere contigerit vel supplere. Ita tamen quod si contingat omnes istos vel aliquos in conventu aliquo simul manere, senior magister præcedat in voce juniorem et quilibet bachalarius præcedat quemcumque lectorem non bachalarium. 32. In virtute sanctæ obedientiæ inhibemus ne aliquis bachalarius impetret per se vel per alium litteras vel preces quod antiquiorem se in bachalariatu præcedat in magisterio, nisi de assensu capituli generalis vel prioris generalis, quod si fecerit ipso facto loco et voce careat.

33. Item statuimus quod discolus, rixosus aut viciosus, aut aliunde suspectæ et inhonestæ conversationis, non promoveatur ad studium nec intra suam provinciam nec extra, sub pœna depositionis ab officio tam provincialibus tam diffinitoribus, si priores vel lectores fuerint, infligenda.

34. Volumus autem quod omnes scolares ad prædicta studia missi secundum ordinationem sui prioris lectiones audiant magistrorum ac etiam bachalariorum et lectorum, et disputationes et determinationes frequentent, et omnia alia faciant ad studium pertinentia prout per dictum priorem eorum fuerit ordinatum, sub pœna gravioris culpæ per duos dies delinquentibus infligenda.

35. Si autem contingat quod aliquis prædictorum priorum provincialium ad prædictum studium parisiense vel ad alia studia scolarem seu scolares non miserit prout per capitulum generale fuerit ordinatum, volumus quod si per negligentiam prioris provincialis steterit vel ex alia culpa sua, pœna gravioris culpæ secundum exigentiam delicti puniatur. 36. Item statuimus quod magistri, bachalarii et scolares forenses Parysius ac omnium aliorum studiorum generalium eligant socium (Fol. 18b) prioris localis cum fratribus de conventu cum ad capitulum provinciale proximum ante capitulum generale sit eundum ; verum (1) eligi non possunt, sed eligere tantum. In suis autem provinciis eligi poterunt in socios provincialium et diffinitores capituli generalis. Nec aliter sociorum seu diffinitorum habeant potestatem. 37. Liceat autem prioribus provincialibus de assensu diffinitorum capituli provincialis studentes suos Parysius vel ad alia studia generalia missos etiam ante triennium ex causa legitima revocare et tunc alios loco eorum remittere teneantur, prout superius continetur. 38. Item statuimus quod studentes Parysius vel in quibuscumque studiis generalibus ad provincias suas non redeant ante triennium vel terminum nisi de licentia speciali prioris generalis vel provincialis, sub pœna perdendi portionem suam per unum annum. 39. Statuimus quod scolares et bachalarii de Parysius redeuntes vel de aliis studiis gene-

(1) MS habet : nisi.

ralibus non possint ad provincialatus vel prioratus officium eligi vel assumi, quousque legerint alicubi per tres annos. Volumus autem intelligi hoc nisi aliunde competens appareat necessitas. 40. Item statuimus quod lectoribus ad legendum in aliquo conventu assignato expensæ pro se et eorum libris deducendis secundum quantitatem viæ a conventibus ad quos destinati fuerint persolvantur. 41. Nullus autem præsumat alicubi legere publice, vel disputare, seu determinare, nisi licentiatus per priorem generalem vel per capitulum provinciale. Item ordinamus quod nullus pro lectore habeatur nec pecunia pro lectore taxata tradatur eidem, nisi per priorem generalem vel capitulum generale vel capitulum provinciale lector fuerit ordinatus. 42. Et si lectiones et alios actus scolasticos non continuaverit a festo Omnium Sanctorum usque ad Pentecosten, nisi per priorem generalem vel provincialem, vel aliam necessitatem, vel honorem provinciæ a prædicta continuatione fuerit impeditus, de pecunia prædicta nihil recipiat. 43. Item volumus quod in qualibet provincia fratribus capacis ingenii qui in grammatica, logica, philosophia et theologia ad profectum ordinis poterunt erudiri, prior provincialis cum assensu diffinitorum capituli provincialis, locum vel loca ordinet, et de informatore vel lectore provideat, sub pœna gravioris culpæ per sex dies. 44. Et ordinamus quod prædictis lectori, informatori seu magistro per priorem provincialem et diffinitores capituli provincialis aliqua pensio taxetur de communi provinciæ seu de conventibus ubi erunt, pro suo vestiario, quam minime habeant recipere legentes philosophiam et logicalia, nisi disputaverint semel in qualibet septimana, quamdiu durabit studium, s per eorum negligentiam (Fol. 19a) steterit vel defectum. 45. Item volumus de legentibus tractatus et grammaticalia, nisi omni die legibili collationem fecerint cum suis scolaribus,

ut ipsi scolares melius possint proficere et magistri cognoscere si attendant.

46. Item statuimus et firmiter præcipiendo mandamus quatenus in omnibus provinciis decima fideliter, integraliter et indilate colligatur de omnibus annualibus, tricennalibus, oblationibus, obventionibus, procurationibus, testamentis, pitantiis, ac meris donis, vel quibuscumque aliis modis, ad usum cujuscumque conventus venientibus, in pecunia vel in massa, sub pœna gravioris culpæ impedientibus vel prioribus vel custodibus communitatum qui in collectione decimarum negligentes reperti fuerint per X dies infligenda. 47. Si quis autem ex certa malitia decimas non collegerit vel in usus alios converterit quam in illos pro quibus fuerint ordinatæ, sive sit provincialis, sive prior localis, aut cujuscumque alterius conditionis fuerit, pœna proprietariorum rigide puniatur et damnum illatum ad plenum restituere teneatur. 48. Quicumque autem scolaris decimas receperit sive libros scolasticos et in usus illicitos converterit, recepta restituere cogatur, et pœnam gravioris culpæ sustineat per X dies ex condigno, et de cetero a decimarum susceptione sit suspensus. 49. Decima autem sic collecta per priorem provincialem et diffinitores capituli provincialis integraliter scolaribus tribuatur, prout discretius et consultius poterit ordinari. Ita tamen quod scolaribus Parysius et ad illa studia generalia missis primitus sit provisum. Deinde quod residuum fuerit magistris, bachalariis, lectoribus et scolaribus infra provinciam existentibus distribuatur. 50. Si autem aliqua provincia loco decimæ taxationem præeligat, eidem concedimus. Ita tamen quod taxatio proportionetur decimæ consuetæ. Quod si non factum fuerit volumus quod prior generalis possit et debeat pecuniam hujusmodi ad solvendum consuetam decimam coarctare. Poterit autem prior generalis conventus deputatos ad tenendum studia generalia eximere a decima et taxatione

solvenda, propter onus studii quod habebunt, si sibi visum fuerit expedire.

RUBR. XVII. DE OFFICIO PRIORIS GENERALIS.

1. Prior generalis toto ordine per electionem canonicam capituli generalis habeatur, cujus electio cum solo consensu est sua confirmatio. 2. Confirmatus autem de provincia ad provinciam et loco ad locum infra provincias fratres libere transferre poterit sine contradictione cujuscumque. 3. Privilegia autem et quæcumque alia de provincia ad provinciam et de loco ad locum ex causa rationabili transferre poterit, cum sibi videbitur expedire (Fol. 19b). Ita tamen quod de hujusmodi receptione et translatione his a quibus recipiuntur literas faciat fieri testimoniales et patentes, et privilegia vel res aliæ sic translatæ loco vel provinciæ, a quo vel a qua sunt translatæ, restituantur, quam cito fieri poterit bono modo. 4. Item prior generalis in quibuscumque capitulis generalibus, provincialibus vel localibus per se vel per vicarios seu visitatores suos habeat præsidere, nisi quando culpas suas habet dicere et diffinitores de eo tractare. Et excepto quod vicarius prioris generalis missus ad capitulum generale facto scrutinio in dicto capitulo præsidere non habet. 5. Culpas priorum provincialium et localium ac aliorum subditorum audire et corrigere, visitationis officium facere, compota in quibuscumque capitulis recipere, tam priores provinciales quam locales pro manifesta et notabili inobedientia vel rebellione quæ secundum testimonium capituli localis vel capituli provincialis rationabiliter excusari non poterit, vel pro omnibus pro quibus quis carcerem meruerit vel alias juste locum et vocem amiserit, de quo confessi vel convicti fuerint, convocatis duobus vel tribus prioribus de conventibus vicinioribus, ab officio absolvere

poterit sine contradictione cujuscumque. 6. Studentes de quibuscumque provinciis ad generalia studia libere mittere vel licentiare, nisi [per] capitulum provinciale determinaverit de mittendis. Si tamen aliquem insufficientem vel inutilem mitteret, prior generalis revocandi vel remittendi liberam habeat potestatem. 7. Priores locales ex causa utili et necessaria quandocumque sibi placuerit absolvere. Ita quod conventus eligendi alium habeat potestatem, quem ipse prior generalis prout sibi placuerit per se vel per alium habeat confirmare. Et si conventus in electione hujusmodi tertia vice concordare nequiverit prior generalis prout sibi placuerit de priore poterit providere. 8. Poterit etiam fratres ad hoc utiles et aptos ad prædicandum et confessandum et ad legendum licentiare et nolentes cum sibi placuerit coartare. 9. Item prior generalis poterit priores provinciales instituere et destituere, consentiente majori et saniori parte capituli provincialis, ex causa rationabili quæ priori generali rationabilis apparebit, cum sibi videbitur expedire. 10. Item poterit literas de beneficiis seu confraternitatis pro toto ordine concedere. 11. Fratres cujuscumque provinciæ ab excommunicatione absolvere et cum irregularibus dispensare secundum tenorem privilegii Sedis apostolicæ sibi dati. Item poterit fugitivos cujuscumque provinciæ ad ordinem libere recipere, ita tamen quod ad provincias de quibus fugerant remittantur et a suis (Fol. 20 a) provincialibus pœnitentiam condignam recipiant pro commissis. 12. Poterit etiam in quibuscumque provinciis novitios recipere, receptos professare, professos ad ordines mittere, sine assensu vel contradictione cujuscumque. 13. Poterit etiam prior generalis locum capituli generalis vel provincialis mutare et terminum statutum urgente necessitate abbreviare vel elongare, prout sibi videbitur expedire. Et priores provinciales et locales et eorum vicarii in præmissis sibi teneantur obedire. 14. Item poterit literas dimissorias conce-

dere fratribus quibuscumque instanter petentibus ut possint ad ordinem paris arctitudinis vel majoris se transferre. 15. Locum et vocem his qui ea perdiderunt restituere secundum formam inferius expressam, nisi scandala notabilia vel alia commiserunt propter quæ cum eis per solum generale capitulum merito debeat dispensari. Et omnia alia facere quæ priores provinciales in suis provinciis facere poterunt, locales in conventibus in quibus præsunt, et quæ sibi per constitutiones ordinis reservantur, aut per patentes literas capituli generalis committuntur seu conceduntur. 16. Non tamen vicarium seu vicarios vel visitatores ad visitandum aliquam provinciam mittat nisi per priorem provincialem vel per capitulum provinciale fuerit super hoc specialiter requisitus, aut illam sciat alias indigere.

RUBR. XVIII. DE OFFICIO PRIORIS PROVINCIALIS.

1. Priores vero provinciales auctoritatem habent per se vel per alios in suis provinciis novitios recipiendi, receptos professandi, professos ordinandi, fugitivos suæ provinciæ ad misericordiam recipiendi, excommunicatos pro violenta injectione manuum absolvendi, literas confraternitatis concedendi, provinciam personaliter visitandi, et defectus tam priorum quam subditorum corrigendi, visitationem vel correctionem per alios faciendi, si ipse personaliter accedere non valeret, et periculum cerneret imminere, fratres de conventu ad conventum amovendi, privilegia vel quascumque res alias de conventu ad conventum transferendi, data super hoc litera testimoniali conventui a quo talia transferuntur, ut eidem conventui restituantur, quo fieri citius poterit bono modo. 2. Poterunt etiam priores locales absolvere, si culpa eorum hoc requirat et a majori et saniori parte conventus super hoc fuerint requisiti. Item statuimus quod priores qui ea quæ ad

officium pertinent scil. chorum, refectorium et capitulum regulariter non sequuntur, ab eorum officiis per priores provinciales absolvantur, sub pœna depositionis ab officio provincialatus, nisi forsan propter antiquitatem vel infirmitatem excusantur judicio provincialis. 3. Poterunt etiam in (Fol. 20b) pœnitentiis misericorditer dispensare, vel remittere, et omnia alia facere quæcumque priores locales in suis conventibus facere possent vel deberent. 4. Omnibus tamen prioribus provincialibus districte præcipimus et mandamus, quatenus in suis capitulis provincialibus fratres deputent qui de cantu ecclesiastico ubi opus fuerit alios habeant informare. 5. Item committimus prioribus provincialibus quod in proximis capitulis provincialibus post generalia capitula de diffinitorum consensu fratres quoscumque dispensatione generalis capituli juxta constitutiones tam de loco et voce, quam de officiis, diffinitionibus, et studiis indigentes habilitare valeant.

RUBR. XIX. DE OFFICIO PRIORIS LOCALIS.

1. Priores autem conventuales habeant subditos suos corrigere et admonere, regulam et constitutiones ordinis clericis et laicis, novitiis et professis, per se vel per alios exponere in capitulo vel refectorio. Regulam et constitutiones sextis feriis legi facere ut ab omnibus intelligantur. Caveant tamen ne in præsentia sæcularium vel aliorum regularium secreta vel indecentia aliqua legantur. 2. Portam per se vel per alium custodire vel custodiri facere. Conventuales suos quotiens sibi visum fuerit visitare. Computum de receptis et expensis a recipientibus et expendentibus recipere. De bonis communibus per assensum trium fratrum in conventu electorum ordinare, quos si in agendis in aliquo dissentire contigerit, ad assensum majoris et sanioris partis conventus recurratur, et secundum eorum assensum ordinent et disponant, quod si

non fecerint vel in faciendo negligentes reperti fuerint, in præsentia superiorum suorum secundum exigentiam delicti graviter puniantur.

RUBR. XX. DE OFFICIO SUBPRIORIS.

1. Statuimus insuper, ut in quolibet conventu ubi fuerint XIIII fratres professi sive plures subprior per electionem habeatur, quod si conventus in electione hujusmodi tertia vice concordare nequiverit, prior generalis vel provincialis in absentia generalis, et localis in absentia provincialis, poterunt, prout eis placuerit, providere, qui conventum in absentia prioris regat, corrigat et sequatur et alia faciat quæ ad regimen conventus pertinere dinoscuntur. 2. Si vero prior domum exiverit aut ad capitulum provinciale vel ad terminos iverit, ipso priore absente et subpriore præsente, nullus alius vicarius eligatur, nisi ipse subprior in socium prioris provincialis ad capitulum generale ituri eligatur, vel in socium prioris localis ituri ad capitulum (Fol. 21a) provinciale, et hæc et alia faciat secundum dispositionem sui prioris, nec in aliquo usque ad suum reditum poterit aliter ordinare.

RUBR. XXI. DE OFFICIO SACRISTÆ.

1. In quolibet conventu per priorem et conventum sacrista per electionem habeatur. Idem autem de sacrista quoad electionem volumus quod de subpriore est expressum. 2. Qui quidem sacrista res ecclesiasticas honeste custodiat et de ministerio sacristiæ ac de rebus ejusdem parandis seu reparandis, libris, vestibus et calicibus ac aliis rebus pro sacristia necessariis de consilio prioris ordinet et disponat.

RUBR. XXII. DE OFFICIO TRIUM CUSTODUM.

1. In quolibet autem conventu eligantur tres fratres providi et discreti, qui bona conventus cum priore custodiant, et

recipienda recipiant, et expendenda expendant, et mutuanda mutuent, et solvenda solvant, et exponenda exponant, et alia faciant et ordinent cum priore, quæ ad regimen domus et custodiam bonorum communium dinoscuntur pertinere. 2. Inhibemus autem ne prior localis vel subprior vel aliquis trium custodum aliquid nomine communitatis recipiat infra septa loci, vel ordinet, vel expendat, nisi duo custodes conjungantur, vel prior aut subprior associato sibi altero eorundem. Si autem nullus custodum haberi poterit accipiat alium fratrem de conventu fide dignum, nec aliquid expendat aut alienet de receptis, sub pœna proprietariorum infligenda, nisi infra biduum hoc custodibus vel conventui manifestet. 3. Volumus autem quod priores locales de capitulis provincialibus redeuntes vel in suis conventibus de novo instituti officiales conventus de novo eligi faciant vel confirmari, et eos absolvere possint propter sua demerita vel si alias inutiles fuerint, quando sibi videbitur expedire.

4. Item statuimus quod quicumque frater ordinis nostri assumptus fuerit ad officium pœnitentiarii Domini Papæ aut episcopatum quemcumque, sive ad quodcumque aliud extra ordinis obedientiam, eo ipso ab omni officio quod infra ordinem tenebat sit absolutus.

RUBR. XXIII. DE CAPITULIS ET PRIMO DE CAPITULO GENERALI.

1. Omnes priores provinciales et vicarii provinciales per provinciale capitulum electi, mortuis seu absolutis provincialibus, vel assumptis, veniant ad capitulum generale, singuli cum duobus sociis in suis capitulis provincialibus rite et canonice electis, qui fratrum omnium vocem et autoritatem habeant ad ea quæ in capitulo generali sunt agenda, tamquam si omnes personaliter interessent. 2. Quorum etiam trium unus in capitulo provinciali eligatur in diffinitorem

capituli (Fol. 21 b) generalis. Et secundus si primum abesse contigerit in eodem capitulo habendus diffinitor, ut altero alteri succedente saltem ex tribus unus in capitulo officium diffinitionis valeat exercere. Non obstante quod in proximo capitulo generali fuerit diffinitor. Et si in eodem capitulo aliquem ex diffinitoribus in generalem eligi contigerit secundus pro diffinitore in dicto capitulo habeatur. 3. Statuimus autem quod provincialis absolutus qui ante absolutionem vel resignationem fuerat electus in diffinitorem capituli generalis, remaneat et admittatur ut diffinitor, nisi aliter fuerit inhabilis et ineptus, vel nisi contingeret quod post hujusmodi absolutionem vel resignationem fieret electio prioris seu vicarii provincialis, quia in illo casu volumus quod fieret electio de omnibus quæ spectant ad capitulum generale. 4. Inhibemus in virtute sanctæ obedientiæ ne aliquis prior provincialis vel vicarius vel eorum socii a capitulo generali quacumque simulatione se audeant absentare, nisi eos gravi infirmitate vel debilitate contigerit detineri.

5. Cum autem priorem provincialem aliquem, vel talem vicarium provincialem infra suam provinciam taliter contigerit detineri, provinciam custodiat vel custodiri faciat quousque a capitulo generali literatorium habuerit mandatum, retinens secum sigillum vicarii et eo utaturus, et sigillum officii provincialatus mittat per socios suos ad capitulum generale sigillatum sigillo communi capituli provincialis publice coram fratribus illius capituli, vel sigillo conventus in quo post capitulum provinciale infirmitate vel alia causa rationabili ipsum contigerit detineri. Idem etiam de priore conventuali et suo sigillo, sigillatione et socio similiter observetur.

6. Priores autem provinciales et socii prædicti venientes ad capitulum generale, deferant secum aliquam eleemosinam quæ ipsis eundo et redeundo sufficiat in expensis, quæ expensæ a diffinitoribus capituli provincialis debent rationabi-

liter taxari secundum itineris qualitatem et quantitatem. Volumus tamen quod si priorem provincialem quemcumque vel aliquem sociorum suorum a capitulo generali remanere contigerit, pecuniam sibi taxatam integraliter restituere teneatur. 7. Prior autem generalis si ad capitulum generale venire non possit infirmitate vel alia justa causa impeditus, mittat socios suos et sigillum suum et privilegium de potestate sua et diffinitorum capituli generalis sigillo provinciæ vel sigillis prioris et conventus in quo infirmatur munitum, per priorem provincialem illius provinciæ in qua ipsum contigerit impediri. 8. Statuimus (Fol. 22 a) autem quod absente et vivente priore generali si vicarium mittat ad capitulum generale, ille vicarius usque ad factum scrutinium præsidebit et exinde præsideat antiquior provincialis secundum ordinem provinciarum, donec prior generalis fuerit confirmatus.

9. Si vero nullum vicarium miserit, antiquior provincialis secundum ordinem provinciarum, in scrutinio et in omnibus aliis donec prior generalis fuerit confirmatus, toti capitulo præsidebit. 10. Mortuo autem priore generali vel assumpto, seu alias ab officio amoto, prior provincialis vel vicarius illius provinciæ per capitulum provinciale ante vacationem generalatus electus, si provincialis illius provinciæ ubi capitulum generale fuerat ordinatum, mortuus fuerit, depositus vel assumptus, seu alias legitime ab executione sui officii impeditus, sit vicarius generalis totius ordinis, et fungatur auctoritate plenaria prioris generalis et præsideat in capitulo generali donec prior generalis sit electus et confirmatus. 11. Ita tamen quod infra annum post obitum prioris generalis per prædictum priorem provincialem seu vicarium pro eligendo priore generali capitulum generale convocetur. Si terminus ordinatus per præcedens capitulum generale, illo tunc multo plus distaverit quam per annum, nisi forte prior generalis tali tempore anni moreretur, aut forte aliunde vaca-

ret generalatus officium, quod propter discretionem etiam temporis infra annum dictum capitulum convenienter celebrari non posset, tunc enim de bonorum fratrum consilio prout expedire videbitur etiam ultra annum ad tres menses vel quatuor tempus ipsius generalis capituli poterit prolongari.

12. Si autem illa tunc prædicta provincia priorem provincialem vel vicarium sic electum (non) habuerit, prior localis vel vicarius electus illius conventus in quo proximum provinciale capitulum dictæ provinciæ fuerat assignatum, vel habens primam vocem in dicto conventu si priorem vel vicarium non habuerit, provinciale capitulum habeat citissime convocare. In quo ad electionem diffinitorum et prioris provincialis vel vicarii provincialis in Dei nomine procedatur, prout in Rubrica de capitulo provinciali paragrapho *Mortuo priore provinciali* plenius continebitur. Et ipse qui fuerit electus et confirmatus in priorem provincialem vel vicarium dictæ provinciæ, ipso facto ut præmissum est, sit totius ordinis Vicarius generalis, et antequam prædictum provinciale capitulum terminetur, eligantur socii et diffinitores pro capitulo generali et per vicarium prædictum generale capitulum ut supra dictum est convocetur. 13. Si vero ille vicarius mortuus fuerit vel assumptus seu ab executione sui officii legitime impeditus, prior localis vel vicarius per conventum electus in cujus domo capitulum generale debet celebrari prædictam habeat (Fol. 22 b) auctoritatem usque ad capitulum congregatum, et ex tunc senior provincialis secundum ordinem provinciarum præsideat usque ad electionem factam prioris generalis et eundem habeat confirmare. 14. Districte autem inhibemus ne vicarius prioris generalis mortui vel assumpti aliquid faciat dum præsidet quod cedat in præjudicium vel detrimentum aliquarum provinciarum. Prior autem provincialis in cujus provincia prior generalis

obierit, post capitulum provinciale accipiat sigillum, quod fuerat prioris generalis defuncti, et coram conventu loci concludat illud cum sigillo conventus et fideliter custodiens deferat illud ad capitulum generale proximo celebrandum, ducens secum socios prioris generalis jam defuncti, quibus debet communitas ordinis in expensis providere. 15. Statuimus autem et in virtute Spiritus sancti præcipimus et mandamus ut ubicumque prior generalis obierit vel assumptus fuerit, seu ab officio amotus, semper in capitulo generali proximo alterius electio celebretur antequam aliquid de diffinitione fiat juxta formam in Rubrica de electionibus ordinatam.

16. Item statuimus quod confirmato priore generali absente, ibidem noviter electo, sive prius existente, unus de diffinitoribus, antiquiore provinciali secundum ordinem provinciarum præsidente, a toto generali capitulo eligatur, ita quod qui plures voces habuerit sit vicarius et toti capitulo deinceps præsideat donec fuerit terminatum, et talis vicarius tempore quo præsideat capitulo generali utatur sigillo vicarii capituli generalis, quod quidem sigillum una cum communi sigillo capituli generalis ipso capitulo celebrato includatur. 17. Prior generalis socios habeat competentes a diffinitoribus capituli generalis assignatos, quorum si alterum vel utrumque deficere contigerit, sive mori, prior generalis alium vel alios idoneum vel idoneos, secundum quod sibi videbitur expedire usque ad proximum generale capitulum assumat. 18. Et debet tantummodo de prioribus provincialibus vel eorum vicariis cum suis sociis, et priore generali cum duobus sociis, vel ejus vicario seu visitatore cum unico socio, et procuratore generali Romanæ curiæ si præsens fuerit, generale capitulum celebrari.

19. Nullus intret capitulum generale nisi prius compleverit tres annos in nostra religione, anno probationis computato, nec etiam aliquis laicus seu voce carens.

20. Statuimus quod in quolibet loco totius ordinis die capituli generalis missa de Sancto Spiritu celebretur. Et durante capitulo pro animabus fratrum, familiarium et benefactorum et illorum qui literas confraternitatis habuerint, missa Defunctorum celebretur. Idem fiat capitulo provinciali durante in singulis conventibus illius provinciæ in qua prædictum capitulum celebratur.

21. Item statuimus (Fol. 23 a) quod nullus ad locum capituli generalis vel provincialis veniat ante vigiliam vigiliæ cum generale vel provinciale capitulum debet in crastino celebrari.

De inceptione Capituli.

22. Cum dies assignata capituli advenerit i. e. in vigilia ipsius festi, non obstante alicujus vocati quacumque occasione se absentantis absentia, capitulum generale celebrabitur sub hac forma. Primo dicatur solemniter Missa de Spiritu Sancto. Secundo fiat sermo, et post sermonem fiat commemoratio fratrum, familiarium, benefactorum, patronorum, et literas confraternitatis habentium in singulis provinciis citra proximum præcedens capitulum generale defunctorum. Et dicatur Ps. *De profundis. Pater noster.* Et præsidens dicet *Et ne nos.* ℣. *A porta inferi.* ℣. *Credo videre bona Domini. Dnus vobiscum. Oremus. Absolve.* Statim incipiatur hymnus *Veni creator spiritus,* quem prosequatur totum capitulum. Deindo cantato hymno dicatur *Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater nr. Et ne nos.* ℣. *Emitte spiritum tuum et creabuntur. Oremus. Deus qui corda fidelium.* Quibus dictis statim exclusis omnibus non vocatis primo fiat scrutinium utrum omnes canonice venerunt. Quod si quis aliter venerit non intersit capitulo seu agendis. 23. Et tunc ad electionem prioris generalis, si non habetur, ante omnia alia procedatur. Si vero prior generalis præsens fuerit, sigillum officii sui cum privi-

legio suo et diffinitorum, diffinitoribus reddat humiliter et devote. 24. Deinde audiant diffinitores culpas prioris generalis diffinitore illius provinciæ in qua capitulum generale celebratur præsidente, diligenter determinantes utrum fuerit in officio permittendus an absolvendus.

25. Generalis absolutus potest eligere sibi provinciam ad manendum de tota nostra religione et in ea conventum unum quem voluerit. Ita tamen quod si in eadem provincia de conventu ad conventum ire voluerit, hoc faciat de sui provincialis licentia speciali. Conventus autem ad quos declinaverit ipsum recipiant reverenter. Ita tamen quod in eundo et redeundo sibi non provideant in expensis, sed in necessariis suis infra conventum provideant competenter.

26. Statuimus autem quod priori generali absoluto fiant expensæ de communi ordinis a loco capituli generalis usque ad conventum quem elegerit ad manendum. Et hoc idem sociis suis (Fol. 23 b) si cum priori generali remanserint. Si autem prior generalis debet absolvi ei pro culpis pœnitentia injungatur. Ipsi quoque diffinitores super excessus prioris generalis de eo corrigendo vel penitus amovendo plenam habeant potestatem et eorum sententia inviolabiliter ab omnibus observetur. Ita quod nemini ab eorum sententia liceat appellare et si appellatum fuerit ipsa appellatio frivola et nulla habeatur. Appellationem enim a correctione regulari in nostra religione in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis penitus inhibemus, cum non venerimus contendere sed delicta corrigere et propriæ renuntiare voluntati. Qui autem contrarium fecerit ab omnibus actibus legitimis ordinis ipso facto perpetuo sit exclusus, et confestim per superiorem suum carceri sine contradictione aliqua mancipetur in eodem mansurus quousque per generale capitulum cum eo post tres annos fuerit misericorditer dispensatum. Idem de his qui appellantibus consentiunt vel

appellationes defendunt per omnia volumus observari. Si aliqui officio aliquo præsideant eo ipso officio suo sint privati nec aliquis eis ulterius obedire teneatur. 27. Prior autem generalis id quod in capitulis generalibus statutum vel ordinatum fuerit cassare vel irritare non poterit. Sed in exemplum aliorum illud diligenter tenebitur observare, et ad ejus observationem alios efficaciter inducere et coarctare. 28. Poterunt tamen prior generalis et prior provincialis super pœnitentiis injunctis vel injungendis misericorditer dispensare et totum vel partem prout placuerit relaxare. 29. Item prior generalis vel Vicarius generalis cum diffinitoribus capituli generalis de instituendis vel mutandis prioribus provincialibus et de aliis diffiniendis in capitulo generali plenam habeat potestatem. Et si prior generalis vel vicarius et diffinitores in aliquo discordaverint et in partes inæquales se diviserint, sententia plurium prævalebit, et si in partes æquales sint divisi eorum sententia prævalebit quibus prior generalis vel vicarius concordabit. 30. Ordinantes etiam quod per generale capitulum instituantur priores locales in conventibus Parysius et Romanæ curiæ, et non possunt absolvi ab officio nisi per priorem generalem vel ejus vicarium. Ita tamen quod in omnibus aliis subdantur suis prioribus provincialibus sicut alii priores subduntur. 31. Statuimus quod priores provinciales culpas suas dicant in capitulo generali coram priore generali vel ejus vicario vel visitatore cum ad visitandum venerit, et ab (Fol. 24 a) eo pœnitentiam recipiant pro commissis.

De fine Capituli

32. Volumus autem quod statim dum in generali capitulo tabula legenda fuerit, priores provinciales et priores locales Curiæ Romanæ et conventus Parysius, et in provinciali capitulo priores locales similiter omnes absolvantur, qui statim

sigilla cum litteris officiorum præsidenti reddere non omittant. In fine vero capituli generalis omnibus diffinitis coram toto capitulo denuntiatis, et pœnitentiis injunctis, ac ceteris sententiis promulgatis, prior generalis vel ipso absente præsidens capitulo prædicto et diffinitores, priores provinciales et priores locales Curiæ Romanæ et conventus Parysiensis, necnon et procuratorem Curiæ Romanæ jam ex diffinitione ordinatos, publice constituant, eis officia sua injungendo prout communi utilitati nostræ religionis videbitur expedire. Quibus dari volumus literas testimoniales de injunctis sibi officiis sigillis capitulo præsidentis et diffinitorum impendenti-(bus) munitas, et cum his sigilla pertinentia ad officia supradicta. 33. Deinde fiat commemoratio vivorum fratrum, familiarium ac benefactorum et literas confraternitatis religionis nostræ habentium, per singulas provincias discurrendo et eorum qui in aliqua eleemosina capitulum generale visitarunt, et dicant Ps. *Ad te levavi.* ℣. *Salvos fac servos tuos et ancillas tuas.* ℣. *Esto eis Dne turris fortitudinis.* ℣. *Nihil proficiat.* ℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix. Dne exaudi. Dnus vobiscum.* Oratio. *Prætende Dne famulis et famulabus tuis..... assequantur. Deus qui caritatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis et famulabus tuis pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant et quæ tibi placita sunt tota dilectione perficiant. Adesto Dne supplicationibus nostris et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter hujus viæ vitæ varietates tuo semper protegantur auxilio. Protege Domine.* Deinde prostratis fratribus fiat communis confessio et absolutio et perseverantibus Dei benedictio.

RUBR. XXIV. DE CAPITULO PROVINCIALI. (Fol. 24 b)

1. Capitulum provinciale singulis annis celebretur, ad quod omnes priores locales et vicarii priorum mortuorum,

assumptorum, vel absolutorum, si per conventum fuerint electi, et procuratores novorum locorum, ubi locum habemus et fratres numerum quaternarium excedentes, venire teneantur, singuli cum uno socio in suis capitulis rite et canonice electo, qui fratrum omnium vocem et auctoritatem habeat ad ea quæ erunt in capitulo provinciali facienda tamquam si omnes personaliter interessent. 2. Statuimus autem quod quilibet prior conventualis portet secum sub sigillo conventus ad capitulum provinciale in scriptis, suo sciente socio, res notabiles, debita et statum domus priori provinciali et diffinitoribus præsentanda, qui omnia redigant in scriptum unum, quod prior provincialis secum portet in visitatione et scripta talia prioribus localibus reddere non omittat. 3. Semper autem priores provinciales singuli unum socium e diffinitoribus capituli provincialis habeant assignatum, quem si mori vel deficere contigerit vel alias rationabiliter impediri, alium suæ provinciæ idoneum sibi associet secundum quod ei videbitur expedire. 4. Nullus intret capitulum provinciale nisi compleverit tres annos in ordine a sua professione, nec etiam laicus, nec loco et voce carens, nec aliquis socius prioris vel vicarii seu procuratoris, qui ante recessum sui majoris de conventu ad capitulum per octo vel plures dies fuerit electus in socium ipsius. Et debet tantummodo capitulum provinciale celebrari ex prioribus localibus et vicariis electis per conventum priorum mortuorum, assumptorum, vel absolutorum, et novorum locorum procuratoribus, et eorum sociis, cum priore provinciali et unico ejus socio. 5. Tamen prior generalis cum duobus sociis vel ejus vicarius sive visitator cum unico socio poterunt interesse. Et prior generalis vel ejus vicarius vel visitator cum intersint debent præsidere. 6. Prior etiam generalis absolutus, si ad capitulum provinciale venire voluerit, sit de gremio dicti capituli, nec tamen diffinitor esse po-

terit, nisi ad diffinitionem sit electus. 7. Item statuimus quod socii priorum provincialium de capitulo generali redeuntes etiam dato quod non interfuerint generali capitulo, si fecerint quod in se fuerit, ut venirent ad capitulum generale, et legitimo impedimento, puta infirmitate, deprædatione vel consimili, quæ judicare habet provinciale sequens capitulum, si detenti fuerint, una cum socio sibi per capitulum provinciale dato vel assumpto. 8. Et priores provinciales seu vicarii in generali capitulo absoluti, una cum vicario, qui tempore capituli generalis provinciam custodivit seu debuit custodire (Fol. 25 a) etiam dato, quod prior provincialis non iverit ad capitulum generale, capitulum provinciale proximo celebrandum in sua provincia post capitulum generale ingrediantur et eligere in ipso capitulo valeant et eligi et aliis agendis interesse, nisi impedimentum aliud legitimum patiantur.

9. Cum autem dies assignata venerit, de omnibus fiat ut dictum est supra in Rubrica de capitulo generali usque ad scrutinium terminatum. Statuimus autem, quod facto scrutinio sociorum antequam ad electionem diffinitorum procedatur, præsidens capitulo culpas priorum localium audiat accusationesque conventuum recipiat, quæ in præsentia omnium qui fuerint de gremio recitentur. 10. Depositiones et non propria nomina culpas testificantium exprimendo, nisi evidens necessitas hoc requirat, ut si quæ fuerint culpæ notabiles inter illas, propter quas locum et vocem amiserint ipso facto a prædicto capitulo excludantur, nec aliqua alia eisdem pœnitentia pro prædictis culpis noviter injungatur, donec per provincialem et diffinitores dicti capituli cum fuerint electi exstiterint pertractatæ. 11. Quibus auditis, et ejectis ejiciendis, ad electionem diffinitorum procedatur juxta formam in Rubrica de electionibus ordinatam. Cum autem diffinitores fuerint electi, prior pro-

vincialis coram prædictis diffinitoribus dicat culpas suas et accusationes conventuum audiat et pœnitentiam pro commissis recipiat humiliter et devote. Et si prior provincialis quicumque partialis inveniatur, sic quod affectione quacumque deprimat vel non promoveat bonos, malos autem vel minus dignos promoveat vel exaltet, volumus quod si hoc diffinitoribus et majori ac saniori parti capituli pateat evidenter, ipsi diffinitores talem provincialem absolvere teneantur.

12. Item si diffinitoribus et majori parti capituli videatur, quod prior provincialis tales expensas faciat, per quas provincia excessive et notabiliter sit gravata, dicti diffinitores talem provincialem absolvere teneantur. Et tunc totum capitulum provinciale alium canonice eligat, quem præsidens habeat confirmare.

13. Prior autem provincialis una cum diffinitoribus capituli provincialis culpas jam auditas priorum localium et accusationes conventuum jam receptas et aliorum fratrum excessus notabiles, si qui ibidem fuerint corrigendi, examinent et pœnitentias eis injungat pro commissis.

14. Volumus etiam quod priores provinciales et diffinitores possint libere priores locales absolvere et alios instituere secundum quod eis videbitur expedire. Item nullus prior pro suis demeritis notabilibus et præcipue scandalosis in visitatione cujuscumque præsidentis seu in provinciali capitulo a suo absolutus (Fol. 25b) officio, in eodem aut in sequenti capitulo in eodem loco vel alibi per quemcumque prioretur.
15. Item statuimus quod nullus qui in sacris ministrare non valet ad curam animarum aliquatenus assumatur.

16. Debent etiam negotia provinciæ in capitulo provinciali pertractari, corrigi et ordinari, et poterunt ibidem ordinationes provinciæ specialiter necessariæ, Regulæ, privilegiis et constitutionibus capituli generalis non contrariæ, constitui et ordinari, ad minus de capitulo ad capitulum duraturæ. 17. Po-

terit etiam prior provincialis de assensu diffinitorum capituli provincialis, in capitulo provinciali solum vocem et locum carentibus restituere his, qui sine scandalo sæcularium perdiderunt, quorum dispensatio de statuto non reservatur capitulo generali. Verumtamen in proximo capitulo provinciali post capitulum generale poterit provincialis de diffinitorum assensu fratres quoscumque dispensatione generalis capituli juxta constitutiones tam de loco et voce, quam de officiis, diffinitionibus et studiis indigentes, habilitare si ei visum fuerit expedire.

18. Mortuo autem priore provinciali cujuscumque provinciæ, vel deposito, seu assumpto, statim mors seu casus ejus per priorem in cujus conventu vel terminis hoc ei contigerit, significetur priori vel vicario domus per electionem facto in qua capitulum provinciale fuerat assignatum. Et ille competenti festinatione capitulum provinciale convocet et in ipso præsideat quousque diffinitores sint electi. Si vero conventus prædictus priorem vel vicarium talem [illo] tunc non habuerit, habens primam vocem in illo conventu prædictum provinciale capitulum festinanter habeat convocare, in quo antiquior prior ipsius provinciæ secundum ordinem conventuum habeat præsidere quousque diffinitores sint electi. Electo tamen primo in ipso conventu vicario, etiam discreto pro capitulo provinciale, præsidente dicto priore. Deinde præsidente primo diffinitore, nisi prior generalis vel ejus vicarius præsens esset, ad electionem prioris provincialis vel vicarii procedatur, prout in capitulo de electione plenius continetur, qui rite electum habeat confirmare. Si vero unum ex diffinitoribus eligi contigerit in provincialem vel vicarium [eligatur], secundus habeat eum confirmare, nisi in electo et electoribus vel electione evidens error appareat, quem errorem per diffinitores capituli decrevimus judicandum.

19. Si vero absentem contingat eligi in priorem provincialem vel vicarium, volumus quod per litteras sigillatas sigillo communi provinciæ a præsidente ejus electio confirmetur. 20. Quando autem prior provincialis iturus est ad capitulum generale, electis diffinitoribus et ipsis præsidentibus, culpæ prioris provincialis in ejus præsentia audiantur et si quæ (Fol. 26 a) fuerint notabiles et negatæ per eum, in ejus absentia diligenter examinentur et dum sufficienter probatæ fuerint in scriptis redigantur, ut per suos socios priori generali ac diffinitoribus capituli generalis sub sigillo communi provinciæ præsententur.

21. Volumus nihilominus quod prædictæ litteræ per unum de diffinitoribus in capitulo provinciali legantur et sigillentur in præsentia prioris provincialis et dicti capituli provincialis, ita dumtaxat quod nomina testificantium culpas ipsius provincialis sibi non exprimantur, et quod eidem detur copia de culpis suis postquam litteræ fuerint sigillatæ. Caveant tamen diffinitores capituli provincialis culpas provincialis jam absentati in eodem capitulo examinaturi, ne aliquam accusationem in scriptis recipiant, nisi per personas fide dignas probata fuerit sufficienter.

22. Cum autem culpæ prioris provincialis sic examinatæ fuerint, eligantur sibi de tota provincia duo socii, et statim de priore provinciali et duobus sociis electis primus et secundus diffinitor pro capitulo generali eligatur. Ita quod nullus sit diffinitor in duobus capitulis immediate succedentibus nisi in casu prænotato. Prædictis autem sociis dentur literæ testimoniales super electione diffinitorum et sociorum prædictorum per diffinitores capituli provincialis, et super constituendis et amovendis in capitulo generali, sub communi sigillo capituli provincialis, et etiam de culpis provincialis. 23. Electis vero sociis et diffinitore pro capitulo generali statim vicarius ad custodiendam interim provinciam loco

provincialis eligatur. Quo electo prior provincialis pro casu fortuito auctoritate sua alium substituat, qui primi deficientis vel infirmi vices suppleat et auctoritatem habeat ad quæcumque, nec tamen sit præsidens, vel aliquid ordinet vel faciat contra ordinationem vel præceptum prioris provincialis, vel aliquid mutet de statu provinciæ, absque maxima necessitate et consilio saniorum, quousque a capitulo generali de institutione ipsius vel alterius mandatum habuerit speciale. Et ex tunc ab omni executione officii cesset indilate, sub pœna gravioris culpæ secundum qualitatem et quantitatem suorum excessum sibi injungendorum. 24. Idem de subprioribus et aliis fratribus vices alicujus prioris ad tempus gerentibus per omnia volumus observari. 25. De publicatione vero ordinatorum per diffinitionem et commissione officiorum cum litteris et sigillis ac commendatione vivorum fiat sicut in fine Rubricæ Capituli generalis signatur.

RUBR. XXV. DE TERMINATIONE CAPITULI GENERALIS ET PROVINCIALIS.

1. Terminabitur autem utrumque capitulum sic: Præsidens vel cantor incipiat *Te Deum laudamus* eundo ad ecclesiam et fratres ceteri prosequantur. Quo finito dicatur *Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater noster.* Et prælatus stans in stallo suo dicat *Et ne nos.* (Fol. 26 b) ℣ *Emitte spiritum tuum.* ℣. *Manda Deus.* ℣. *Salvos fac servos.* ℣. *Ora pro nobis sancta Dei genitrix.* ℣. *Domine exaudi.* ℣. *Dominus vobiscum. Oremus. Deus qui corda. Omnipotens sempiterne Deus qui facis mirabilia. Deus virtutum. Protege Domine famulos tuos.*
Quibus completis fiat generalis absolutio, et cetera ut superius sunt notata.

RUBR. XXVI. DE CAPITULO CONVENTUALI.

1. Capitulum conventuale in qualibet septimana per pri-

orem, vel subpriorem, vel vicarium, si subprior non fuerit, ad minus semel in hebdomada teneatur, ubi excessus fratrum et culpæ cum diligentia corrigantur. Capitulum semper jejuno stomacho celebretur nisi casus aliquis emergat in quo differri non valeret. 2. Pulsato signo conveniant omnes ad capitulum sine mora, quibus congregatis, qui præest capitulo dicat post lectionem alicujus capituli Constitutionum : *Benedicite*, et fratres respondeant *Dominus*. Deinde novitii, si fuerint, prosternant se et dicant culpas suas, incipientes ab antiquioribus et postea laici absentibus novitiis dicant culpas suas. Deinde clerici voce ac loco privati, quibus omnibus exeuntibus, omnes fratres se prosternentes, petant veniam de commissis. Deinde sedentibus aliis incipientes a senioribus successive dicant culpas suas, et cujus culpa digna est disciplina præparet se ad disciplinam, et nudatus flectens genua dicat psalmum quem sibi præsidens injunxerit, et confessionem faciat generalem, disciplinam ab eo qui præest vel ab eo cui injunxerit recipiendo. 3. Priores autem in capitulis præsidentes, licet per se pœnitentias scriptas libere possint injungere, tamen propter pacem suam et fratrum, cum pœna gravioris culpæ alicui fuerit injungenda, in absentia fratris de quo agitur culpam ejus et pœnam culpæ respondentem conventui declarent. Deinde fratre vocato pœnam (Fol. 27 a) per Constitutionem taxatam sibi injungat sine contradictione cujuscumque.

4. Quicumque autem alium accusare voluerit parem vel superiorem, audiatur per præsidentem loco et tempore, dum tamen se obliget ad pœnam talionis si defecerit in probando, et de eis fiat justitiæ complementum. 5. Nullus tamen prior localis in conventu absolvatur si capitulum provinciale celebrandum fuerit infra mensem. Accusationes autem quorumcumque fratrum et priorum et quorumcumque superiorum aliorum in eorum fiant præsentia. Inquisitiones vero de cul-

pis notabilibus et negatis in eorum absentia semper fiant. Caveant tamen fratres qui sub modo denuntiationis voluerint majori suo manifestare aliquod malum vel scandalum perpetratum, ut sub tali modo denuntiationis non nominent fratrem aliquem sigillatim et expresse, quod si faciant ipso facto sint obligati ad pœnam talionis si defecerint in probando, quia talis denuntiatio accusatio reputatur.

6. Poterunt tamen manifestare in generali et requirere majorem ut inquiratur. Item statuimus quod laborante fama alicujus mali vel scandali, quod quicumque superior possit et habeat veritatem inquirere eo modo quo sibi videbitur, vel per juramentum vel alio quovis modo in præsentia duorum vel trium, non obstante absentia diffamati. Sed per hoc non procedatur ad punitionem usquequo appareat si talis diffamatus poterit se legitime excusare coram illo superiore qui inquisitionem fecerit, vel alio cui talis superior commiserit super hoc vices suas. 7. Ordinamus autem et districte præcipimus, quod per nullum præsidentem in ordine cogatur aliquis per incarcerationem vel extorsionem violentam ad recognoscendum vel faciendum veritatem aliquam super crimine sibi vel alteri imposito, nec pro hujusmodi puniatur nisi factum evidens fuerit vel alias legitime talis convictus extiterit aut confessus, vel etiam violenta suspicio habeatur, quam suspicionem habeant judicare fore violentam vel non, talis superior cum duobus de discretioribus de conventu. 8. Nec etiam aliquis frater puniatur pro quacumque culpa, nisi confessus fuerit vel convictus per testimonium fide dignarum personarum cujuscumque status. 9. Si quis alicui secreta capituli, i. e. illa quæ præsidens sub secreto celanda commiserit, sæcularibus vel aliis religiosis vel etiam fratribus nostris extra capitulum existentibus revelaverit, voce et loco privetur, et pensato scandalo vel damno quod acciderit, pœna gravioris culpæ rigidius puniatur.

10. Fratres autem clerici quotidie post Tertiam de culpis in choro perpetratis reddant culpas suas et pœnitentiam sibi injunctam faciant et recipiant pro eisdem, nisi in festis duplicibus et totis duplicibus. (Fol. 27 b)

11. Mortuo vero priore locali statim mors ejus priori provinciali significetur per subpriorem qui conventum habeat regere donec de priore ipsi conventui fuerit provisum. Si vero subpriorem non habuerit, præsidente habente primam vocem in conventu, per ipsum conventum locum tenens vicarii eligatur, qui conventum regat et mortem illius provinciali significet festinanter, qui de priore provideat, vel provideri faciat citius quo fieri poterit bono modo. 12. Cum autem eundum sit ad capitulum provinciale infra octo dies, convocatis omnibus, qui capitulo conventuali debent interesse, primo fiat electio socii prioris ad capitulum ituri juxta formam in Rubrica de electionibus contentam. Electo vero socio, si subpriorem eligi contigerit, vel subpriorem non habuerint, vicarius ad custodiendum conventum usque ad adventum prioris de capitulo a conventu eligatur. 13. Quo electo, præsidente socio ad capitulum ituro, præsente priore de excessibus et negligentiis ejus diligens inquisitio fiat, et tam excessus quam negligentiæ ejusdem, si quæ fuerint notabiles et probatæ sufficienter, in ejus absentia si quas neget, et nomina accusantium vel denuntiantium et culpas testificantium, in scriptis redigantur, quæ per dictum socium in præsentia prioris perlectæ, nominibus tamen culpas ejus testificantium non expressatis, eidem sub sigillo communi præsente priore claudantur, priori provinciali et diffinitoribus per socium præsentandæ, et statim post sigillationem per socium suum detur sibi copia de culpis prædictis.

14. Item de prioribus provincialibus volumus observari quando dicturi sunt culpas suas. 15. Si autem aliquis frater habeat aliqua contra suum priorem provincialem, vel contra

aliquem de gremio capituli provincialis, quæ in veritate non debeant tolerari, dum tamen possint in ipso conventu sufficienter probari, proponat coram socio prædicto, qui ipsa habeat inquirere diligenter, coassistente sibi priore domus. Si vero prædicta notabilia fuerint et probata sufficienter per personas fide dignas, prædictus socius processum continentem nomina proponentis et testificantium prædicta sub sigillo conventus ad capitulum provinciale secum deferat et nomine illius, qui prædicta proposuit, illum contra quem sunt proposita, si præsens fuerit in capitulo, habeat accusare, offerens prædictum processum in testimonium præmissorum, qui si se sufficienter excusare non valeat puniatur. 16. Idem vero fiat suo modo in capitulo provinciali cum ad generale capitulum est eundum, si contra priorem generalem vel aliquem de gremio dicti capituli aliquod grave notabiliter habeatur, quod sub sigillo communi provinciæ offeratur per diffinitorem ejusdem capituli generalis. Nec volumus, quod testificantes accusato nominentur, nisi (Fol. 28a) ejusdem necessitas hoc requirat, nec culpa aliqua capitulo generali vel provinciali præsentetur, quæ præsidente priore generali vel provinciali vel ejus vicario potuit corrigi in conventu, et nisi notabilis fuerit et sufficienter probata per personas fide dignas.

17. Socius prioris de electione sua sub sigillo communi conventus litteram habeat specialem, continentem numerum eligentium et electorum et a quot personis est electus, ut per hoc in scrutinio sciatur, an rite et canonice eligatur. Omnia autem capitulo provinciali præsentanda sub sigillo conventuum clausa præsententur, nec alicui credatur in aliis nisi in culpis prioris, quas post exitum a conventu suo ipsum contigerit commisisse.

18. In omnibus capitulis tam conventualibus quam cotidianis in fine capituli fiat recommendatio benefactorum or-

dinis tam vivorum quam defunctorum et dicantur Ps. *Deus misereatur, Ad te levavi, De profundis, Requiem, Kyrie el. Christe el. Kyrie el. Pater noster.* Deinde qui capitulo præfuerit dicat *Et ne nos.* ℣ *Memor esto.* ℣ *Salvos fac.* ℣ *Ora pro nobis.* ℣ *Oremus pro fidelibus defunctis.* ℣ *Requiescant. Dne exaudi. Dnus vobiscum.* Orationes *Ecclesiæ tuæ. Omnipotens sempiterne Deus qui facis. Protege Domine. Miserere quæsumus Domine. Absolve quæsumus Domine. Per Xpm Dominum nrum. Amen.* Deinde dicat : *Sit nomen Domini benedictum.* Conventus respondeat *Ex hoc et usque in sæculum.*

RUBR. XXVII. DE ELECTIONIBUS IN COMMUNI ET QUI POTERUNT ELECTIONIBUS INTERESSE.

1. In omni electione canonica in quocumque capitulo facienda prioris generalis, provincialis seu localis, diffinitorum, sociorum, seu alterius cujuscumque, non intersint novitii, vel laici, seu voce et loco carentes, et qui nunc in apostasia sunt, aut de cetero apostatabunt quousque cum eis super hoc fuerit specialiter dispensatum, aut excommunicati vel irregulares, nec aliquis deinceps recipiendus ad ordinem nisi decem et octo annos ætatis compleverit et ordinem subdiaconatus sit adeptus. 2. Nulli etiam fratres fatui, deliri vel lunatici vocem in electione habeant nisi forte cum electionis tempore lucida habuerint intervalla. 3. Item statuimus quod nullus fratrum in capitulo quocumque habeat nisi unam vocem, sive in electione sive in aliis, non obstante quod ex pluribus causis, puta quia socius, magister, prior vel vicarius, eidem capitulo debeat interesse. Item nullus qui a correctione regulari in nostra religione appellaverit, nec qui appellanti consenserit, nec etiam qui appellationem defenderit, habeat vocem in electione quacumque, quousque per (Fol. 28 b) generale ca-

pitulum cum eo post tres annos fuerit misericorditer dispensatum.

4. Item statuimus quod nullus eligatur in priorem generalem antequam compleverit XV annos in nostra religione. Nec in provincialem donec compleverit in nostro ordine decem annos, nec in priorem localem, nisi compleverit in ordine quinque annos. 5. Item statuimus quod nullus qui ab anno Domini 1309 apostataverit, vel deinceps apostatabit ab ordine nostro, in priorem generalem, priorem provincialem vel priorem localem, seu in diffinitorem capituli generalis vel provincialis eligi possit vel assumi, nisi per capitulum generale vel per capitulum provinciale immediate sequens capitulum generale habilitatus fuerit ad prædicta. 6. Item nullus magister, bachalarius vel scolaris forensis generalium studiorum possit eligi in diffinitorem capituli generalis, vel in socium provincialis cum eundum est ad capitulum generale, pro provincia aliena. 7. Possunt tamen eligere socium prioris cum aliis de conventu, quando eundum est ad capitulum provinciale quod est celebrandum ante capitulum generale, et in sua provincia possunt eligi ad prædicta. 8. Item nullus vicarius generalis missus ad visitandum provinciam aliquam possit eligi in socium prioris provincialis euntis ad capitulum generale, nisi alias fuerit de ipsa provincia, nec aliquis vicarius provincialis missus ad visitandum conventus aliquos possit eligi in socium prioris localis euntis ad capitulum provinciale, nisi alias fuerit de ipso conventu in quo eligitur.

9. Quicumque frater post capitulum provinciale proximo celebrandum ante capitulum generale de provincia ad provinciam amotus fuerit, in provincia ad quam est mutatus non sit de gremio capituli proximi præcedentis capitulum generale, nec vocem habeat in eodem.

10. Idem observari volumus de fratribus mutatis de conventu ad conventum post electionem socii localis ad capitu-

lum provinciale profecturi. Nullus eligatur in diffinitorem capituli generalis in duobus capitulis generalibus immediate succedentibus, nisi in casu superius notato.

De electione Prioris generalis.

11. Electio prioris generalis fiat hoc modo : Singuli fratres qui in capitulo generali fuerint congregati, facto scrutinio et exclusis omnibus qui non sunt de gremio capituli generalis, coram præsidente unum fratrem de religione nostra, quem ad tantum officium digniorem existimaverint, [quibus] secrete nominando fideliter eligant, et vicarius qui capitulo præest cum duobus diffinitoribus primarum provinciarum dicta singulorum conscribat. Ita quod idem vicarius primo electionem suam scribat, aliis nescientibus quem ille elegerit, et secundus (Fol. 29 a) audiente solo vicario, et tertius coram illis duobus vocem suam dicat. Deinde singuli aliorum coram illis tribus, et sic in eodem loco antequam recedant ab invicem scriptum publicant in medio coram vicario generali, et in quem major pars et sanior omnium eligentium concordaverit (ita videlicet ut sua pars partes omnium electorum conjunctas superet) prior generalis habeatur. 12. Sic tamen quod publicatione vocum facta, primus de majori et saniori parte electionem communem faciat coram omnibus in hac forma. Primo requirat alios qui in eligendo a majori parte discordant, quod assentiant in electum a majori parte. Deinde sive assentiant sive non assentiant, dummodo nullum aliud impedimentum legitimum appareat dicat : *Ego N. talis, nomine meo et nomine omnium aliorum mecum in nominatione et publicatione vocum in talem fratrem concordantium, eligo talem in priorem generalem nostri ordinis in quem etiam tales et tales consentiunt* supposito quod consenserint. Post hoc pronuntiet eum in virtute privilegii apostolici ordini indulti fore confirmatum.

13. Consimilis forma in electione prioris provincialis et localis observetur, ita tamen quod in electione provincialis voces fratrum conscribat præsidens capitulo cum duobus primis diffinitoribus de capitulo provinciali.

14. In electione vero prioris localis, præsidens capitulo [scribat] cum duobus fratribus senioribus de conventu, vel etiam cum uno fratre seniore, si conventus parvus fuerit, et in utraque electione scil. tam prioris provincialis quam localis, electus per superiorem nisi aliquid legitimum obsteterit, confirmetur.

15. Porro in electione socii prioris localis ituri ad capitulum provinciale, habens secundam vocem post priorem, in præsentia ipsius prioris voces fratrum conscribat, in qua electione prior nullam habeat vocem cum ipse debeat capitulo interesse, et ille qui plures voces habuerit quam omnes alii simul juncti, ex hoc ipso socius habeatur, et si contingat tales electores non concordare tertia vice, ille qui plures voces habuerit socius sit; quod si æquales voces habuerint, ille sit socius qui inter electos antiquior in ordine invenitur. 16. Idem vero quoad electionem vicarii prioris ituri ad dictum capitulum si non concordaverint observari volumus, nisi subprior in socium assumatur, vel nisi subprior non habeatur, hoc solum mutato, quod prior voces fratrum conscribat coassistente sibi fratre habentem secundam vocem post ipsum. 17. In electione vero sociorum prioris provincialis ituri ad capitulum generale, primus diffinitor in præsentia prioris provincialis et secundi diffinitoris voces fratrum conscribere teneatur, in quorum electione prior generalis vel provincialis nullam (Fol. 29 b) vocem habeat. Sed in electione vicarii provinciæ et vicarii prioris localis, similiter subprioris, et sacristæ, præsidens coassistente sibi fratre habente secundam vocem post ipsum voces fratrum conscribat, juxta modum supra positum.

18. Et, ut omnis electio liberior habeatur in nostro ordine, statuimus, quod omnes fratres et singuli, qui inducent prece aut pretio seu minis quemcumque, qui vocem in electione haberet prioris generalis, provincialis, localis, diffinitorum, subpriorum, sociorum capituli generalis vel provincialis ac vicariorum, ut tali det vocem suam, sigillatim eum vel eos nominando, talis inducens seu subornator sit privatus voce ac loco usque ad instans capitulum generale, et sententia excommunicationis sit innodatus ipso facto.

De electione diffinitorum capituli provincialis.

19. Electio vero diffinitorum capituli provincialis fiat hoc modo. Singuli fratres, qui in capitulo fuerint coram priore provinciali vel præsidente et priore locali, exclusis omnibus qui non sunt de gremio capituli, sigillatim quatuor fratres secrete nominando eligant, et ipsi priores dicta singulorum fideliter scribant et in eodem loco, antequam ab invicem discedant, scriptum publicent, et qui plures voces habuerint diffinitores in illo capitulo habeantur. Ita tamen quod, qui plures voces habuerit in electione sit primus diffinitor et sic de aliis successive. Si autem duo vel tres æquales voces habuerint, qui senior est in ordine, sit prior in diffinitione. Nullus tamen in duobus capitulis immediate sequentibus sive succedentibus sit diffinitor, nec aliquis in diffinitorem eligatur nisi sacrum ordinem sit adeptus, nec aliquis irregularis vel infamis.

20. Priore generali electo continuo ducant eum fratres ad magnum altare ubi se prosternat donec cantetur *Te Deum laudamus*. Deinde vicarius qui erat dicat ℣. *Emitte Spiritum tuum*. ℣. *Manda Deus*. ℣. *Salvum fac*. ℣. *Domine exaudi. Dominus vobiscum*. Or. *Deus qui corda fidelium. Protege Domine. Omnipotens sempiterne Deus qui facis. Per Christum.*

(Fol. 30 a) Post electionem vero prioris provincialis et localis idem suo modo observetur.

Rubr. XXVIII. De sigillis et sigillationibus.

1. Statuimus, quod sigillum commune capituli generalis in præsentia totius capituli generalis, signatum sigillo prioris provincialis in cujus provincia capitulum generale proximum fuerit celebratum ; et sigillo prioris generalis cum papiro similiter signato, tradatur priori provinciali illius provinciæ in qua proximum capitulum generale fuerit celebrandum, et ponatur in conventu, ubi capitulum debet celebrari in communi custodia diligenter conservandum. 2. Similiter sigillum commune cujuslibet provinciæ una cum papiro communi coram toto capitulo provinciali includatur sub sigillo prioris provincialis vel alterius præsidentis et sigillo prioris conventus ubi capitulum provinciale proximum fuerit celebrandum in communi custodia reservandum.

3. Nullus socius prioris generalis seu provincialis vel vicarii cujuscumque exigat a fratre quocumque pro quacumque sigillatione pecuniam parvam vel magnam, quod si fecerit tali privetur pecunia, et cum hoc pœna gravioris culpæ per V dies puniatur. 4. Sigillum etiam commune cujuslibet conventus una cum papiro conventus sub sigillo ipsius prioris conventus in communi custodia reponatur, nec aliqua littera hujusmodi sigillis communibus sigilletur, nisi coram toto capitulo recitetur et exponatur, et a majori et saniori parte concedetur, sub pœna falsariorum infligenda, præterquam in officiis in capitulo generali injungendis.

5. Item ordinamus, quod quicumque falsarius litterarum prioris generalis vel provincialis seu localium inventus fuerit, si confessus vel convictus fuerit, carceri mancipetur quamdiu generali videbitur expedire. Idem de falsantibus sigilla

capituli generalis vel provincialis seu cujuscumque conventus volumus observari.

6. Nullus fratrum portet sigillum neque signum, præter priores, vicarios et visitatores prioris generalis et prioris provincialis, magistros et bachalarios, lectores in sacra pagina, ac vicarios conventuales et ordinis, et novorum locorum procuratores, nisi per priorem generalem vel per capitulum provinciale aliquibus fratribus honestis secundum decentiam status sui sit concessum, sub pœna gravioris culpæ per tres dies, quotiens hujusmodi sigilla vel signa reperta fuerint apud eos. 7. Nec fratres alii mittant vel recipiant litteras, nisi prius a prioribus videantur et licentiam obtineant ab eisdem ad recipiendum vel mittendum, sub pœna gravioris culpæ per duos dies. 8. Poterit tamen quicumque subditus scribere suo superiori, et a superioribus litteras recipere absque hoc, quod superioribus suis ostendere teneatur (Fol 30b). 9. Si quis autem litteras priori generali vel provinciali missas scienter aperuerit vel malitiose retinuerit, locum et vocem amittat, et juxta quantitatem delicti carceri mancipetur. 10. Si quis pro continuatione vel adeptione officii infra ordinem, aut pro defensione vel impunitate commissæ culpæ, vel pro promotione ad studium, seu pro mora in conventu, vel amotione ad conventum, in quo scandalosus vel damnosus seu suspectus habetur, preces vel litteras prælatorum, principum et magnatum aut etiam communitatum vel quarumcumque notabilium personarum extra ordinem per se vel per alium procuraverit, voce et loco privetur. Et si ex hoc offensa vel damnosa indignatio ordini vel prælato concitata fuerit, carceri mancipetur.

11. Item statuimus, quod quicumque simplex pro quocumque facto ordinis requisierit consilia advocatorum seu quarumcumque aliarum personarum ad extra, sine licentia sui prælati, loco et voce privetur.

12. Item præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ quod nullus frater ex certa scientia litteras cujuscumque fratris aperiat vel retineat; quod si fecerit per V dies pœnæ gravioris culpæ illum volumus subjacere. Si autem litteras a priore generali missas vel provinciali, nisi sibi mittantur, aperuerit, vel retinuerit, seu celaverit, vocem et locum amittat et carceri mancipetur. 13. Statuimus insuper, quod tempus et auctoritas quarumcumque litterarum, quæ certum terminum continebunt, non a præsentatione earum, sed a data computentur.

Rubr. XXIX. De communi custodia et compotis reddendis.

1. Statuimus quod in quolibet conventu habeatur arca trium clavium, quarum unam teneat prior conventus, alias duas teneant duo fratres seniores inter tres electos consiliarios, vel custodes ad hoc electi per conventum, et in arca sit liber vel papirus, in quo in præsentia prioris vel dictorum fratrum scribantur recepta et expensa illius conventus in qualibet septimana, ad memoriam receptorum et eorum, qui nobis talia contulerunt. 2. Et in eodem libro seorsum scribantur omnia ad sacristiam pertinentia et ad dispensam vel ad alios usus communes notabiliora, et si hujusmodi augmentantur vel diminuantur, inserantur augmenta et deleantur diminuta, et scribantur sub quo dispensatore vel priore hujusmodi augmenta vel diminutiones acciderint, sub pœna inobedientibus infligenda. 3. Prior autem generalis vel ejus vicarius, et procurator generalis, si ibidem præsens fuerit, in præsentia capituli generalis de receptis et expensis pro negotiis ordinis exequendis reddant (Fol. 31a) calculi rationem. 4. Idem faciant priores provinciales in capitulis provincialibus, et priores locales ac custodes conventuum in suis capitulis conventualibus, et procuratores vel terminarii sive

quæstores suis prioribus et custodibus supradictis, cum ab eis fuerint requisiti. 5. Similiter procuratores capituli generalis vel provincialis ac etiam fratres deputati ad recipiendum vel expendendum pro eisdem in capitulis in præsentia prioris generalis et diffinitorum suorum, vel in præsentia prioris provincialis et diffinitorum suorum ac aliorum, quos ad hoc vocare voluerint, reddant compotum de receptis et expensis. 6. Item districte præcipimus et mandamus quod nullus prior localis vel bachalarius in theologia ac lector cujuscumque conventus vel etiam procurator ordinis famulum pro se teneat ad expensas conventus, ubi moram trahit.

RUBR. XXX. DE LAICIS RECEPTIS VEL RECIPIENDIS IN FRATRES VEL SEMIFRATRES.

1. Fratres laici vel semifratres ad arbitrium sui prioris intus et exterius laborent in arte et opere suo vel quocumque alio, sub pœna inobedientibus infligenda, et tam ipsi quam fratres clerici sine murmure operentur, ubi aliquid fuerit operandum. 2. Volumus autem quod priores locales non permittant subditos suos otiose discurrere vel vagari, sed si quos hujusmodi invenerint, ad operandum eos compellant, aut in alia bona occupatione ponant, sub pœna gravioris culpæ per duos dies tam fratribus vagabundis quam priori permittenti infligenda. 3. Ordinamus etiam, quod laici nullo modo almucias portent, ut per hoc a clericis agnoscantur. 4. Qui autem de cetero recipiendi fuerint vel a capitulo Treverensi (1) citra sunt recepti, nec vocem nec locum habeant, nec capitula ingrediantur, nisi ad dicendum culpas suas, et ubicumque fuerint, in domo vel extra, reverentiam faciant fratribus clericis et sacerdotibus humiliter responden-

(1) Anno Domini 1291.

do, sub pœna gravioris culpæ, quotiens in hoc fuerint deprehensi.

5. Semifratres autem profiteantur obedientiam, castitatem et sine proprio vivere usque ad mortem inclusive, et dicant horas suas sicut alii fratres laici et habeant habitum distinctum ab aliis fratribus, scil. tunicas griseas usque ad mediam tibiam descendentes et tabardum griseum et caputium separatum, de eodem panno, et calceamenta ligaticia, sicut alii fratres, et ad arbitrium prioris ingrediantur et egrediantur ut famuli, et mittantur soli vel cum fratre, quotiens priori videbitur expedire, et in mensis et aliis locis clericis et sacerdotibus deferant in sedendo.

Rubr. XXXI. De culpis et primo de apostatis.

1. Quicumque de die contumaciter, i. e. contra præceptum directum ac speciale sui superioris extra septa loci vel (Fol. 31b) de nocte sine licentia superioris, cum habitu vel sine habitu, solus vel cum socio, cum scandalo vel sine scandalo, exiverit, licet eadem die vel nocte redierit, apostata censeatur, nisi ex causa rationabili vadat ad majorem suum directe, et hoc a superiore suo immediato in præsentia aliquorum petita prius licentia, licet non obtenta, quam causam fore rationabilem vel minus sufficientem prior generalis vel diffinitores capituli provincialis habeant declarare, antequam talis ad actus legitimos, ut puta ad electionem canonicam, active vel passive, seu curam animarum, modo aliquo admittatur. 2. Et omnis apostata sit ipso facto loco et voce privatus, et per quemcumque prælatum seu superiorem ordinis vel conventus, suæ vel alterius provinciæ, carceri mancipetur, ubi affligatur secundum sua demerita, prout inferius continetur. Et captio illius una cum informatione casus ejusdem per talem superiorem priori provinciali suo citius quo fieri poterit,

intimetur, qu de loco et sua pœnitentia vel expeditione juxta sua demerita absque dilatione aliqua habeat ordinare. Nec aliter capientes apostatas et fugitivos ordinis a dicto carcere valeant liberare. Si vero in captione talium negligentes fuerint vel in expeditione, [ut] superioris officium usurpantes, pœnæ gravioris culpæ per X dies ipsos volumus subjacere. 3. Qui autem ab ordine nostro apostataverit cum habitu vel sine habitu, et scandalum non commiserit, nec propter enorme crimen ordinem exiverit, licet eadem die vel infra tertium diem redierit, pœnam carceris per XX dies sustinebit.* Si autem ultra dies tres extra ordinem moram fecerit, sed infra diem quadragesimum reversus fuerit, per XL dies eidem pœnæ subjacebit. Si vero plus quam XL dies in apostasia fuerit, non poterit infra annum per alium quam per priorem generalem vel provincialem vel per capitulum provinciale a dicto carcere liberari, donec tanto tempore fuerit in carcere, quanto constiterit ipsum extra ordinem nostrum permansisse. 4. Si autem per annum vel plus extra ordinem moram fecerit, non poterit per alium quam per priorem generalem vel per capitulum provinciale a carcere expediri. 5. Si autem aliquis frater ab ordine nostro cum scandalo apostataverit, vel in apostasia existens ordinem scandalizaverit, seu propter crimen enorme ordinem exiverit, vel fracto carcere fugerit, postquam per se ad ordinem redierit, vel per alios captus fuerit, non valeat per alium quam per priorem generalem vel per capitulum generale seu provinciale a carcere ordinis liberari.

* In marg.: Vide Constitutiones Mediolanenses Anno 1345, hoc signo: *

CONTINUABITUR SEQUENTI FASCICULO

LIRINÆ. — Ex typis Abbatiæ.

6. Statuimus autem, quod nullus professus pro quocumque vitio a nostro ordine expellatur, nisi litteris dimissoriis a priore generali petitis et obtentis. 7. Quicumque etiam de cetero ab ordine nostro apostataverit vel jam in apostasia fuerit (Fol. 32 a), volumus quod ad prioratus cujuscumque officium, diffinitionis generalis vel provincialis capituli, eligi non possit vel assumi, nisi cum ipso per generale capitulum post triennium a reditu suo, testimonio laudabilis conversationis suæ sub sigillo capituli provincialis, illius provinciæ in qua apostataverit, fuerit misericorditer dispensatum, vel per suum priorem provincialem, de assensu diffinitorum capituli provincialis immediate sequentis post capitulum generale.

8. Item statuimus, quod quicumque jam apostataverit vel deinceps apostatabit, et in apostasia sua per annum fuerit, vel qui bis apostataverit, vel cum perpetratione criminis enormis vel scandali notabilis et manifesti exiverit, etiam si non fuerit extra ordinem nisi per tres dies, ad studium Parysiis vel aliarum universitatum non mittatur, nec promoveatur in lectorem, nec etiam poterit ei locus vel vox restitui, nisi per capitulum generale vel per capitulum provinciale immediate sequens prædictum capitulum generale, quæ sola hujusmodi habilitare poterunt ad prædicta. 9. Si quis autem acceptis litteris dimissoriis ordinem exierit et redire voluerit infra terminum sibi concessum, a nullo nisi a priore generali recipiatur et tunc recipiatur ut novitius. Ita scil., ut locum et vocem inter professos non habeat, sed cum novitiis in processionibus et in capitulo, choro et refectorio locum teneat, et per omnes sextas ferias per annum integrum pœnam gravioris culpæ sustineat, et post Completorium in choro recipiat disciplinam, nisi prior generalis partem prædictæ pœnæ misericorditer voluerit relaxare. 10. Si autem infra terminum sibi præfixum ordinem sibi concessum non

intraverit, nec ad nostrum ut præmittitur redierit, volumus ut elapso termino per quemcumque superiorem ordinis vel conventus capiatur et carceri mancipetur, in eodem permansurus, quousque per priorem generalem vel capitulum provinciale liberetur, ut de apostatis est expressum. 11. Qui autem existens extra ordinem litteras dimissorias a priori generali petierit et obtinuerit, ex tunc per nullum recipiatur nisi ad carcerem, qui peracta pœnitentia condigna locum teneat cum novitiis in capitulo, refectorio et choro ac processione, donec cum eo fuerit dispensatum, sicut de apostatis est expressum.

12. Item statuimus et ordinamus, quod tempus, quo aliquis in apostasia fuerit vel in futuro erit, quoad locum et gradum inter fratres habendum, prout justum et rationabile est, sibi nullatenus computetur. 13. Item statuimus quod quicumque vadit ad majorem suum sine licentia petita sui superioris, loco et voce privetur eo ipso, et ulterius puniatur secundum quod illi superiori ad quem ibit, videbitur expedire.

Rubr. XXXII. De lapsis in peccatum carnis, lusoribus et nigromanticis.

1. Si quis in peccatum carnis lapsus fuerit et convictus, per dimidium annum carceri mancipetur et locum et vocem amittat. Si autem (Fol. 32 b) notorium fuerit extraneis, per annum integrum incarceretur et locum et vocem quinque annis amittat, nisi propter laudabilem ejus conversationem per priorem generalem aut capitulum provinciale post tres annos cum eo fuerit dispensatum. 2. Si autem religiosam, nuptam aut consanguineam cognoverit aut virginem defloraverit, secundum qualitatem et quantitatem delicti semper ejus pœna aggravetur. 3. Si quis post professionem matri-

monium de facto contraxerit, non promoveatur, nec in susceptis ordinibus administret, sed ut laicus sit suspensus. Si quis autem in peccatum indicibile lapsus fuerit et convictus, intrudatur in carcerem perpetuo tempore, nisi cum eo dispensatum fuerit per capitulum generale.

4. Item statuimus, quod si quis cum taxillis luserit pecuniam vel raubam seu libros vel jocalia, carceri mancipetur per quemcumque suum superiorem. Ludos alearum et omnes alios indecentes et inhonestos penitus inhibemus, sub pœna gravioris culpæ per XX dies. Assueti autem locum et vocem amittant, et pecunia, cum qua inventi fuerint irrecuperabiliter priventur.

5. Item statuimus, quod alchymistæ, nigromantici, sortilegi et omnes qui scientiis prohibitis utuntur seu libros vel libellos, cartas vel cedulas apud se de his tenuerint vel habuerint, statim carceri per quemcumque suum superiorem mancipentur. (1)

6. Item mercationes ad negotiandum cujuscumque conditionis existant, inhibemus, sub pœna gravioris culpæ per XL dies.

RUBR. XXXIII. DE MINANTIBUS ET PERCUTIENTIBUS.

1. Si quis minatur alicui animo irato ad percutiendum, pœnæ gravioris culpæ tribus diebus ad minus subjacebit, sed si manum ad percutiendum levaverit VII diebus eidem pœnæ subjacebit. Si vero baculum, lapidem vel quæcumque alia arma ad percutiendum levaverit, pœna prædicta duplicetur. 2. Si autem priori locali ad percutiendum arma levaverit per X dies eandem pœnam sustinebit. Si priori provinciali, XX

(1) Frater Oliverus Golos, lector theologiæ in conventu Angiensi (Enghien) absolutus est ab ordine *propter nimiam in astronomia scientiam*. Sepultus est A. D. 1504 in Carthusia Lovaniensi.

dies sustineat. Si priori generali, quod absit, eandem pœnam sustineat per XXX dies. 3. Si quis malitiose leviter quemcumque percusserit, ipso facto est excommunicatus, nec poterit absolvi per quemcumque, nisi per priorem generalem, vel suum priorem provincialem, vel alium cui super hoc prior generalis vel provincialis commiserit potestatem, et pœnæ gravioris culpæ ad minus per XX dies subjacebit. Si priorem localem, per XXX dies, sed absolvendus est a Domino Papa quicumque prælatum suum percusserit quantumcumque leviter. Si provincialem, per XL dies. Si quis, quod absit, priorem generalem leviter percusserit, loco et voce careat et per tres annos carceri mancipetur. 4. Si vero aliquem fratrem quis graviter percusserit seu verberaverit, ipso facto est excommunicatus, nec possit absolvi nisi per priorem generalem (Fol. 33 a) vel alium, cui vices suas commiserit in hac parte, et carceri mancipetur in eodem mansurus, quamdiu capitulo provinciali proximo videbitur expedire. Si vero priorem provincialem, ab excommunicatione quam incurrit, per Dominum Papam absolvi habeat et carceri mancipetur quousque per generale capitulum liberetur. Si vero generalem, quod absit, carceri mancipetur toto tempore vitæ suæ. 5. Si vero quemcumque fratrem enormiter læserit, absolvendus est a Papa et carceri mancipetur in eodem mansurus quousque per generale capitulum sibi misericordia concedatur, pensatis quantitate et qualitate delictorum.

6. Quicumque autem aliquod notorium crimen commiserit, puta incendium, homicidium aut notabile furtum aut quodcumque aliud, pro quo in sæculo existens vel carcerem perpetuum si esset clericus, vel mortem, si laicus, mereretur, carceri ordinis sui perpetuo mancipetur. 7. Nullus etiam frater famulum fratrum percutiat vel quemcumque sæcularem laicum, sub pœna gravioris culpæ vel carceris, se-

cundum qualitatem et quantitatem delicti infligenda. Si autem clericum sæcularem percusserit ab excommunicationis sententia quam incurrit a diocesano absolvatur, et pœnitentiam de percussione sæcularium taxatam secundum exigentiam delicti faciat aggravatam. Volumus enim, quod secundum qualitatem et quantitatem excessuum et gradum et dignitatem injurias patientium tam istæ pœnæ quam aliæ taxatæ in Constitutionibus aggraventur.

8. Item statuimus quod fratres nostri arma non habeant, nec portent, nec custodiant, nec haberi, portari vel custodiri ab aliis faciant ad suos proprios usus intra conventum vel extra, vel in capitulis vel in congregationibus aut in viis quibuscumque, sub pœna privationis loci et vocis et privatione eorum, nisi de licentia sui superioris ex causa. Nec cultellos punctatos ad scindendum panem vel quæcumque alia portent, præter parvum tempatorium ad aptandas pennas, nec manubria de auro vel argento ornata, vel zonas de serico vel bursas ornatas de serico colorato, sub pœna privationis eorundem.

Rubr. XXXIV. De contumacibus et rebellibus.

1. Statuimus autem et præcipimus, quod fratres omnes suis superioribus obediant in omnibus licitis et honestis, et quicumque in hujusmodi præceptis inobedientiam suam pertinaciter vel malitiose defenderit, ipsum inobedientem, rebellem et contumacem judicamus et carceri mancipandum, quamdiu priori provinciali vel capitulo provinciali visum fuerit expedire.

2. Injungimus autem omnibus et singulis fratribus, quod sint in adjutorium prioribus et prælatis contra inobedientes, rebelles et contumaces ad capiendum, ligandum et incarcerandum eos, si evidens necessitas hoc requirat. Transgres-

sores vero loco et voce (Fol. 33 b) sint privati eo ipso. 3. Item statuimus, quod nullus pertinaciter impediat correctionem vel alleget contra priorem, quod ex odio vel favore procedat, criminosos liberando vel innocentes condemnando, quominus ad correctionem procedatur, dummodo crimen fuerit manifeste probatum, sub pœna tali, qualem reus subire debe(re)t eo ipso. 4. Item statuimus, quod quicumque impedit pertinaciter inquisitionem vel correctionem, perdat locum et vocem eo facto.

Rubr. XXXV. De improperantibus, diffamantibus et diffamatis, seminanti(bu)s discordiam et litigiosis.

1. Si quis fratrum alicui sacerdoti ordinis nostri objecerit, quod confessionem revelaverit, aut ipsum super hoc diffamaverit, aut alicui fratri de lepra vel enormi vitio, aut furto, homicidio, fornicatione vel consimilibus convicium vel improperium dixerit, aut aliquem defectum sui vel parentum suorum directe vel indirecte objecerit, et probare nequiverit, pœnam gravioris culpæ per XL dies sustinebit. 2. Statuimus, quod habens locum accusandi quemcumque coram suo superiore, si ipsum non accusaverit et postea malitiose per litteras vel alio modo de criminosis et notabilibus illum diffamaverit, vocem et locum perdat eo ipso, et si exigat qualitas diffamationis, scandali aut periculi subsecuti, compensatis gradu et conditione personæ indebite diffamatæ, diffamans carceri mancipetur. 3. Item statuimus, quod si quis alicui fratri objecerit aliquod crimen, de quo pœnitentiam egerat (per) X dies ad portam rigide puniatur. 4. Item statuimus, quod si quis apud bonas et notabiles personas de crimine diffamatus fuerit et alias convinci non poterat, indicatur sibi canonica purgatio, ut tandem convincatur si in purgatione

defecerit, vel recuperet famam bonam. 5. Ubicumque autem nostræ (Constitutiones) diminutæ fuerint vel defectivæ, ad jus commune recurratur.

6. Item quicumque fratrem aliquem, vel conventum, aut totum ordinem ratione defensionis apud quoscumque extraneos diffamaverit, eo ipso loco et voce sit privatus, nec sibi possint restitui nisi per capitulum generale.

7. Si quis autem litigiosus vel rixosus fuerit, aut inter fratres discordiam seminaverit, pœnam gravioris culpæ per XX dies sustinebit. Si autem ex hujusmodi seminatione discordiæ periculum aliquod contigerit, secundum qualitatem et quantitatem scandali gravius puniatur.

Rubr. XXXVI. De conspiratoribus.

1. Si quis per conjurationem, vel conspirationem, vel malitiosam concordiam adversus superiores suos aliquid illicitum vel inhonestum machinatus fuerit, aut manifeste se erexerit, locum et vocem perdat et per XL dies ad minus pœnam gravioris culpæ sustineat. 2. Si autem ad talem effectum conspiratio vel conjuratio hujusmodi devenerit quod totus ordo, vel aliqua provincia, seu aliquis conventus (Fol. 34a) malum vel detrimentum vel scandalum notabile patiatur, per annum integrum carceri mancipetur. Et si ex hoc in domibus vel provinciis ordinis vel etiam in toto ordine divisiones vel partes fierent, facientes (et) consentientes excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, et carceri perpetuo mancipentur, nisi cum eis per generale capitulum super hoc fuerit dispensatum. 3. Cum autem frater aliquis adversus priorem suum non malitiose, sed in veritate, aliquid habuerit, quod non debeat tolerari, primo inter se et ipsum cum humilitate de sua correctione aliquotiens moneat, quam admonitionem si prior neglexerit aut contempserit, aliquos

de senioribus et discretioribus fratribus ad eum admonendum et corrigendum vocet; et si se adhuc non correxerit, superiori prælato, cum ad visitandum venerit veritatem insinuet, ut per eum corrigatur, vel capitulo provinciali corrigendus demandetur. Quod etiam poterit fieri dicta monitione non præmissa, dum tamen fuerit notabile et possit sufficienter probari. Aliter autem subditi superiores suos diffamare non præsumant, sub pœna diffamantibus infligenda.

4. In virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quod nulli fratres juramento aut fide præstita colligationem vel confœderationem faciant, quod sibi mutuo non deficient in defensionibus et sustentationibus vel hujusmodi, quæ notam mali sapiunt. Si qui autem in contrarium hujus salubris mandati venerint, sententiam excommunicationis non obstante constitutione Londonensi (1) incurrant eo ipso.

RUBR. XXXVII. DE PROPRIETARIIS.

1. Statuimus et firmiter præcipimus, quod nullus pecuniam vel quodcumque sibi datum vel oblatum seu depositum teneat, vel libros vel quodcumque jocale notabiliter pretiosum, nisi de prioris sui licentia et assensu, dummodo sibi innotescendi tempus habuerit opportunum, sub

(1) Alluditur hic ad Capitulum provinciale Londini anno 1305 celebratum sub Fratribus Gobelino provinciali Alemanniæ et Conrado a S. Georgio, ob dissensionem circa divisionem provinciæ Angliæ. Hæc usque ad capitulum Narbonense (1303) Hiberniam et Scotiam amplectabatur. Capitulo Narbonensi sub Gerardo Bononiensi hanc nimis magnam provinciam dividenti restiterunt magistri angli una cum provinciali Gulielmo Ludlington. Lis a Summo Pontifice Benedicto XI arbitrio cardinalis Gentili commissa, ab eo juxta decretum Narbonense decisa est. Magistri angli tamen non fuerunt excommunicati quamvis alias graviter puniti.

pœna proprietariorum infligenda. 2. Si quis autem proprietarius inventus fuerit et sufficienter convictus vel confessus a priore generali vel provinciali aut eorum vicariis vel visitatoribus seu etiam priore locali vel ejus vicario, carceri mancipetur, quousque per priorem generalem vel provinciale capitulum misericorditer liberetur. 3. Si quis autem inventus fuerit proprietarius et absque manifestatione obierit, extra cimiterium fratrum absque ullo officio sepeliatur, nisi ex hujusmodi sepultura scandalum sæcularibus oriretur. 4. Ubi autem aliquid commissum fuerit priori et custodibus reservandum, per quoscumque fratres aut alios religiosos vel sæculares, non recipiatur nec teneatur, nisi a priore et tribus fratribus ad hoc electis in communi custodia reponatur, et tunc numerabile numeretur, et mensurabile mensuretur, et ponderabile ponderetur, nec aliquid de sibi commissis amoveant vel mutuo recipiant, nisi de benevolentia (Fol. 34b) reponentis, sub pœna carceris transgressoribus infligenda. 5. Caveant autem fratres, ne aliquid tradant in custodia quorumcumque extra conventum, nisi de scitu et assensu prioris, ita quod in quibuscumque casibus emergentibus priori et fratribus sic tradita restituantur, cum custodientes ab eis fuerint requisiti, sub pœna proprietariorum infligenda. 6. Qui autem res religionis furtive alienaverit, vel oblationes aut eleemosinas vel legata furtive retinuisse convictus fuerit vel confessus, retenta restituat, et pœna proprietariorum puniatur. 7. Item statuimus quod fratres teneantur revelare integre prioribus et tribus custodibus conventus ea, quæ de quæstis seu procurationibus retinuerint et judicio prioris et trium custodum reddere vel retinere habeant. Si quis autem aliter aliquid retinere attemptaverit, pœna proprietariorum puniatur. 8. Item volumus quod bona personalia appellantium a correctione regulari, apostatarum, proprietariorum et furum per priores provinciales in usus communes provinciarum convertantur.

Rubr. XXXVIII. De receptione prælatorum.

1. Præcipimus quod fratres devote et honeste statim et sine conditione suos superiores ad se venientes vel missos recipiant, et debitam eis obedientiam et reverentiam faciant, et si non fecerint ipso facto judicamus eos conspiratores, et pœna conspiratorum puniendos. 2. Si autem priorem generalem vel provincialem infirmitate vel alia evidenti causa detineri vel impediri contigerit, quod ea quæ ad ejus officium pertinent, exequi non valeret, ordinent aliquem de suis subditis fide dignum et discretum, qui vices ejus suppleat cum a subditis suis fuerit requisitus, vel necessitatem viderit ad mittendum. Ordinantes quod vicariis vel visitatoribus sic missis tempus et auctoritas limitetur, et quod ipsi vicarii vel visitatores prioribus et conventibus de sua potestate copiam faciant, cum ab ipsis fuerint requisiti. Nec tales vicarii possint vicarium vel vicarios alium seu alios substituere, nisi et prout in litteris suæ commissionis videbitur contineri. 3. Statuimus autem quod nullus prælatus ordinis nostri cujuscumque gradus vel conditionis existat, possit recipere ab aliquo sibi subdito munus aliquod, ut puta in libro, rauba, pecunia vel jocali ultra valorem V solidorum turonensium nigrorum, nec hoc ultra semel, sub pœna depositionis ab officio ipso facto, quando coram superiore fuerit convictus vel confessus; per hoc tamen non intelligimus excludere, quin inferiores possint suis superioribus legare quod eis placuerit, si devotio ad hoc eos moveat propter Deum.

Rubr. XXXIX. De pœnis et primo de pœna levis culpæ.

1. Quia constitutiones Ordinis nostri non obligant nos ad culpam (Fol. 35a) sed ad pœnam scriptam, si nobis propter

transgressiones ipsarum a superioribus injungatur, nisi propter contemptum, dicendum est de pœnis quæ prædictis transgressionibus correspondent.

2. Levis culpa est si quis male legendo vel cantando offendens non statim coram omnibus se humiliaverit ponendo manum ad terram, aut si vestes aut libros ecclesiasticos negligenter attrectaverit. 3. De his et similibus veniam petentibus injungatur unus psalmus vel aliqua oratio specialis.

Rubr. XL. De pœna mediæ culpæ.

1. Media culpa est, si quis in divinis officiis in oratorio existens inordinate se habuerit et levitatem mentis ostenderit. Si quis aliud cantare vel legere præsumpserit, quam communis usus approbat. Si quis turpem sermonem vel vaniloquium in usu habuerit. Si quis in officio sibi deputato negligens repertus fuerit. Si quis commune mandatum, ad quod totus conventus tenetur, scienter dimiserit. Si quis aliquem servientem vel alium sæcularem aut regularem ad cellam suam vel alterius absque licentia vocare præsumpserit. 2. De supradictis culpis et similibus veniam petentibus, fiat unius correctionis disciplina cum tot psalmis quot ei placuerit qui capitulo præsidebit.

Rubr. XLI. De pœna gravis culpæ.

1. Gravis culpa est, si quis in audientia sæcularium inhoneste cum aliquo contenderit. Et si frater cum fratre intus vel foris lites habuerit. Si quis pro aliquo commisso a fratre suo indulgentiam petat et ipse a quo petitur veniam negaverit. Si quis indumenta vel aliqua alia alteri fratri data vel concessa sine prioris licentia acceperit. Si quis de inordinata locutione cum mulieribus reprehensibilis extiterit, unde mala suspicio oriri poterit. Si silentium in locis prohibitis non te-

nere in consuetudinem duxerit. Si quis culpam suam vel alterius defenderit. Si quis in aliqua malitiosa verba vel inordinata deprehensus fuerit. Si quis nimium ut in loquendo fieri solet jurare consueverit. Si quis jejunia consueta fregerit. Si quis cellam suam sine licentia prioris sui mutaverit, vel cum alio permutaverit. Si quis sine evidenti necessitate cellam alterius introierit. 2. Pro his culpis et similibus veniam petentibus, et non accusatis duæ disciplinæ dentur in capitulo, et duos dies in pane et aqua jejunent; accusatis vero una dies et una disciplina addatur. 3. Fratres autem jejunio panis et aquæ deputati diebus sibi assignatis coram conventu in ultimo loco mensæ comedant; nec audeant suas pœnitentias absque prioris licentia retardare.

RUBR. XLII. DE PŒNA GRAVIORIS CULPÆ.

1. Gravior culpa est, si quis per contumaciam (Fol. 35b) vel manifestam rebellionem inobediens prælato suo fuerit, vel si cum eo intus vel foris conviciando contendere ausus fuerit, vel præceptum ejus aut mandatum omiserit. Si quis officium seu auctoritatem sui superioris usurpaverit. Si quis villam sine licentia sui superioris intraverit. Si quis susurro vel detractor vel manifeste mendax aut ebriosus inventus fuerit, et accusatus negare nequiverit. 2. Denudatus condignam suis meritis accipiat disciplinam et ad cellam sibi a priore assignatam tendat in ea silenter manens usque ad horam comedendi. Cum vero tempus comestionis advenerit vocatus intret refectorium et sedens in terra in medio refectorii, pane et aqua super asserem nudum humiliter vescatur, nisi prior ei aliquid per misericordiam impenderit; qui postquam comederit facto signo per priorem ad cellam suam redeat patienter. 3. Nullus audeat se conjungere illi, vel ei loqui, nec ille alteri, nec ei aliquid mandare sine prioris licentia speciali,

ut cognoscat se ita sequestratum a consortio aliorum quod privetur, nisi per pœnitentiam redeat, a consortio angelorum. Ipse tamen prior, ne in desperationem labi possit, quando sibi videbitur expedire, mittat ad eum fratres discretiores qui eum moneant et confortent ad faciendum pœnitentiam suam humiliter et devote.

4. Nec talis quamdiu fuerit in pœna gravioris culpæ vel gravissimæ communicet, nec ad osculum pacis veniat, vel ecclesiam ingrediatur, nec ulla sibi committatur obedientia ante plenariam satisfactionem hujusmodi pœnitentiæ sibi injunctæ. Nec electioni alicui intersit vel legitimis actibus cujuscumque capituli. Sed si electionem aliquam fratre existente in tali pœnitentia necessario fieri oporteat, aut electio differatur usque ad pœnitentiam hujusmodi completam, aut frater relevetur a pœnitentia et intersit electioni, et facta electione reponatur; cujuscumque officii fuerit vel gradus durante pœnitentia suo officio non fungatur. 5. Illi autem per quorum excessus religio nostra in sæculo notabiliter scandalizata fuerit, pœnam prædictam totaliter sustineant et ad omnes horas ante portam vel ostium oratorii intrantibus fratribus et exeuntibus prostrati jaceant, non obstante præsentia sæcularis vel extranei cujuscumque.

RUBR. XLIII. DE PŒNA GRAVISSIMÆ CULPÆ.

1. Gravissima culpa est incorrigibilitas ejus qui culpas non timet committere, et pœnitentiam recusat facere, contra quem data sententia a priore generali vel provinciali vel capitulo generali vel provinciali, carceri mancipetur in eo mansurus quamdiu priori generali vel provinciali visum fuerit expedire. 2. Quicumque autem (Fol. 36a) in quocumque crimine relapsus fuerit, quo loco et voce careat, incarceretur pro relapsu donec per capitulum generale misericorditer libe-

retur. 3. Item statuimus quod nullus vadat ad balnea vel stuphas (1) extra conventum sub pœna XL dierum ad carcerem. Ad balnea autem naturalia poterunt ire fratres qui indigebunt, de licentia suorum superiorum.

4. Item statuimus quod quicumque incarceratus fuerit, locum et vocem se noverit perdidisse.

5. Quicumque autem incarceratus fuerit feriis secundis, quartis et sextis jejunet in pane et aqua ad minus.

6. Si autem per malitiam et negligentiam custodis carceris aut alterius fratris aliquis incarceratus de carcere fugerit, per cujuscumque negligentiam vel malitiam extiterit, cujuscumque conditionis fuerit vel præsidentiæ, volumus quod incarceretur loco fugientis in eodem mansurus quousque per priorem generalem vel provincialem misericorditer liberetur. Si quis incarcerato limam vel martellum aut quodcumque aliud instrumentum tradiderit aut tradi procuraverit ad carcerem infringendum vel solvendum vincula, quoquo modo præstiterit auxilium evadendi licet non evaserit, pœnam gravioris culpæ sustineat per X dies. Si autem evaserit carceri mancipetur in eo sine spe gratiæ permansurus quamdiu ille cui dedit auxilium ut evaderet debuit permansisse.

7. Statuimus quod assuetis levi culpæ, levis mutetur in mediam, et assuetis mediæ, media mutetur in gravem, et assuetis gravi, gravis mutetur in graviorem et sic semper aggravantibus culpas pœna gravior aggravetur.

RUBR. XLIV. DE FRATRIBUS DECEDENTIBUS ET EORUM LIBRIS.

1. Statuimus quod prior localis obitum cujuscumque fra-

(1) Stupha est camera vaporibus calefacta ad sudorem producendum. Cum promiscue frequentarentur non decebat religiosos ibi inveniri.

tris in suo conventu decedentis cum omni festinatione priori provinciali ubicumque fuerit denuntiet, sub pœna gravis culpæ per tres dies prioribus negligentibus infligenda. 2. Item volumus quod in omnibus cimiteriis fratres nostri a sæcularibus semoti sepeliantur, ut monumenta fratrum a monumentis aliorum distinguantur. 3. Item statuimus quod ter in anno fiat commemoratio cum vigiliis IX lectionum et missa solemni pro fratribus defunctis nostri ordinis, et ter pro parentibus et amicis fratrum et pro omnibus illis qui in cimiteriis nostri ordinis sunt sepulti, et ter pro patronis, familiaribus et benefactoribus et pro his qui fraternitatis litteras habuerunt. Primas tres missas cum officiis mortuorum IX lectionum faciant fratres post octavam Epiphaniæ et ante festum Purificationis. Secundum ternarium faciant post octavas Paschæ et ante festum Ascensionis. Tertium ternarium inter festum Mychaelis et festum Omnium Sanctorum.

4. Statuimus quod quilibet sacerdos totius ordinis dicat (Fol. 36 b) annuatim specialiter pro fratribus, benefactoribus ac familiaribus nostris et litteras ordinis habentibus, tam vivis quam defunctis, quinquaginta missas quarum X sint de Sancto Spiritu, X de Beata et XXX pro defunctis. Quilibet autem aliorum fratrum sive sit clericus, sive laicus, dum tamen sciat legere, dicat pro eis XX psalteria annuatim. Et qui nesciunt legere dicant singuli tria millia Pater Noster et totidem Ave Maria.

5. Præterea in qualibet provincia pro unoquoque fratre defuncto illius provinciæ, etiam si in provincia aliena moriatur et ibidem steterit causa studii, et patrono, cantent cum nota *Placebo* et *Dirige* et missam defunctorum in singulis conventibus, quando primo obitus ejus fuerit nuntiatus. Item quilibet sacerdos per totam illam provinciam dicat tres missas pro eodem, et quilibet aliorum unum psalterium, et singuli fratres laici quingenta Pater Noster et totidem Ave

Maria. 6. Item ordinamus quod pro priore generali et ejus sociis, et pro procuratore generali, necnon et pro procuratore Romanæ Curiæ nostri ordinis cum decesserint, per totum ordinem sicut pro fratre cujuslibet provinciæ debitum exequiarum modo consueto persolvatur. Item fiat de prioribus provincialibus et eorum sociis euntibus ad capitulum generale vel redeuntibus ab eodem.

7. Item volumus quod fratres possint libros suos et alia personalia ab amicis vel parentibus specialiter acquisita aliis fratribus vel conventibus distribuere, suo priore hoc sciente, ut ab eisdem fratribus vel conventibus quibus libri hujusmodi distributi fuerint, emolumentum animarum recipiant in novissimo vitæ suæ. Ita dumtaxat quod frater cui relinquitur talis liber, recipiens ipsum librum, det litteram testimonialem illi conventui de cujus terminis frater decedens asseritur oriundus, quod ipse habet talem librum de communitate conventus prædicti quem sibi talis frater reliquit ad vitam. Nec ipsum possit vendere, dare, legare, seu alienare, sed solum sibi de ipso ad vitam servire quantumcumque fuerint parentes accipiens et relinquens. Nec volumus quod major quicumque possit de dicto libro aliter ordinare, quin conventus prædictus post vitam illius ipsum tamquam suum recuperet indilate. 8. Si autem distributionem hujusmodi facere neglexerint, aut noluerint, omnia convertantur in usum conventus de cujus terminis oriundi noscuntur, nisi forte libros vel alia notabiliter multa seu magna in alienis conventibus et non a suis parentibus acquisierint. Quod si fecerint et apud ipsos in morte inventa fuerint, volumus quod prædicta bona sic in talibus conventibus acquisita post mortem illorum applicentur eisdem. De aliis autem libris, quos de ordinatione prioris provincialis vel capituli provincialis receperint, priori provinciali et (Fol. 37 a) diffinitoribus capituli provincialis committimus ordinandum nec aliquis

alius aliter ordinandi habeat potestatem.

9. Statuimus quod nullus prior localis per se vel etiam de assensu consiliariorum vel custodum aut etiam totius conventus, nec prior conventus, nec prior provincialis, nec capitulum provinciale, nec etiam prior generalis, librum vel libros qualescumque communis librariæ alicujus conventus vendat, det, aut quovis colore alienet aut etiam impignoret, sub pœna privationis officii, gradus et honoris, vocis et loci tam facientibus quam consentientibus infligenda. 10. Volumus tamen, quod libri conventus possint accommodari religiosis, personis honestis ac magnis et fratribus in casu necessitatis, habita tamen firma cautione quod non possint amitti. Si tamen aliqui libri pro usu fratrum forent inutiles aut aliunde aliqui ex his essent duplicati, tales de expressa licentia prioris generalis vel capituli provincialis vendi poterunt, ita tamen quod pretium venditorum plene et absque diminutione in alios libros convertatur sub pœna prius notata. 11. Item libri fratrum in alia provincia decedentium restituantur fratribus provinciæ de qua fratres hujusmodi missi fuerint apud illam. Libri etiam de quibuscunque taxationibus vel decimis pro scolaribus ordinati illis conventibus restituantur, a quibus acquisiti fuerint, cum scolares hujusmodi ab assignatione sua absolvi contigerit sive mori. 12. Nullus frater vendat librum aliquem extra ordinem vel aliquo modo alienet sine licentia sui superioris, nec ipse concedat licentiam sine causa rationabili et necessaria, sub pœna gravioris culpæ.

13. Item statuimus quod quæcumque gratiæ vel libertates, obedientiæ seu dispensationes quibuscumque provinciis, conventibus aut personis a capitulis generalibus concedantur indistincte in litteris sub sigillo communi ordinis extra constitutiones habeantur.

RUBR. XLV. DE CONFIRMATIONE CONSTITUTIONUM.

Quæcumque autem statuta prædictis statutis contraria vel alia in quibuscumque capitulis præteritis ordinata penitus revocamus et præsentia statuta confirmamus, prioribus provincialibus præcipientes per obedientiam salutarem quod in singulis conventibus suarum provinciarum istas constitutiones seriose faciant innovari omnibus aliis revocatis, priores conventuales sibi subditos ad earum custodiam in se ipsis et in suis subditis per quascumque pœnitentias ordinis coarctantes, sub pœna depositionis officii et etiam culpæ gravioris prioribus provincialibus in hoc negligentibus infligenda.

Expliciunt constitutiones ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli ordinatæ et correctæ per Reverendum Patrem Fratrem Joannem de Alerio sacræ theologiæ doctorem prioremque generalem prædicti ordinis ex commissione sibi facta per diffinitores capituli generalis.

Anno Domini MCCCXXIIIJ Barcinonæ celebrati. (1)

Et incipiunt rubricæ earundem.

(Fol. 37b) (Sequitur index rubricarum) (Fol. 38a)

(In fine :)

Expliciunt rubricæ Constitutionum fratrum ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli.

(1) Celebratum (Barcelona) in die Pentecostes quæ erat dies 3 Junii.

HÆ SUNT ORDINATIONES ET CONSTITUTIONES CAPITULI GENERALIS FRATRUM ORDINIS BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI ANNO DOMINI MCCCXXVII IN DIE PENTECOSTES (1) ALBIÆ CELEBRATI; QUAS NOS, PRIOR GENERALIS ET DIFFINITORES DICTI CAPITULI ORDINAMUS PER TOTUM NOSTRUM ORDINEM OBSERVARI.

Primo si quidem in secunda rubrica (2) corrigatur de numero provinciarum et ponatur: Adunamus provincias Alemaniæ inferioris et Superioris ut sit una provincia sicut ante capitulum generale Burdigalense (3) fore consuevit.

Item in eadem secunda rubrica ubi dicitur: *Prior mittens vel scienter permittens ab officio sit deponendus ipso facto,* (4) dicatur: ab officio per superiorem deponatur.

Item in eadem rubrica ubi dicitur: *Nullum tamen opus* etc. (5), dicatur sic: Nullum tamen opus notabile et sumptuosum inchoetur per quemcumque nisi de licentia prioris generalis vel provincialis et de ordinatione et assensu trium fratrum prædictorum.

Item in Rubrica tertia ubi dicitur: *Concedimus tamen et permittimus quod fratres,* (6) abradatur *fratres* et ponatur: *conventus.*

Item in Rubrica quarta circa finem (7) addatur quod prior localis possit licentiare fratres ad comedendum in villa cum personis notabilibus et honestis sic tamen quod prior discrete

(1) Id est die 31 Maji. (Albi)
(2) no. 1.
(3) Anno 1318.
(4) no. 5.
(5) no. 13.
(6) no. 10.
(7) no. 14.

se habeat in licentia concedenda ne per hoc materia vel occasio scandali subsequatur.

Item, Rubrica VII addatur: Statuimus quod Parysius et in aliis studiis generalibus provideatur fratribus studentibus infirmis sicut aliis fratribus de conventu.

Item Rubrica X ponatur: *Sustentationibus* etc. quæ ponitur in fine Rubricæ XXXVI.

Item, Rubrica XVI de studiis et studentibus, et Rubrica XXVII (1) de electionibus, ubi dicitur de magistris, bachalariis et scolaribus forensibus corrigatur sic quod solum locum habeat in magistris, bachalariis (Fol. 38 b) et scolaribus forensibus studii Parysius et scolaribus simplicibus aliorum studiorum generalium. Magistri vero et bachalarii seu lectores forenses aliorum studiorum sive generalium sive aliorum, et alii quicumque fratres deputati conventuales vel officia in aliis provinciis tenentes, ibidem eligere vel eligi valeant sicut et alii fratres illius provinciæ ubi manent.

Item Rubrica XXIII de capitulo generali (2) ubi dicitur *Nullus intret capitulum generale nisi prius compleverit tres annos*, abradatur *tres annos* et ponatur *quinque*.

Item Rubrica XXIV de capitulo provinciali ubi dicitur (3) de socio prioris electo per octo vel plures dies ante recessum prioris ad capitulum, addatur: si fratres de conventu infra octo dies ante prioris recessum ad capitulum sine evidenti dispendio conventus præsentes esse possint ad talem electionem faciendam.

Item Rubrica XXVII revocamus propter multa pericula pœnas quæ in constitutionibus de subornationibus conti-

(1) Rubr. XVI no. 36. Rubr. XXVII no. 6.
(2) no. 19.
(3) no. 4.

nentur (1). Prohibemus tamen districte ne aliquis facere subornationes audeat attemptare sub pœna privationis vocis et loci et expulsionis de capitulo.

Item Rubrica XXXII de lapsis in peccatum carnis, lusoribus etc. ubi dicitur (2): *si quis cum taxillis* addatur : aut aliis ludis vel modis.

Item Rubrica XXXIII de minantibus etc. ubi dicitur (3): *Si autem priori locali ad percutiendum arma levaverit per X dies*, dicatur per XX dies, infra de provinciali dicatur XXX dies, et de generali XL dies.

Item Rubrica XLIV de fratribus decedentibus etc. ubi ponitur (4): *qui nesciunt legere dicant tria millia Pater noster* abradatur et dicatur : X millia pro XX psalteriis annuatim. Item addatur in eadem Rubrica quod magistri, bachalarii, lectores et quicumque alii positi in officiis extra suas provincias et decedentes ibidem habeant idem emolumentum missarum et psalteriorum de suis provinciis ubi existunt oriundi ac si ibidem conventuales remansissent.

Ceteras autem constitutiones quas Rev. Pater noster Prior Generalis ex commissione capituli Barchinonensis ordinavit ab omnibus volumus una cum istis observari.

Taxatio Alemaniæ pro communibus ordinis et censibus Parysius sunt annuatim CC grossi.

Capitulum generale sequens abhinc ad triennium Valencenis in provincia Franciæ ordinamus celebrari.

Provincia Alemaniæ legat tria millia missarum partim de Spiritu Sancto, partim de Beata Virgine, partim pro defunctis pro recommendatis in capitulo generali.

(1) no. 18.
(2) no. 4.
(3) no. 2.
(4) no. 4.

NOVERINT QUORUM INTEREST QUOD HÆC EST DETERMINATIO CAPITULI GENERALIS IN FESTO PENTECOSTES (1) VALENCENIS ANNO DOMINI MCCCXXX CELEBRATI, FACTA PER REVERENDUM MAGISTRUM PETRUM DE CASA IN PRIOREM GENERALEM IBIDEM ELECTUM ET CONFIRMATUM POST RESIGNATIONEM VENERABILIS MAGISTRI JOANNIS DE ALERIO.

Committimus priori generali quod possit sibi eligere socios suos quos voluerit et mutare quando sibi placuerit. Item quod prior generalis possit ponere et deponere priorem Curiæ Romanæ et priorem Parisiensem. Item committimus priori generali interpretationem Constitutionum (Fol. 39 a) quando dubium aliquod apparebit et quod in eis possit dispensare quando evidens necessitas apparebit.

Item ordinamus quod omnes scolares Parysius contribuant et omnes bachalarii et magistri vacantes si qui starent, sed solum magistrum actu regentem et bachalarium actu legentem Sententias volumus esse ibidem sine contributione.

Item assignamus capitulum generale in provincia Narbonensi in conventu Nemausi in festo Pentecostes Anno Domini MCCCXXXIII. Et committimus priori generali ut possit illud mutare quoad provinciam et quoad conventum. Item rubrica (2) ubi ponitur: *Recurrendum est ad jus commune* abradatur et ponatur: Omnia fiant secundum justitiam et conscientiam bonam semoto omni processu jure litigioso.

Item ordinamus quod quicumque erit causa adventus alicujus majoris vel superioris seu visitatoris ad aliquem con-

(1) Die 27 Maji. (Valenciennes)
(2) Rubrica XXXV, n. 5.

ventum vel provinciam pro culpis personalibus, quicumque reus inventus fuerit sive accusans sive accusatus teneatur solvere expensas hujusmodi adventus superioris.

Item ordinamus quod si contingeret priorem generalem resignare officium generalatus facimus ipsum primum diffinitorem in eodem capitulo generali.

Item ordinamus quod provincialis quilibet veniens ad capitulum generale portet secum numerum omnium fratrum vivorum similiter mortuorum, explicando et quot fuerunt recepti citra capitulum generale proximo celebratum.

Declaramus quod taxatio tam de communibus ordinis quam de Parysius (sic) et vestiario et studentium et aliorum existentium Parysius solvantur de antiquis grossis qui nunc valent XII parvos Turonenses.

Sententias anno sequenti Parysius legat frater Joannes Vogolo (1), alio anno sequenti frater Joannes de Monte Esquilio (2), de aliis legentibus ordinet prior generalis.

Item ordinamus quod nullus magister forensis vel bachalarius seu biblicus seu studens Parysius possit eligi in socium

(1) Conventûs Coloniensis ; ibi etiam prior fuit ab annò 1331 usque 1334, et iterum a 1345 usque 1348. Decimus-nonus est inter Carmelitas (juxta Trissæ enumerationem) qui lauream magistralem Parisiis obtinuit. Obiit tandem Coloniæ circa annum 1373 « plenus dierum, immo decrepitæ ætatis » ait Norbertus a S. Juliana ex Jacobo Millendonck. Cf. inter alia MS 16492 Bibl. Regal. Bruxell. fo. 18b.

(2) A Johanne XXII per bullam Kal. Julii Anno octavo (1 Julii 1334) constitutus Vicarius conventus Avinionensis, fuit ab hoc officio amotus a Benedicto XII, VIII Idus Junii anno I (6 Junii 1335 Cf. Bullar. Carm. I. P. 564 sqq. Videtur numquam lauream accepisse cum nec apud Trissam neque alibi enumeretur.

prioris provincialis seu localis euntium ad capitula generale vel provinciale, eligere tamen potest et in suis provinciis eligi.

HÆ SUNT CONSTITUTIONES EDITÆ PER REVERENDUM PATREM PRIOREM GENERALEM AC DIFFINITORES CAPITULI GENERALIS ANNO DOMINI MXXXIII IN FESTO PENTECOSTES (1) NEMAUSI CELEBRATI.

In primis Rubrica II ubi dicitur *Statuimus quod in ordine no-*

(1) (Nîmes) Die 23 Maji. Circa hoc capitulum juvat afferre bullam pontificiam Johannis XXII quæ extat in bullario Carmelitano, t. I. P. 561 dat. Avinioni XII Kal. Jun. Anno XVII (21 Maji 1333) «Intensis desideriis per vos in hac congregatione sancta talia et taliter ordinari quæ ad Dei honorem respiciant, et ad Ordinis vestri statum prosperum, affectantes, vestram prudentiam hortamur in Domino et rogamus, quatenus ad ea quæ Dei sunt, salutem animarum respiciunt, religionem fovent, ejusque decorem observant, adeo corda sint vestra concordia et opera manifesta, quod et interius vestræ religionis unitas et exterius famæ integritas conserventur. Verum quia ibi disciplina contemnitur, necesse est ut religio naufragetur, quæ utique in Ordine vestro remissa ex hoc probatur nimium, quod in Romana curia, ubi fratrum conversatio esse debet irreprehensibilior, nimium reprehensibilis reperitur. (*Editor hic indicat lacunam.*) Venerabilis frater noster Johannes episcopus Terræ Albensis professor dicti ordinis, ac dilecti filii Petrus de Felicianis noster pœnitentiarius et Johannes Marcelletti provinciæ Provinciæ prior provincialis præfati ordinis, qui auctoritate nostra inquisivit de aliquibus certasque pœnas imposuit, graviores ordinationi generalis capituli de nostro beneplacito relinquendo, prudentiam vestram poterunt latius informare. Super quibus et aliis corrigendis sic curetis providere sedule quod Nos non oporteat salubria contra tanta mala remedia adhibere.» Deinde pergit ad commendandum seipsum et ecclesiam catholicam piis precibus fratrum.

stro sint XIV provinciæ (1) ponatur : XVI provinciæ quarum prima sit Terra sancta, secunda Sicilia, tertia Anglia, quarta Narbona, quinta Romana, sexta Francia, septima Alemania tota, octava Lumbardia, nona Aquitania, decima Aragonia, undecima Ybernia, duodecima Apulea, tertia-decima provincia Provinciæ, quarta-decima Scotia, quinta-decima Tuscia, sexta-decima Bononia.

Et Rubrica III ubi dicitur (2): *Item statuimus quod in quolibet conventu totius ordinis missa de Beata Virgine* etc. in fine addatur : Item statuimus quod statutum alias editum, scilicet quod in quilibet conventu totius ordinis una die qualibet septimana missa de Spiritu Sancto solemnius (Fol. 39b) pro bono statu Domini Papæ et totius sanctæ Romanæ ecclesiæ celebretur, inviolabiliter observetur.

Item in Rubrica X ubi dicitur (3) : *Nulli fratri illegitimo* etc. in fine illius clausulæ addatur et ponatur : Item statuimus quod cuilibet fratri nostri ordinis liceat facere annum jubileum si steterit in ordine continue per quinquaginta annos sine crimine et scandalo.

Item in Rubrica XII ubi ponitur : (4) *Item præcipimus per obedientiam* etc. abradatur et pœnæ sequentes remaneant.

Item Rubrica XVI ubi dicitur (5) quod in ordine nostro

Johannes Macelotus conventus Nemausensis, theol. lector, provincialis prov. Provinciæ, vir religiosus, virtutibus et scientiis clarus, pœnitentiarius apostolicus, obiit Avinioni 31 Oct. 1334.

Petrus de Felicianis adhuc 1347 superstes Bononiæ « in remissionem suorum peccaminum » capellam sanctarum Ursulæ et Luciæ infra ecclesiam fratrum ejusdem ordinis construxit. Bullar. t. I, p. 79.

(1) no. 1.

(2) no. 12.

(3) no. 11.

(4) no. 4.

(5) no. 1.

sint octo studia generalia ponatur XI scilicet: Parysius, Tholosæ, Bononiæ, Florentiæ, In Monte Pessulano, Coloniæ, in Anglia Londoniis, in conventu Romanæ Curiæ, Barchinone, Neapoli, Mediolani. Item infra ubi dicitur quod quælibet provincia possit mittere duos studentes addatur: præter ad Tholosam, ad Montem Pessulanum et ad Curiam Romanam ad quæ studia quælibet provincia solum unum, et quod non mittantur nisi sufficienter fuerint in logicalibus instructi.

Item Rubrica XVII ubi dicitur: (1) *confirmatus autem* etc. in fine clausulæ addatur: quod prior generalis cum capitulis provincialibus earum provinciarum eas reunire possit et quasdam de consensu et voluntate capituli provincialis dividere.

Item Rubr. XXIII ubi dicitur: (2) *Inhibemus* etc. in fine addatur: Item statuimus quod priores provinciales nostri ordinis non maneant nisi per triennium scilicet de capitulo generali ad capitulum proximum generale. In eadem Rubrica infra (3) ubi dicitur quod generalis absolutus etc. in fine addatur: prior generalis resignans sit diffinitor capituli generalis et capituli provincialis suæ provinciæ si præsens fuerit. Item in eadem ubi dicitur: *priores provinciales* (4) in fine ponatur: Item mandamus omnibus provincialibus ut apud reges et principes suarum provinciarum eleemosinam pro capitulo generali procurent et secum eam deferant sub pœna depositionis ab officio.

Item in Rubrica XXIV ubi dicitur (5): *Cum autem diffinitores* etc. addatur quod prior provincialis sponte et voluntarie resignans vel qui ad sui instantiam absque culpis et suis

(1) no. 2.
(2) no. 14.
(3) no. 25.
(4) no. 31.
(5) no. 11.

demeritis exigentibus absolvitur vel deponitur sit de gremio capituli provincialis suæ provinciæ, non tamen diffinitor nisi eligatur, et habeat primam vocem post priorem in suo conventu ac sibi in suis necessariis provideatur sicut priori. Idem volumus de magistris non regentibus observari.

Item Rubrica XXXV ubi dicitur (1): *Si quis fratrum alicui sacerdoti nostri ordinis* etc. in principio ponatur: Caveant sibi fratres cujuscumque gradus aut status existant quod prælatis ecclesiæ malitiose non detrahant. Si quis autem, quod absit, inventus et convictus fuerit Domino nostro Papæ detraxisse aut aliquod verbum diffamatorium dixisse, carceri mancipetur in eodem mansurus donec per capitulum generale liberetur. Item in eadem Rubrica ubi dicitur: (2) *ubicumque Constitutiones* etc. dicitur: fiant secundum justitiam et bonam conscientiam, addatur: recurratur ad jus commune.

Item Rubrica XLIV ubi dicitur: (3) *Item volumus quod* (Fol. 41a [4]) *fratres possint libros suos ac alia personalia ab amicis* etc. Et infra ubi dicitur: *quibus libri vel hujusmodi distributa fuerint emolumenta animarum recipiant in novissimis vitæ suæ,* addatur: quod ante omnia expensæ factæ in infirmitate et exequiis de bonis fratrum decedentium solvantur.

Item ordinamus capitulum generale proximum celebrandum Bruxellæ in provincia Alemaniæ et committimus priori generali auctoritatem et potestatem mutandi si necessitas superveniat. Item concedimus eidem ut sibi socios quos voluerit assumat secundum quod sibi videbitur expedire. Omnes constitutiones contrarias supradictis simpliciter revocamus.

(1) no. 1.
(2) no. 5.
(3) no. 7.
(4) Fol. 40 (a et b) continet instrumentum aliquod ad provinciam Alemanniæ pertinens et hic perperam insertum.

HÆ SUNT CONSTITUTIONES EDITÆ PER REVERENDUM PATREM NOSTRUM PRIOREM GENERALEM AC DIFFINITORES CAPITULI GENERALIS ANNO DOMINI MCCCXXXVI IN FESTO PENTECOSTES (1) BRUXELLIS CELEBRATI.

De silentio et locutione Rubrica V in principio (2) ubi dicitur : *fratres silentium teneant in choro, claustro, dormitorio et in cellis præterquam in cella prioris* addatur : inviolabiliter. Item, in eadem Rubrica ubi dicitur : (3) *Nullus in capitulo loquatur,* addatur : nisi habita licentia commissam culpam denuntiando seu accusando sub pœna gravioris culpæ. Si quis vero aliter loquatur quam ut permissum est nisi post primum monitionem de silentio statim sileat, voce et loco careat ipso facto quoad illum diem et statim de capitulo expellatur.

Item Rubrica IX de hospitibus et itinerantibus (4) ubi dicitur quod fratres hospites in villa ubi domum habemus non comedant vel hospitentur &c. nisi conventu prius visitato sine licentia habita a Priore generali vel provinciali addatur : vel locali. Item in eadem Rubrica (5) Si quis habita licentia quod extra villam vel ad aliquem locum in villa ubi conventum habemus vadat et sine licentia ibidem maneat una nocte, loco et voce careat ipso facto; si vero per duas noctes, carceri mancipetur; si vero per tres aut plures ultra prædictas pœnas secundum quantitatem et qualitatem delicti

(1) Die 19 Maji.
(2) n. 1.
(3) n. 8.
(4) n. 1.
(5) ibidem.

gravius puniatur. Item in eadem Rubrica ubi dicitur: (1) quod nulla mulier hospitetur in domibus nostris, addatur nisi nobilis domina fuerit aut honesta matrona quibus sine indignatione notabili hospitium negari non posset et tunc cum decenti comitativa cum sua familia hospitetur. Item statuimus quod fratres de licentia suorum provincialium ad curiam romanam euntes in aliquo de nostris conventibus citra et extra locum ejusdem curiæ maneant vel in aliquo loco distante ab eadem curia per tres leucas, qui locus tamen sit honestus, quousque licentiam obtinuerint a Reverendo patre Priore generali (Fol. 41b) vel ejus vicario per eum in eadem curia constituto seu in eorum absentia a generali procuratore ordinis; qui autem aliter locum seu conventum dictæ curiæ intrare præsumpserit carceri mancipetur.

Item Rubrica XII de vestimentis et calciamentis fratrum inseratur: Cum constitutiones ab antiquo sub certa pœna prohibeant ne quis camisiis vel habitu de lana tincta utatur seu panno tincto, prædictas constitutiones singuli priores provinciales in suis faciant provinciis observari. Et qui in observatione constitutionis hujusmodi fuerint negligentes a suis officiis absolvantur, pœnis in dictis constitutionibus expressis contravenientibus infligendis.

Item Rubrica XVI de studiis et studentibus: (2) Statuimus quod nullus scolaris Parysius pro studente mittatur nisi prius in sua provincia vel aliena philosophicam (3) Aristotelis vel metaphysicam complete legerit et præter hoc ad minus unum de quatuor libris philosophiæ naturalis, scilicet de anima vel de generatione, meteoris aut de cœlo et mundo, quod provincialibus injungimus observandum, sub pœna depositionis

(1) n. 5.
(2) n. 11.
(3) sic.

ab officiis suis transgressoribus infligenda, et licentiam accipiens ipso facto loco et voce sit privatus. Item in eadem Rubrica ubi dicitur : (1) *studentes parysienses vel in quibuscumque aliis studiis generalibus ad provincias suas non redeant ante triennium* abradatur et dicatur : nullus scolaris per suam provinciam missus Parysius ad studium ultra duos annos manere præsumat sine prioris generalis licentia speciali sub pœna privationis loci et vocis ipso facto ; quod si ultra duos annos de speciali Prioris generalis licentia remaneat de sua provincia nullam provisionem recipiat et nihilominus singulis annis quibus sic specialiter per generalis licentiam stat ibidem de suis personalibus solvat conventui Parysiensi CCC grossos Turonenses antiquos, nec non eo facto privilegiis scolarium sit privatus. Item quilibet scolaris Parysiensis qui per suam provinciam non est missus sed ibidem stat scolaris de gratia pro sola vita communi, conventui Parysiensi singulis annis CCC grossos Turonenses antiquos solvere teneatur.

Item statuimus quod nullus frater cujuscumque provinciæ per provincialem seu provinciale capitulum ad quævis studia generalia extra suam provinciam mittatur præterquam ad studium parysiense ultra numerum statutum per constitutiones ordinis de scolaribus mittendis, sine Prioris generalis licentia habita speciali sub pœna depositionis provincialibus infligenda et inhabilitationis quoad singulos diffinitores et ad actum diffiniendi alias in futurum.

Item in eadem Rubrica ubi dicitur (2) quod magistri et bachalarii et scolares foren(Fol. 42a)ses conventus parysiensis eligant socium prioris, abradatur usque ad : *in suis provinciis eligi potuerint.* Item cum religiosos non liceat ad

(1) n. 38.
(2) n. 36.

vanitatem studere sed solum ut sibi et proximis fide et moribus in ecclesia Dei prosint, statuimus quod nullus cujuscumque gradus existat lecturæ et studio deputatus scientia sana relicta imaginationes phantasticas seu opiniones quas prima facie male sonare viderint discere seu docere præsumat, sub pœna absolutionis a studio et gradu adepto.

Volentes quod nullus frater ad studium generale extra suam provinciam mittatur nisi pars major capituli provincialis consentiat, nec aliquis de provincia Angliæ ad universitatem Oxoniensem et Cantabrigiensem ad studendum mittatur nisi sex fratres jurent, quorum aliqui sint priores qui ejus conversationem noverunt, quod talis frater mittendus non sit discolus, rixosus, viciosus, aut aliunde suspectæ vel inhonestæ conversationis, sub pœna depositionis ab officiis provincialibus et inhabilitationis ad actum diffiniendi in futurum diffinitoribus infligenda.

Idem de bachalariis ad lecturam Sententiarum promovendis volumus observari. Item cum consuetum sit Parysius per privilegia Sedis apostolicæ de biennio in biennium tantummodo expeditiones seu licentiationes magistrorum in theologia fieri, statuimus quod in Anglia quilibet magister in universitatibus Oxoniensi et Cantabrigiensi per biennium legere teneatur, nisi prior provincialis Angliæ propter causam necessariam de cessatione actu regentis et inceptione sequentis in fine secundi anni per quindenam vel per mensem ad plus aliter duxerit ordinandum, sub pœna privationis loci et vocis ipso facto tam magistro regenti quam inceptori. Nec quicumque magister Parysius incipiens aut in Anglia ultra CC solidorum nigrorum Turonensium in esculentis et poculentis in inceptione sua expendat seu alium vel alios de ordine nostro permittat expendere quoquomodo, nec sæcularem vel sæculares permittat incipiens ad suum honorem expendere, nisi idem prius incipiens coram suo superiore juret

solemniter quod hujusmodi expensas non de bonis ordinis sed mere et pure de bonis suis propriis faciat sæcularis, aut faciant sæculares, sub pœna superius annotata.

Et ut bachalarii sufficientiores habeantur statuimus quod in universitatibus Oxoniensi et Cantabrigiensi lecturam Sententiarum quilibet bachalarius per biennium continuat, sub pœna privationis loci et vocis ipso facto et inhabilitationis ad magisterium assequendum.

Item in eadem Rubrica ubi dicitur (1) *Statuimus et firmiter præcipiendo mandamus quatenus* (Fol. 42b) *in omnibus provinciis decima fideliter et integraliter colligatur* propter diversa pericula animarum vitanda illa constitutio abradatur cum omnibus sequentibus usque ultimam constitutionem ejusdem Rubricæ quæ sic incipit : *Poterit autem Prior generalis conventus deputatos ad tenendum studia generalia* &c et dicatur sic : Statuimus quod in omnibus provinciis singulis annis fiat taxatio una communis de qua omnibus magistris, inceptoribus, lectoribus, scolaribus fiat provisio consueta de qua etiam taxatione tam pro vestiario Reverendi Patris Prioris generalis tam pro censibus Parysiensibus, pro procuratione Romanæ curiæ et quibuscumque causis communibus extra provincias, quam pro communibus causis quibuscumque in provinciis integraliter persolvatur.

Item Rubrica XVIII de officiis priorum provincialium ubi dicitur: (2) *Committimus prioribus provincialibus quod in proximis capitulis provincialibus post capitula generalia de assensu diffinitorum* abradatur usque in finem ejusdem rubricæ.

Item Rubrica XXIII de capitulo generali inseratur : (3) Et si quis ad capitulum generale sine licentia sui Prioris generalis

(1) n. 46-50.
(2) n. 5.
(3) n. 19.

aut ad capitulum provinciale sine licentia prioris provincialis præter illos qui per Constitutiones ad hujusmodi capitula venire tenentur accesserint, voce et loco careant ipso facto. Item ejusdem Rubricæ XXIII ubi dicitur : (1) *Inhibemus* &c ubi in fine constitutionis Nemausensis (2) additur quod priores provinciales in suis officiis non maneant nisi per triennium, totaliter revocamus.

Item Rubrica XXIV de capitulo provinciali ubi dicitur (3) quod debeat tantummodo capitulum provinciale celebrari ex prioribus localibus &c, statuimus quod sicut non volumus magistros parysienses in suis provinciis esse de gremio capitulorum provincialium nisi aliter sint electi, idem de magistris Angliæ volumus observari quacunque consuetudine in contrarium non obstante. Item in eadem Rubrica ubi dicitur : (4) *Verumtamen in primo capitulo provinciali post capitulum generale poterit prior provincialis de diffinitorum assensu* &c. illa constitutio totaliter abradatur usque ibi : *Mortuo autem Priore provinciali* &c. Item ubi dicitur (5): *Sociis prioris provincialis dentur litteræ testimoniales super electionem diffinitorum et sociorum prædictorum per diffinitores capituli provincialis* inseratur in hac forma :

« Pateat per præsentes quod cum in tali provincia pro eli-
« gendis sociis prioris provincialis et diffinitoribus capituli
« generalis tali loco, tali tempore celebrandi tot electores esse-
« mus, talis frater pro socio tot, et talis tot voces habuit de
« numero eligentium supradicto. In secunda vero electione
« pro diffinitoribus eligendis prior provincialis, vel talis, a

(1) n. 14.
(2) P. 122.
(3) n. 4.
(4) n. 17.
(5) n. 22.

« tot (Fol. 43 a) fratribus vel a tot in diffinitorem fuit ele-
« ctus. Datum &c. In quarum electionum testimonium sigil-
« lum commune provinciæ clausis præsentibus est impres-
« sum. »

Item in eadem Rubrica ubi dicitur : (1) *Cum autem diffinitores* &c. addit Nemaus. Quod provincialis sponte et voluntarie resignans vel qui ad sui instantiam absque culpis suis demeritis exigentibus absolvitur vel deponitur sit de gremio capituli provincialis suæ provinciæ illo anno, non tamen diffinitor nisi eligatur, totum residuum quod postea in eadem constitutione sequitur totaliter abradatur.

Item Rubrica XXVI de capitulo conventuali ubi dicitur : (2) *deinde fratre vocato pœnam per constitutiones taxatam sibi injungat sine contradictione cujuscumque* addatur : Si quis de culpa notabili convictus fuerit pro cujus punitione in constitutionibus nulla specialis pœnitentia reperitur, statuimus quod præsidens capitulo coassumptis duobus vel tribus discretioribus ejusdem capituli quos duxerit assumendos hujusmodi fratri convicto consilio præhabito cum eisdem prout sibi videbitur condignam pœnitentiam imponat.

Item in Rubrica XXVII de electionibus (3) ubi dicitur de magistris, bachalariis et scolaribus qui possint eligere socium prioris cum aliis de conventu &c abradatur usque ubi dicitur : *Magistri tamen et bachalarii,* et dicatur Statuimus quod nullus forensis scolaris seu studens Parysiensis eligere valeat seu eligi in quacumque electione ad quævis officia in conventu parysiensi seu in provincia Franciæ seu etiam in quibuscumque studiis generalibus, solum magistris et bachalariis qui Sententias legerunt dumtaxat exceptis. Sed voces suas in pro-

(1) n. 11.
(2) n. 3.
(3) n. 7.

vinciis suis relinquant vel resignent si ad studium Parysiense vel ad alia studia generalia velint promoveri. Scolares vero ejusdem provinciæ Franciæ qui Parysius conventuales existunt in omnibus electionibus prioris, subprioris et sacristæ et custodum et socii prioris ad capitulum provinciale profecturi Parysius et non alibi habeant voces suas.

Item cum bachalarii et scolares universitatum Angliæ in Oxonia et Cantabrigia citra cessationem magistrorum in æstate fiat electio sociorum prioris utriusque conventus non obstante constitutione in Rubrica de capitulo conventuali quod electio socii prioris ad capitulum provinciale fieri habeat infra octo dies ante recessum prioris in qua quidem electione cum ceteris fratribus dictorum conventuum Oxoniensis et Cantabrigiensis magistri, bachalarii et scolares habeant voces suas, nec in aliis conventibus electionibus sociorum priorum localium seu quibuscumque aliis electionibus ad alia officia valeant interesse aut eligere aut eligi; quod si ex causa necessaria circa hujusmodi cessationem magistrorum in æstate aliquis frater dictorum conventuum per ordinationem provincialis recesserit pro electione prioris Oxoniensis et Cantabrigiensis, vocem suam secreto relinquat.

Item statuimus quod (Fol. 43b) nullus possit eligi in diffinitorem capituli generalis nec in socium prioris provincialis ituri ad capitulum generale nisi sit magister, bachalarius vel actu sit prior vel alias prior fuerit aut lector in theologia actu vel alias fuerit, et cum hoc nisi XXX annos habeat in ætate. Item nullus frater in aliena provincia de qua per generalem vel ejus vicarium fuerit assignatus habeat vocem in electionibus quibuscumque nisi missus fuerit ad aliquod officium exercendum in ea, vel habendi vel (non) de voce in ejusdem obedientia specialis mentio habeatur; volentes hanc constitutionem extendi ad illos qui post generale capitulum Nemausense ad diversas provincias sunt amoti.

Item Rubrica XXVIII de sigillis et sigillationibus immediate ante illum:(1) *Nullus socius prioris generalis seu provincialis* &c inseratur: statuimus quod qui notabilia scandala vel perjuria commiserint seu etiam commiserunt, nisi ante constitutionem hanc dispensatum fuerit cum eisdem, per provinciales et diffinitores capitulorum provincialium in communibus papiris suarum provinciarum scribantur, quod prioribus provincialibus injungimus observandum sub pœna depositionis ab officiis suis transgressoribus infligenda.

Item in eadem Rubrica paragrapho IV in fine ubi dicitur: (2) *præterquam in officiis in capitulo generali injungendis* addatur: præterquam in officiis et omnibus et singulis agendis in capitulo generali, cum usus et consuetudo ordinis sic semper servatur et in futurum approbamus et quantum ad litteras de pœnitentiis injungendis in capitulo provinciali hoc idem volumus observari. Item in eadem Rubrica ubi dicitur: (3) *Si quis pro continuatione vel adeptione officii infra ordinem aut pro defensione vel impunitione commissæ culpæ vel pro promotione ad studium seu pro mora in conventu vel amotione ad conventum in quo scandalosus vel damnosus seu suspectus habetur* addatur: et contra voluntatem sui superioris pro quacumque gratia obtinenda preces vel litteras &c ut supra. Item statuimus ut ibi inseratur: si propter preces vel litteras prælatorum, principum, magnatum aut communitatum vel quarumcumque personarum extra ordinem quemcumque prælatum ordinis, ne ipse aut ordo offensam, indignationem aut damnum incurrat, alicui fratri oporteat vet contingat gratiam concedere contra suam voluntatem, quamvis talis frater per se vel per alium hujusmodi preces seu litteras minime pro-

(1) n. 3.
(2) n. 4.
(3) n. 10.

curaverit, statuimus quod si ille frater pro quo hujusmodi preces fiunt gratia taliter sibi concessa utatur ut preces seu litteras sine indignatione et offensione non fecerit revocari, omnibus bonis suis personalibus privetur et voce et loco careat ipso facto carceri mancipandus. Item statuimus quod si propter hujusmodi preces vel litteras oporteat vel contingat priorem generalem aut provincialem fratrem aliquem ad studium generale mittere vel (Fol. 44a) ad lecturam quamcumque seu ad magisterium promovere, talis sic missus vel promotus nullam provisionem de sua provincia neque de communi taxatione ordinis recipiat quoquomodo, et nihilominus ipso facto sit privatus omni gradu magisterii, bachalareatus, lectione et scolariatu sic adepto et etiam ipso facto sit privatus loco et voce tempore sempiterno. Nec super hoc statuto prior generalis valeat dispensare. Et si prior generalis vel provincialis sive sic commisso vel promoto de quacumque taxatione provideat seu provideri permittat, provisionem illam ordini integraliter restituere teneatur.

Item Rubrica XXIX ubi dicitur (1) : *Nullus prior localis aut bachalarius vel lector cujuscumque conventus famulum ipse teneat* &c. addatur seu scolaris seu quicumque alius frater. Solis magistris Parysiensibus et in universitatibus Angliæ regentibus ac etiam magistris, Angliæ extra suam provinciam legentibus dumtaxat exceptis ; quod si fecerit loco et voce careat ipso facto. Super quo statuto nec provincialis neque capitulum provinciale nec prior localis etiam consentiente conventu valeat dispensare.

Item Rubrica XXXI de apostatis in principio ubi dicitur : (2) *Quicumque contumaciter* &c usque ibi : *et omnis apostata*, et dicatur sic : statuimus quod quicumque sine licentia sui

(1) n. 6.
(2) n. 1.

superioris a conventu vel a provincia recesserit vel alias vagatus fuerit, si infra unum diem non redierit, loco et voce careat ipso facto, et si ex hujusmodi recessu scandalum evenerit, aut ultra unum diem sine hujusmodi superioris licentia steterit, [et] pro quantitate et qualitate scandali et delicti gravius puniatur. Qui vero contra directum præceptum sui superioris recesserit etsi ad alium superiorem suum ire contigerit, tamquam rebellis et apostata loco et voce privatus carceri mancipetur. Volumus tamen quod qui propter causam necessariam a suo immediato superiore licentiam petierit nec obtinuerit primo suo provinciali hujus(modi) petitam licentiam non obtentam et causam per litteras significet, quas idem immediatus superior a quo petita fuerit hujusmodi licentia suo sigillo consignet, sub pœna depositionis ab officio si contravenerit infligenda. Prior vero provincialis tam de hujusmodi causa quam de negatione licentiæ, gratiæ seu justitiæ faciat complementum. Postremo vero si necessitas hoc requirat quod postquam hujusmodi petita licentia non obtenta provinciali suo fuerit intimata adhuc oporteat et debeat hujusmodi causam et licentiam non obtentam Reverendo patri nostro Priori generali innotescere sub sigillo sui superioris immediati aut provincialis volumus quod scribatur. Item quicumque extra suam provinciam recesserit sine litteris obedientialibus seu licentiatoriis ad quemcumque conventum declinaverit, statim per priorem ejusdem conventus (Fol. 44b) vel ejus locum tenentem carceri mancipetur. Statuimus quod quivis apostatatur ex tunc in ordine numquam officium habeat neque gradum, exceptis illis cum quibus ante capitulum generale bruxellense fuerit dispensatum.

Item Rubrica XXXIV de comminantibus et rebellibus

ubi dicitur (1) quod fratres omnes superioribus obediant in omnibus licitis et honestis statim addatur: qui vero speciali mandato sui superioris, sibi singulariter aut sibi et aliis pluraliter, non obedierit seu in contrarium venerit, loco et voce careat ipso facto, et si in præsentia sui superioris hujusmodi mandato non obedierit aut contravenerit pœna rebellium puniatur.

Item Rubrica XXXV de improperantibus et diffamantibus etc. ubi dicitur, (2) quod si quis apud bonas et notabiles personas de crimine diffamatus fuerit, addatur vel suspectione probabili sit suspectus et aliter convinci non poterit, indicatur sibi canonica purgatio, ut tandem convincatur si in purgatione defecerit vel recuperet bonam famam. Item cum quidam insolentes Divino timore neglecto mala committere non formidant, eo quod ad judices non suos ecclesiasticos et sæculares recurrant pro habendis purgationibus coram eis super diversis criminibus de quibus infamati noscuntur aut probabiliter sunt suspecti, correctionem sive justitiam requirentes ab eis, per hoc malam vitam subdole palliantes ut correctiones infra ordinem effugiant regulares, in periculosum exemplum et scandalum plurimorum. Statuimus quod quicumque frater cujuscumque status, gradus, officii aut conditionis existat, pro correctione, purgatione seu alia executione justitiæ qualicumque pro se aut aliis fratribus seu sæcularibus ad judicem non suum sine prioris generalis licentia aut provincialis confugerit, carceri mancipetur; per hoc tamen non intendimus excludere quin de culpis fratrum et scandalis possint superiores ordinis informari et certificari per personas fide dignas etiam sæculares.

Item statuimus quod omnes qui de schismate et divisione

(1) n. 1.
(2) n. 4.

infra ordinem, vel hæretica pravitate convicti fuerint, seu aliter probabiliter suspecti, nisi legitime purgare se possint, necnon et eorum defensores, consilium, auxilium vel favorem præbentes eisdem, carceri mancipentur.

Item statuimus quod si quis in gravibus seu notabilibus seu falso testimonio contra aliquos vel aliquem convictus fuerit, præter pœnam talionis sibi debitam, i. e. pœnam quam accusatus subiret si esset convictus, pœnitentiam ad portam tot diebus faciat quot ejus superiori videbitur expedire; quam pœnitentiam faciet per hunc modum: sine cappa sedeat super terram indutus aliquo scapulari super quod XII linguæ ante et retro de panno rubeo consuantur, in signum (quod) propter linguæ suæ magnum vitium sic debeat pœnitere.

Item Rubrica XXXVI de conspiratoribus in fine Rubricæ addatur: Item statuimus quod si quisquam in capitulo accusatus (Fol. 45a) fuerit et si alius quam accusatus (accusans) acclamaverit, culpam accusati aggravando vel diminuendo seu vel ibidem fratres nominet aut excitet ut culpæ testificentur vel timorem fratribus injiciat ne per eos culpa commissa probetur per præsidentes minime requisitus, ipso facto conspirator ab omnibus reputetur et puniatur pœna conspiratoribus infligenda. Si quis etiam convictus fuerit quod de prælato vel prælatis nostris aut superiore vel superioribus dixerit comminando; nisi ille vel illi ab officiis absolvantur, nisi ille vel illi ad officium vel ad officia eligantur, seu ille vel illi ad gradum vel gradus magisterii vel bachalariatus scolarum promotus vel promoti fuerint, vel ab hujusmodi gradibus reddantur (removeantur), pax non erit in ordine, provincia vel conventu, aut multi apostatabunt, vel morientur, aut hæc vel illa evenerint, seu alia similia verba comminando publicaverint vel dixerint: Volumus quod talis sine contradictione conspiratorum pœnitentia puniatur.

Item Rubrica XLII (1) de pœnis, in principio antequam de levi culpa dicatur: Statuimus quod ubicumque per constitutiones ordinis pœna privationis loci et vocis infligitur ipso facto, propter animarum diversa pericula quæ inde possint contingere ad prælatos nullatenus extendatur, sed loco pœnæ prædictæ ubicumque in constitutionibus reperitur si de prælatis agatur sub pœna depositionis a suis officiis inseratur.

Item statuimus quod quilibet frater loco et voce privatus in choro, capitulo et in refectorio ultimum locum teneat juxta novitios et etiam ubicumque fratres fuerint congregati, quod si quiscumque loco et voce privatus alium locum quam ultimum locum occupare præsumpserit ex tunc ad recuperandum locum et vocem sit inhabilis ipso facto.

Item statuimus quod ubicumque in constitutionibus ponitur pœna depositionis ab officio ipso facto, hoc quod dicitur ipso facto propter multa pericula quæ possent contingere abradatur, et pœna remaneat depositionis ab officio sicut prius.

Item ubicumque ponitur pœna privationis loci et vocis ipso facto, intelligitur hujusmodi pœna ipso facto quando quis de facto in capitulo confessus fuerit aut convictus.

Item statuimus quod omnes et singuli qui contra superiores ordinis se erexerint seu se erigent in futurum, eorum scilicet officium usurpantes seu usurpare conantes aut eos per alios vel per se impedientes ne suum officium exercere valeant cum effectu, pontifices aut prælatos, reges aut principes excitantes, ut superiores a suis officiis repellantur seu etiam absolvantur, seu hujusmodi impedientibus seu taliter se erigentibus consilium, auxilium vel favorem præbentes, si

(1) Rubrica XLII agit de pœna gravioris culpæ quæ amissionem loci et vocis secum trahit. Constitutio hæc post paragraphum primum Rubricæ XXXIX ponenda erat.

talia et consimilia contra suum provincialem aut ejus vicarium attemptare præsumpserint vel etiam præsumpserunt (Fol. 45b) loco et voce careant ipso facto carceri mancipandi. Qui vero contra generalem vel ejus vicarium hujusmodi illicita perpetraverint seu in futurum, quod absit, perpetrabunt, carceri mancipentur et nihilominus loco et voce, statu et gradu et officio ipso facto in perpetuum sint privati et secundum quantitatem et qualitatem excessuum in delicto diutius in carcere teneantur, ut hujusmodi pœnitentia cedat posteris in exemplum et se et suis temerariis excessibus hujusmodi suarum pœnitentiarum qui se taliter contra superiores ordinis erexerint seu se erigent in futurum secundum prædictam constitutionem pensatis quantitate et qualitate suorum excessuum rigide puniantur et castigentur.

Item ordinamus capitulum generale proximum celebrandum ad tres annos in festo Pentecostes Lemovici in provincia Aquitaniæ. Et committimus priori generali auctoritatem et potestatem mutandi si necessitas superveniat vel occurrat. Omnes constitutiones contrarias supradictis simpliciter revocamus.

HÆ SUNT CONSTITUTIONES EDITÆ PER REVERENDUM PATREM NOSTRUM PRIOREM GENERALEM AC DIFFINITORES CAPITULI GENERALIS ANNO DOMINI MCCCXXXIX IN FESTO PENTECOSTES LEMOVICI CELEBRATI. (1).

De divino officio et modo pulsandi Rubrica III paragrapho *Ordinale autem* etc. (2) inseratur quod commemoratio beatæ Virginis in sabbato vel in quacumque alia die celebrata fuerit ad modum festi duplicis celebretur cum cantu consueto

(1) Limoges, die 16 Maji.
(2) n. 7.

Gloria in excelsis et Credo cantando, et tempore quadragesimæ quando commemoratio non fit [et] missa solemnis beatæ Mariæ celebratur, sic tamen quod sicut in ordinali ponitur dicta commemoratio finiatur in Nona quando in sabbato celebratur, et in primis Vesperis incipiatur dicta commemoratio a capitulo nisi festum IX lectionum vel majus primis Vesperis caruisset. Item in eadem rubrica (paragrapho:) *et de festo sanctorum* etc (1) in fine inseratur quod per totum ordinem festum IX lectionum de Sancto Martiali fiat ad modum unius apostoli quoad officium et quoad solemnitatem, sicut de sancto Barnaba et aliis discipulis Domini ecclesia facere consuevit, maxime cum ipse inter alios discipulos Christo et apostolis fuit semper comes assiduus et familiaris amicus, ac etiam Dominus Papa fieri ordinavit et ut per quoscumque libentius fieret magnas indulgentias cum bulla gratiose contulit. Debet autem prædictum festum celebrari crastino octavarum apostolorum Petri et Pauli cum festum prædictum veniat in die commemorationis Sancti Pauli et totum tempus intermedium usque ad cras (Fol. 46a)tinum dictarum octavarum de ipsis octavis et de dicta commemoratione est occupatum.

Item quod festum XI Millium Virginum ad modum festi duplicis per totum ordinem celebretur. Item quod de sancto Saturnino per totum ordinem fiant IX lectiones.

Item ordinaverunt capitulum generale proximum celebrandum ad tres annos Anno Domini MCCCXLII in festo Pentecostes Neapolis in provincia Romana. Commiserunt tamen priori generali authoritatem et potestatem mutandi si necessitas superveniat vel occurrat. Omnes autem constitutiones contrarias supradictis simpliciter revocaverunt. Datum anno, tempore et loco.

(1) n. 10.

Hæ sunt constitutiones editæ in capitulo generali fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli anno Domini MCCCXLII in festo Pentecostes Lugduni celebrati. (1)

In primis statuimus et ordinamus ubi in Rubrica II dicitur (2) quod sint in ordine nostro XIV provinciæ abradatur et dicatur XVII quarum prima sit Terra Sancta, secunda Sicilia, tertia Anglia, quarta Narbone, quinta Romana, sexta Francia, septima Alemannia, octava Lumbardia, nona Aquitania, decima Aragonia, undecima Hybernia, duodecima provincia Provinciæ, tertia decima Scotia, quarta decima Thuscia, quinta decima Bononia, sexta decima Tholosa, septima decima provincia Majoricarum. Item statuimus quod provincia Tholosana habeat conventus infrascriptos, scilicet conventum Tholosanum, Castri-novi de Arrio, Castri Saraceni et Appamiarum. Item statuimus quod provincia Majoricarum habeat etiam conventus infrascriptos, scilicet Perpiniani, Majoricarum, Gerundæ et Petralatæ, (3) sub hac conditione quod quicumque fratres Perpiniani conventus et aliorum conventuum prædictorum de novo receperint tres vel quatuor conventus in regno Majoricarum vel in comitatu Rossilionis, eo facto dictus conventus Gerundæ et Petralatæ volumus esse de provincia Aragoniæ sicut prius, dummodo fratres dictorum conventuum scilicet Gerundæ et Petralatæ illud petant.

(1) die 19 Maji. Post assumptionem Magistri Petri de Casa in episcopum Vasionensem Magister Petrus Raymundi de Grassa in priorem generalem electus est.

(2) n. 1.

(3) I. e. Toulouse, Castelnaudary, Castelsarrasin et Pamiers. Ad provinciam Majoricarum pertinebant conventus de Perpignan, Majorca, Gerona et Pierrelatte (Drôme).

Item in rubrica tertia de divino officio addatur quod de Sororibus beatæ Mariæ, scilicet Maria Jacobi et Maria Salome in die sancti Urbani fiat officium sicut in festo duplici est notatum.

Item inseratur ibidem quod octava de Corpore Christi, de omnibus Sanctis et de Sancto Michaele per totum ordinem solemniter celebretur. Item statuimus quod illa antiphona *Ave regina cœlorum mater regis* etc. cum ℣. *Ora pro nobis* et Or. *Protege Domine*, post gratias semper dicatur a fratribus ordinis extra chorum ubi hoc commode poterit observari.

Item in Rubrica IX de hospitibus itinerantibus (1) statuimus quod hospites in transitu ultra tres dies in conventu Pa-(Fol. 46 b)rysiensi remanentes solvant pro qualibet unum grossum, nec volumus quod provincialis aut prior localis possit dispensare de non solvendo, nisi propter placita, in quo casu Magister regens et bachalarius de contributione solvenda aut non solvenda habeant judicare.

Item statuimus quod provincialis Franciæ habeat Parysius II solidos in die ultra victum magistralem quoad se ipsum, et vitam communem quoad alios secum venientes.

Item nullus frater audeat alicui associare se festivitati extra suum conventum sub pœna apostatarum infligenda.

Item statuimus et ordinamus quod nullus frater audeat facere querelam generali nisi in defectu prioris provincialis, nec provinciali nisi in defectu prioris localis, sub pœna debiti, si sit debitum, vel sub pœna XX dierum ad portam si de injuria sit querela. Item nullus frater præsumat placitare pro sæcularibus aut partem facere pro eisdem sine licentia sui provincialis sub pœna proprietariorum infligenda.

Item in Rubrica XIII de receptione novitiorum (2) addatur

(1) n. 1.
(2) n. 9.

quod quicumque ingrediens ordinem ad sui ipsius instantiam vel de voluntate amicorum suorum antequam recipiatur habeat lectisternia pro se ipso, sin autem recipiens solvat lectum illum.

Item Rubrica XVI de studiis et studentibus ubi dicitur (1) quod studentes solum per biennium stent etc. abradatur et dicatur per triennium; et si quis a studiis recesserit ante suum tempus completum sine licentia speciali prioris generalis aut sui provincialis illo anno in lectorem nullatenus assumatur. Item ubi dicitur quod unus studens ad studia generalia mittatur abradatur et dicatur quod duo possint mitti. Item committimus provinciali et diffinitoribus Angliæ auctoritatem dispensandi cum magistris et bachalariis super constitutione de lectura biennali quando et prout eis videbitur expedire.

Item statuimus quod provinciales mittere teneantur contributiones studentium circa festum Omnium Sanctorum Parysius sub pœna depositionis ab officio nisi per testimonium fide dignorum docere valeant dictas contributiones se dedisse ad portandum mercatoribus hora bona, et idem volumus de censibus Parysiensibus observari.

Item lectores vacantes sine suis demeritis locum primum habeant in choro et in refectorio post lectorem actualiter legentem in conventibus quibus degunt.

Item ordinamus quod magistri anglicani sint de gremio capituli provincialis.

Item in Rubrica XVIII de officio prioris provincialis statuimus quod quando in aliquo conventu scandalum perpetratur et illius occasione provincialis ad illum conventum descendat requisitus, provincia solvat expensas dicti provincialis in casu nisi (quod) ille solvere non sufficiat per quem (Fol. 47a) scandalum est exortum.

(1) n. 33, et P 126.

In Rubrica XX ubi dicitur (1) quod subprior in absentia prioris &c. addatur quod si contingat subpriorem vel vicarium esse absentem sine commissione facta alicui licentiandi fratres ad villam intrandum volumus quod frater habens primam vocem de his qui remanent in domo ex tunc auctoritatem habeat hujusmodi licentiam concedendi dummodo tamen necessitas evidens hoc requirat, et in consimili necessitate vicarius quicumque villam intrare valeat sine licentia cujuscumque. Item statuimus quod sicut provincialis in cujus provincia proximum generale capitulum exstat celebrandum priori generali mortuo vel assumpto, est ipso facto vicarius ordinis ut in Rubrica XXIII continetur, similiter prior localis ubi proximum provinciale capitulum restat celebrandum eo ipso sit vicarius illius provinciæ ad convocandum capitulum provinciale et præsidendum in eodem ; fungaturque auctoritate plenaria prioris provincialis quousque provincialis noviter eligatur.

Item Rubrica XXIV de capitulo provinciali ubi dicitur (2) *Mortuo provinciali* &c addatur: Si autem contingat aliquem provincialem mori vel assumi post electionem diffinitorum et sociorum ejusdem pro capitulo generali proximo celebrando, volumus quod non obstante convocatione provinciæ pro electione novi provincialis facienda omnia ante acta in capitulo provinciali proximo præcedenti quoad electionem sociorum provincialis et alia omnia maneant in vigore.

Item in Rubrica XXVIII de sigillis et sigillationibus addatur: Nullus prior faciat acquitantias sub sigillo officii sui nisi in præsentia trium custodum vel aliorum trium fratrum sacerdotum nostri ordinis, sub pœna proprietariorum infligenda.

(1) n. 1.
(2) n. 18.

Item in Rubrica XXXI de apostatis (1) addatur quod nullus prior provincialis recipere possit ad misericordiam ordinis apostatam provinciæ alienæ.

Item ordinamus et præcipimus quod nullus frater qui in apostasia stetit vel in apostasia stabit ultra annum completum, ad gradum magisterii vel bachalariatus nullatenus sit promotus (2) sub pœna privationis vocis et loci, status et gradus tam promoventi quam promoto rigidius infligenda.

Item in Rubrica XLIII de pœna gravissimæ culpæ inseratur: Volumus et ordinamus quod in quolibet conventu carcer construatur; (3) quod si prior provincialis negligens fuerit in hoc mandando prioribus localibus, vel prior cui provincialis mandaverit negligens fuerit in exequendo, carcer construatur ad expensas negligentis.

Item ordinamus quod nullus frater cujuscumque conditionis, status aut gradus extiterit, ingrediatur ad incarceratos causa visitationis, ministrationis seu quovis alio modo, sine sui superioris licentia speciali, sub pœna carceris tam ingredienti quam permittenti infligenda.

Item ordinamus quod in conventu Parysiensi non sint (Fol. 47b) nisi duo incarcerati, sub pœna inobedientium infligenda aliter ordinanti.

Item in Rubrica XLIV de decedentibus et eorum libris addatur: Nullus frater libros sibi ad terminum vitæ legatos vendere audeat vel impignorare, cum tantum usum habeat eorundem, sub pœna amissionis librorum et proprietariorum infligenda.

Item capitulum generale proximum celebrandum Mediolani ordinamus.

(1) n. 2.
(2) lege promovendus.
(3) n. 3.

Item ordinamus ut in qualibet conventuali missa per ordinem omni die dicatur collecta *Deus omnium* &c. pro Domino summo pontifice, et si una collecta fuerit dicenda propter festum et solemnitatem tunc ambæ collectæ sub uno *Per Dominum* concludantur.

Et nos Frater Petrus Raymundi prior generalis fratrum ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli in robur et firmitatem constitutionum prædictarum sigillum nostri generalatus officii præsentibus duximus apponendum.

HÆ SUNT CONSTITUTIONES EDITÆ IN CAPITULO GENERALI MEDIOLANI CELEBRATO ANNO DOMINI MCCCXLV.(1)

In prima rubrica ubi dicitur (2) quod nullus prior vendat, alienet seu commutet census annuos, in fine constitutionis addatur, quod prioribus, vicariis, clavariis conventuum præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna XL dierum ad portam et depositionis ab officiis, ut clausulas testamentorum, instrumenta rerum donatarum vel legatarum perpetuo vel ad plures annos sub publica forma redacta habeant cum instrumentis vel de manibus publicorum notariorum vel extrahant et habita in archa communi trium clavium conventus reponant et quod talia sic donata vel legata perpetuo vel ad plures annos in aliquo parvo libro de pergameno ad hoc singulariter deputato infallibiliter inserantur.

Item in Rubrica III de divino officio addatur quod priores, subpriores et vicarii conventuum ordinis sub pœna deposi-

(1) Quamvis in textu non exprimatur hoc capitulum die Pentecostes, id est 15 Maji habitum est.

(2) Rubr. II, n. 8.

tionis ab officiis in eorum conventibus divinum officium tractatim, spaciose et devote faciant celebrari et quod omnes dictiones et sillabæ cantando et legendo pronunciantur expresse, et quod versus ab una parte chori non incipiatur usque ex alia parte terminetur expresse. Item in eadem rubrica addatur: Ordinamus quod frater qui postquam ordinem susceperit, communiter divinum officium dicere contempserit, et de hoc convictus vel confessus aut violenter suspectus fuerit, præcipimus per obedientiam suo priori vel cuicumque immediato suo superiori, ut talem a susceptione ordinum suspendat et si hujusmodi suspensionem contempserit horas non dicendo voce et loco per superiores supradictos privetur et si nec ex hoc se emendaverit carceri mancipetur per supra nominatos.

Item cum de Jure prohibeatur ne aliquis temere habitum suæ religionis dimittat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto (Fol. 48a) volumus omnem fratrem celebrantem sine scapulari habente caputium expressum et formatum vitari velut excommunicatum ipso Jure.

Item in Rubrica IV de jejunio inseratur: Cum in comestionibus camerarum ut frequenter perveniant detractiones, adulationes, conventibus damna et devastationes, cum ex communi convicto talia tollantur et concordia ac amicitia generetur, omnino per præsentes in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto firmiter inhibemus ne aliquis frater cujuscumque status, gradus aut conditionis existat, in conventu Parisiensi nisi causa infirmitatis extra refectorium vel extra duas aulas ibidem communiter existentes in prandio vel cœna comedere audeat, magistro regenti, bachalario et biblico ibidem legentibus actu dumtaxat exceptis; inhibentes eisdem sub eadem pœna ne in casu quo in suis cameris comedent nisi unum fratrem habere possint ultra servitorem. Item statuimus et præci-

piendo mandamus omnibus fratribus nostri ordinis cujuscumque status, gradus aut conditionis exstiterint in virtute sanctæ obedientiæ ne alibi prandere vel cœnare audeant vel præsumant, præterquam in refectorio vel in domo hospitum sive in infirmatorio infirmis debilibus et antiquis exceptis. Qui societates prædictis temporibus tenere nequaquam præsumant sed solum suis ministris sint contenti sub præmisso præcepto, vel nisi causa evidens et necessaria subsit, quam superior habebit discernere.

Item eodem mandato et præcepto præcipimus prioribus localibus, subprioribus seu vicariis ne fratres cujuscumque status et gradus fuerint, sine eorum speciali licentia extra refectorium vel infirmatorium prandere vel cœnare permittant, nec leviter nec generaliter sine causa expressa et necessaria licentient, magistris in theologia dumtaxat exceptis, eodem modo quo superius de magistro regenti Parysius est expressum.

Item in eadem rubrica addatur quod si aliquis frater nostri ordinis ebriosus communiter inventus fuerit ac intus vel extra ubi conventus habemus vel apud sæculares communis potator inventus vel reputatus fuerit, secundum æstimationem bonorum trium vel quatuor fratrum de conventu, ad aliquam electionem activam vel passivam sive ad testimonium nullo modo admittatur.

Item in Rubrica V de silentio fratrum et locutione ubi dicitur (1) quod si quis conviciose et clamose in mensa locutus fuerit a præsidente silentium ei imponatur, sub pœna gravioris culpæ, addatur : quod si propter hoc scandalum secutum fuerit tali XL dies ad portam habeat assignare.

Item in eadem Rubrica addatur : quod quilibet frater alteri fratri cum reverentia loquatur ; si quis autem alteri irreveren-

(1) n. 3.

ter vel conviciose in præsentia extraneorum locutus fuerit, pœnæ gravioris culpæ per XL dies ipsum volumus subjacere.

Item in Rubrica VI de dormitione fratrum addatur quod prior aut (Fol. 48b) subprior vel vicarius conventuum omni nocte cellas fratrum habeant visitare, sub pœna depositionis ab officiis, donec eis constet omnes fratres esse infra septa loci, nec lectum ante audeant intrare.

Item in Rubrica VII de custodia infirmorum addatur quod inhibemus regentibus conventus quod ultra unam diem de bonis conventus infirmo [non] provideatur, nisi prius confessus fuerit et communicaverit, si possit; ac si [voluerit] disposuerit de bonis suis vel ad minus revelaverit ea suo majori in præsentia duorum vel trium fratrum de conventu. Nolumus autem quod de bonis conventus prioribus localibus vel in conventibus præsidentibus in eorum infirmitatibus provideatur nec etiam clavariis, nec potentibus sibi ipsis providere, nisi pauperibus fratribus consimiliter sit provisum. Et in casu quo priores vel vicarii expensas reciperent vel aliis distribuerent contra istam constitutionem prædictam, mandamus prioribus provincialibus sub pœna depositionis ab officiis quod tales ad restituendum expensas cogere teneantur.

Item volumus et ordinamus quod prioribus provincialibus et gradatis conventus Parysiensis ac studentibus in studiis generalibus existentibus extra eorum provinciam in infirmitatibus eorum de communitate provinciarum suarum provideatur, juxta eorum infirmitatem et testimonium fide dignarum personarum.

De priore autem generali, sociis suis et famulis, et procuratore generali in Curia Romana duximus ordinandum quod (in) eorum infirmitatibus totus ordo habeat providere, juxta eorum conscientias, et quod tempore infirmitatis eorum provinciæ vel conventus expensas accommodare debeant necessa-

rias in quibus conventibus vel provinciis contingeret eos infirmari.

Item in eadem Rubrica addatur quod si fratres hospites venientes pro negotiis provinciarum suarum vel conventuum ad conventum Parysiensem et Avenionensem ibidem infirmari contigerit, volumus quod de bonis provinciæ vel conventuum a quibus missi fuerint expensæ factæ in eorum infirmitatibus solvantur et in casu quo pauperes essent nec librum haberent vel pecuniam unde sibi providere possent, volumus quod conventus prædicti expensas accommodare teneantur, quem casum pro studentibus extra suas provincias in studiis generalibus existentibus consimiliter duximus intelligendum.

Item in Rubrica IX de hospitibus et itinerantibus ubi dicitur:(1) *Nec liceat hospitibus nec aliis fratribus nisi de licentia prioris loci* etc. addatur: vel præsidentis in conventu sub pœna apostatarum infligenda.

Item in Rubrica X de prædicatoribus et confessoribus in fine (2) ubi dicitur :*Nullus publice prædicare præsumat sub pœna gravioris culpæ*, addatur sub pœna privationis vocis et loci, (et) carceris (Fol. 49a) transgressoribus infligenda, cum ex talibus ordini sæpius possit scandalum venire ac gravamen.

Item in Rubrica XII de calceamentis et vestimentis addatur: quod in visitatione provincialis si inveniat priores suæ provinciæ pro conventibus utiliter laborasse, ordinandi et assignandi vestiarium dictis prioribus juxta eorum laborem et conventuum facultatem liberam habeat potestatem.

Item in Rubrica XIII de receptione novitiorum addatur: quoniam multi incidunt symoniacam hæresim ex ignorantia

(1) n. 3.
(2) n. 17.

quadam novitios ad ordinem recipiendo, tale periculum animarum vitare volentes, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ quod nullus præsidens in conventu aliquo cum pecunia aliquem novitium recipiat, nisi sibi primo spirituale offerat, ut tunc possit salva conscientia offerendo fratribus secum portare necessaria, vel fratres ab eo exigere si conventus ubi sic recipiendus esset non posset sibi in necessitatibus sufficienter providere.

Item in eadem Rubrica addatur: Statuimus et ordinamus quod si aliquis in fratrem ordinis receptus fuerit cum clericali tonsura et tamquam clericus et infra duos annos non sciat legere competenter, quod non possit promoveri sine speciali licentia prioris generalis.

Item in Rubrica XVI de studiis et studentibus ubi dicitur (1) quod in ordine sint octo studia generalia, abradatur et dicatur XIII scilicet Tolosæ, Bononiæ, Florentiæ, Mediolanum, Neapolim, in Monte Pessulano, Coloniæ, Londoniæ, Berchilone (2), Perpiniani, Brugis, in Romana Curia et Catrati (3).

Item ordinamus quod magister regens et qui pro tempore fuerit Parysius sub pœna apostasiæ non audeant dimittere cathedram Parysius quocumque tempore, quacumque etiam necessitate veniente, sine prioris generalis licentia speciali, nec etiam extra villam Parysiensem ire ultra unam dietam, nisi pro negotiis universitatis vel conventus. Mandantes priori dicti conventus Parysiensis sub vinculo sanctæ obedientiæ et pœna rebellionis quod si magister regens secus faceret omnia bona dicti magistri recipiat et sub custodia teneat donec a priori generali aliud habuerit in mandatis. Addatur etiam ibi-

(1) n. 1.

(2) Barcinonæ.

(3) Forsan Cataniæ, ubi saltem sæculo sequenti studium generale nostri ordinis habebatur.

dem quod nullus frater in conventu Parysiensi existens cujuscumque status, gradus aut conditionis existat sub pœna proprietariorum taxationem conventui Parysiensi debitam audea[n]t recipere vel tenere sine prioris Parysiensis et clavariorum licentia speciali.

Item in eadem rubrica propter multa dubia in posterum declaranda ordinamus quod si infra eundem annum contingat duos magistros regere Parysius, taxationem communem ordinis sibi invicem dividant illo anno et eam percipiant secundum quantitatem temporis majorem vel minorem.

Item ordinamus quod si aliquis novus magister ante Nativitatem Domini incipiat Parysius (Fol. 49b) legere, quod integram taxationem a sua provincia recipiat illo anno et annis sequentibus, quamdiu ut præmittitur erit regens, quam taxationem consueverunt recipere magistri regentes Parysius juxta antiquam nostri ordinis institutam. Si vero dictus novus magister post Nativitatem Domini regere incipiat, volumus quod taxatione suæ provinciæ quam ut præsentatus consuevit recipere pro illo anno sit contentus.

Item ordinamus quod si magister regens Parysius ante festum Omnium Sanctorum habeat successorem magistrum regentem, quod taxatione suæ provinciæ quæ ut magistrum regentem Parysius contingebat illo anno sit privatus.

Si vero post dictum festum successorem habeat, volumus quod dictus magister pro illo anno totam prædictam taxationem a sua provincia recipiat secundum quod in nostris constitutionibus plenius continetur.

Item ordinamus quod si bachalarius aliquis Parysius esset licentiatus in theologia ante festum Assumptionis beatæ Mariæ pro anno futuro non teneatur solvere taxationem conventui Parysiensi. Si vero post dictum festum licentiatus fuerit, volumus quod pro illo anno futuro integram taxationem conventui Parysiensi solvere teneatur.

Item ordinamus quod nullus licentiatus Parysius in theologia ante suas Vespertinas (1) famulum habere vel tenere audeat sub pœna inobedientibus infligenda.

Item ordinamus quod in casu quo Parysius magister studentium sit absens, semper junior bachalarius sit magister studentium. Et si secundus junior sit absens, tertius ibidem studens sit magister, cui præcipimus quod omnes actus scolasticos exerceri consuetos infallibiliter exerceat et specialiter omni septimana semel disputet, sub pœna privationis vel amissionis taxationis vel provisionis sibi debitæ suæ provinciæ. Volentes (2) priori generali quod in casu quod tales bachalarii actus ut præmittitur non exerceant privare ipsos habeat taxatione prædicta habita vel habenda.

Item ordinamus quod quilibet biblicus Parysius legens nostri ordinis lectiones suas per totum annum continuet a principio suo usque ad vigiliam Nativitatis beatæ Mariæ, nec tales lectiones possit dimittere sine speciali licentia prioris generalis; quod si faceret mandamus priori generali quod ipsum omni taxatione sibi debita privet, nec volumus quod prior generalis possit uno anno duos biblicos ordinare, nisi causa infirmitatis vel mortis, ut sic talis legens magis habeat nomen biblici quam cursoris.

Item ordinamus quod quicumque scolaris Parysius venerit ante festum Assumptionis beatæ Mariæ per duos menses pro quolibet mense solvat conventui prædicto unum florenum. Si autem ante veniret volumus quod solvat (Fol. 50a) integre taxationem pro toto anno illo. Concedimus tamen quod bachalarii et biblici venire possint et stare Parysius per duos menses ante festum prædictum sine contributione quacumque.

(1) Disputationes Vespertinæ ante collationem licentiatus.
(2) lege: Mandamus.

Item ordinamus quod quicumque frater nostri ordinis Parysius venerit rationе studii vel fuerit post festum Assumptionis per octo dies totam taxationem dicto conventui solvere teneatur, nisi ipsum mori contigerit infra duos menses. In quo casu volumus solum quod solvat pro quolibet mense unum florenum. Eximitur autem ab hac ordinatione biblicus actu legens et habet lectiones suas continuas usque ad Nativitatem beatæ Mariæ, et magister qui habet successorem cui concedimus quod possit stare per duos menses Parysius sine contributione, postquam habuerit regentem successorem.

Item volumus et ordinamus quod nullus qui in posterum venerit de studio Parysiensi ante tres annos vel duos cum dimidio completos sit lector in nostro ordine, nec gaudeat privilegio lectoris etiam cum licentia prioris generalis, vel vocatione sui prioris provincialis, nec possit ad gradum bachalariatus vel magisterii in studio Parysiensi in facultate theologiæ in posterum promoveri.

Item addatur ibidem : Ordinamus quod nullus studens per priorem generalem de gratia vel ad preces cujuscumque ad studium Parysiense promotus, a sua provincia expensas habeat, nisi priori provinciali vel capitulo provinciali suæ provinciæ videatur expedire.

Item constitutiones et ordinationes alias quascumque factas in conventu Parysiensi per Reverendum Patrem Fratrem Petrum R. (1) Priorem Generalem istis non contrarias approbamus et ratificamus et volumus inviolabiliter observari.

Item in eadem rubrica addatur, quod nullus scolaris promotus extra suam provinciam in studio generali possit promoveri Parysius, nisi primo legerit in sua provincia Logicam novam vel philosophiam naturalem, scolaribus provinciarum insularum dumtaxat exceptis.

(1) Petrus Raimundi de Grassa.

Item ordinamus et statuimus firmiter observandum, quod nullus scolaris mittatur extra provinciam suam ad quodcumque studium generale pro audiendis tractatibus et veteri logica, nec prior alicujus studii possit tales recipere, sed ad provinciales suæ provinciæ mittat eos, qui provincialis habeat eos ad eorum provinciam remittere, vel in particularibus conventibus suæ provinciæ ipsos in aliquo studio ordinare.

Item ordinamus quod nullus scolaris de Ytalia possit mitti ultra montes ad aliquod studium generale, nisi pro audiendo theologiam vel philosophiam sine speciali licentia prioris generalis.

Item in quolibet capitulo provinciali de tota provincia, dempta provincia Angliæ, pro-(Fol. 50b)moveantur studentes ad studia generalia secundum quod inventum fuerint meliores in moribus et scientia juxta conscientiam prioris provincialis et diffinitorum, et si in prædictis conditionibus inveniantur æquales, in casu quo simul non possint promoveri, volumus, quod antiquior in ordine proponatur, et si aliquis contra hujusmodi ordinationem promoveretur, volumus, quod prior generalis super hoc sufficienter informatus habeat talem a studio revocare, et alium postpositum promovere.

Item ordinamus quod nullus magister, bachalarius vel lector actu legens in aliquo conventu gaudeat taxatione vel vestiario, si non principiaverit et disputaverit de Quodlibet, ac legerit infra annum 15 vel 16 lectiones ad minus, non intendentes per hoc quin in studiis generalibus et in conventibus solemnioribus lectores habeant suas lectiones continuare, secundum quod in constitutionibus nostris antiquis plenius continetur.

Item ordinamus quod nullus ad legendum Sententias in aliqua universitate possit promoveri, qui fuerit incarceratus propter scandalum vel crimen notabile.

Item ordinamus quod taxationes ordinis tam capituli generalis quam capitulorum provincialium, fiant in florenis, cum grossi minime reperiantur, et eorum pretium communiter sit incertum ; volentes quod magister Parysius regens habeat XXX florenos, quorum florenorum XV solvat totus ordo, residuos XV florenos sua provincia sibi solvat. Bachalario Parysius legenti provideatur a sua provincia in XXX florenis. Biblico autem Parysius legenti provideatur in XVI florenis, quorum florenorum VIII de communitate ordinis solvantur, et alii VIII de sua provincia. Cuilibet autem bachalario non legenti Sententias sequenti scolas Parysius provideatur de communitate suæ provinciæ in XII florenis pro suo vestiario, et pro contributione conventus Parysiensis in XV florenis, si obedientiam super hoc habuerit prioris generalis vel sui capituli provincialis.

In prædictis autem taxationibus non intendimus includere expensas quas facient prædicti fratres Parysius veniendo et ad suas provincias redeundo.

Cuilibet autem studenti Parysius provideatur a communitate suæ provinciæ pro contributione conventus parysiensis in XV florenis, pro vestiario autem suo provideatur in VI florenis, ultra expensas quas faciet Parysius veniendo et ad suam provinciam redeundo, nisi ad proprias expensas contingeret ipsum promoveri.

Magistro autem regenti in Romana Curia a communitate ordinis provideatur in XV florenis. Item bachalario ibidem legenti in V florenis. Item legenti philosophiam ibidem in tribus florenis.

Procuratori autem ordinis in XV florenis. Aliis autem magistris, bachalariis, bi-(Fol. 51a)blicis, lectoribus legentibus in studiis generalibus volumus quod provideatur a communitate suæ provinciæ secundum quod alias fuerit consuetum. Lectoribus aliorum conventuum ac studentibus

promotis extra suam provinciam provideatur secundum quod in capitulo eorum fuerit ordinatum.

Item ordinamus quod nullus frater Lector vocetur sive nominetur, licet alias lector fuerit vel theologiam legerit, nec habeat alium locum in choro, capitulo et refectorio, nisi secundum antiquitatem religionis et nisi ordinatus fuerit per suum capitulum provinciale seu capitulum generale vel per priorem generalem vel per suum provincialem ad legendum in aliquo conventu. Hoc adjecto si ad legendum in aliquo conventu ordinatus fuerit et legere recusaverit, ut levitate et otio vacare possit, ex tunc gratiis et libertatibus lectoriæ non gaudeat, nec lector nominetur ut præmittitur. Si autem evidenti antiquitate, infirmitate vel alia causa legitima possit excusari, vel ex magna multitudine ipsos vacare oporteret, tunc volumus prædictos gratiis et libertatibus lectorum actu legentium gaudere quoad gradum in choro, capitulo et refectorio post lectores actu legentes.

Idem volumus de magistris, bachalariis et biblicis qui nunc sunt et erunt in futurum, quod omnes ordinentur in quolibet capitulo eorum provinciali ad legendum potentes legere in propria provincia, nisi ex magna multitudine ipsos vacare oporteret, vel nisi in studio Parysiensi vel aliqua causa utili toti ordini vel suæ provinciæ seu per obedientiam prioris generalis legitime essent occupati.

Item in Rubrica XVII addatur, quod concedimus priori generali auctoritatem instituendi procuratorem generalem in Romana Curia et ab officio suo libere absolvendi, et alium in officio constituendi quando sibi videbitur expedire. Addatur etiam quod quicumque frater per capitulum generale vel per priorem generalem in procuratorem generalem ordinis institutus, antequam dictum officium exequi valeat, habeat jurare priori generali vel capitulo generali vel cui commiserit generalis, quod officium suum diligenter exerceat et fideliter

ad honorem ordinis et profectum et quod in supplicationibus porrigendis vel exequendis honorem ordinis tangentibus, et in apostatis capiendis de quibus sibi injungetur per priorem generalem vel ejus vicarium, fidelem diligentiam observabit, et quod nullam supplicationem propriam neque alienam porriget sine speciali licentia prioris generalis.

Item in Rubrica de officio subprioris (1) addatur corrigendo: Statuimus et ordinamus quod in principalioribus conventibus ordinis et maxime in studiis generalibus de subpriore per capitulum provinciale provideatur, dempto conventu Romanæ Curiæ, quem immediate volumus pertinere (Fol. 51b) ordinationi prioris generalis quoad subpriorem et sacristam.

Item in Rubrica XXII de custodibus (2) addatur: Inhibemus in virtute sanctæ obedientiæ ne aliquis possit eligi in clavarium conventus vel in custodem, nisi sciat computare vel nisi velit et possit compotis interesse, alias si secus factum fuerit mandamus prioribus localibus quod tales deponant et ad aliam electionem procedant.

Item in eadem Rubrica ubi dicitur (3), quod si aliquis frater nostri ordinis in Pœnitentiarium Domini Papæ assumptus fuerit, addatur: Statuimus et præcipiendo mandamus quod in casu quo aliquis frater nostri ordinis solum ad titulum alicujus episcopatus sua ambitiosa procuratione promotus fuerit, quod per priorem provincialem suæ provinciæ vel priorem localem omnia bona sua quæ acquisierat in ordine existens, applicentur conventui suo vel suæ provinciæ, secundum discretionem provincialis et capituli provincialis, cum talis promotio magis ordini cedat in vituperium quam hono-

(1) n. 1.
(2) n. 1.
(3) n. 4.

rem. Inhibentes omnibus provincialibus seu prioribus localibus nostri ordinis ne alicui fratri nostri ordinis dent licentiam quod ad talem episcopalem dignitatem possit promoveri. De aliis autem ad quodcumque officium sive dignitatem promotis vel promovendis ad honorem ordinis sic ordinamus, quod bona eorum acquisita in ordine possint tenere ad vitam et de ipsis disponere infra ordinem, prius tamen habita recognitione per ordinem sub publico instrumento continente quod recognoscant illa bona fuisse et esse ordinis, et nomine ejusdem petunt et volunt ad vitam possidere.

Item in Rubrica XXVII de electionibus addatur : Ordinamus quod nullus frater in officio prioratus existens vel lectoriæ alicujus conventus extra suam provinciam possit eligi in diffinitorem vel socium capituli generalis, nisi in illa provincia in qua conventualis prior vel lector fuerit, ut prædicitur, ordinatus.

Item nullus studens infra ætatem XXX annorum extra suam provinciam existens in studio generali, dempto studio Parysiensi, possit eligi in diffinitorem vel socium capituli generalis per suam provinciam.

Item quod nullus qui fuerit legens Parysius tempore quo capitulum generale debet celebrari, sive sit magister, sive sit bachalarius, sive sit biblicus, possit eligi in diffinitorem vel socium capituli generalis.

Item quod nullus possit eligi in provincialem extra suam provinciam sine licentia expressa prioris generalis, nec in priorem localem, subpriorem, sive sacristam extra suum conventum, sine expressa licentia prioris generalis vel provincialis.

Item in additionibus capituli Bruxellensis (1) ubi dicitur *scolares in studiis generalibus existentes voces suas in propriis*

(1) Supra p. 130.

provinciis relinquunt vel resignant eisdem, totaliter (Fol. 52a) abradatur, per hoc non intendentes tales studentes esse privatos suis vocibus, sed solum suspensos pro tempore quo erunt in tali studio generali.

Item addatur in eadem Rubrica quod nullus frater existens procurator alicujus fratris absentis in aliqua electione seipsum eligere possit.

Item in Rubrica XXVIII de sigillis et sigillationibus addatur: Statuimus et ordinamus quod socii prioris generalis jurent capitulo generali vel priori generali, quod personæ prioris generalis erunt fideles et officio, et quod ille qui tenebit sigillum officii non sigillabit aliquam litteram gratiæ, justitiæ vel obedientiæ nisi concessam expresse per priorem generalem et nisi scriptam vel signatam in aliqua sui parte per manum dicti prioris generalis, nec sigillari faciet hujusmodi litteras, nec aliquam aliam nisi ipso tenente sigillum vel præsente (et) vidente. Et idem intelligere volumus de prioribus provincialibus et sociis eorundem.

Item in Rubrica XXXI de apostatis addatur quod Mandamus omnibus prioribus provincialibus, prioribus localibus et vicariis conventuum quod omnes apostatas nostri ordinis vagantes per mundum cum habitu monachali, non potentes monstrare legitime translationem sui status, capiant vel faciant capi per curiam sæcularem vel spiritualem, et in carcere ipsos recludant, nec inde possint liberari, nisi de expressa licentia prioris generalis.

Item in eadem rubrica de apostatis addatur: quod cum multi fratres (1) correctionem superiorum suorum immediatorum, scilicet provincialium sive priorum localium seu subpriorum aut vicariorum petunt indiscrete, superbe in contemptum illius vel illorum qui eos corrigere volunt et

(1) Adde: contemnentes vel aliquid simile.

debent, ut ire possint ad suum provincialem vel generalem vel ad vicarium eorundem, malitiam eorum palliantes, ut mitius corrigantur, veniant, statuimus et ordinamus inviolabiliter observari, ut in casu quo eorum superiores juste et debite processerint contra tales fratres ad suos superiores ut præmittitur venientes, pœna simplex quæ debetur tali culpæ secundum constitutiones ordinis, pensatis qualitate et quantitate querelantis et subterfugientis multipliectur vel ad minus duplicetur, super qua multiplicatione vel duplicatione non possit dispensari sine licentia prioris generalis. Si autem petitam licentiam non obtinuerint et sine licentia ad suum provincialem vel alium superiorem iverint, modo quo supra immediate est expressum, ultra duplicationem sive multiplicationem pœnæ quam sustinere debuissent, voce et loco immediate per illum superiorem ad quem vadunt priventur, et longius sive diutius illa pœna quam (Fol. 52b) sustinere debuissent puniantur. (1)

Si autem contra directum præceptum et expressum iverint, carceri mancipentur ad gratiam illius superioris ad quem venit vel veniunt et qui eum vel eos pœna carceris punivit, nisi casus aliunde aliud requirat, et liberationem impediat.

Item in Rubrica XXXII de lapsis in peccatum carnis et lusoribus addatur : Quicumque frater luserit quocumque genere ludorum in quo currat pecunia, libri vel rauba, incarceretur ipso facto, et nihilominus privetur omnibus bonis suis.

Item in Rubrica XXXV ubi agitur de canonica purgatione declaramus quod probabili suspicione quæ provenit ex multis causis, et fama super his crescente, purgatio canonica indicatur. De violenta autem suspicione unusquisque puniri potest ac si confessus fuerit vel convictus, quam suspicionem

(1) Cf. supra P. 96 in marg.

fore probabilem vel violentam præsidentes in capitulis cum quatuor vel quinque fratribus de conventu habeant judicare.

Item in Rubrica eadem in additionibus capituli Bruxellensis(1) ubi dicitur: *Statuimus quod si quis in gravibus seu notabilibus de falsa accusatione seu falso testimonio contra aliquem vel aliquos dixisse convictus fuerit*, abradatur de falsa accusatione, cum sit contra formam juris et solum de falso testimonio intelligatur, nam false accusans secundum Jura ad pœnam talionis tantummodo obligatur.

Item in Rubrica XXXVIII de receptione prælatorum addatur, quod ordinamus et injungimus sub pœna depositionis ab officio prioribus omnibus provincialibus, quod quilibet eorum omni anno habeat mittere vicarium vel visitatorem regularis observantiæ zelatorem ad conventum vel conventus quem vel quos non poterit commode visitare, cui habeat expensas de conventu ad conventum taxare pro se, sociis et famulo rationabiles, nec volumus quod talis possit ad expensas communes sed ad proprias equitare.

Volumus etiam et ordinamus quod quilibet provincialis vel alius visitator seu vicarius provincialis habeat diffinitoribus revelare sive manifestare in capitulo provinciali de culpis inventis in sua visitatione et de pœnitentiis injunctis.

Item ordinamus quod quilibet visitator sive sit prior generalis, vel provincialis vel vicarii eorundem habeat in conventu quolibet in quo visitabit secrete vel publice cum juramento vel sine juramento de officiis et officialibus inquirere, et si commissa sunt ibi scandala vel furta, et si invenerit ibi aliquos defectus quoad officia vel ad personas quod ipsos corrigat, secundum ordinis instituta.

Item ordinamus quod prior localis possit substituere vicarium pro sua absentia in conventu non obstante quod sub-

(1) Supra p. 136.

prior electus fuerit in conventu.

Item ordinamus quod nullus frater ordinis vel conventus audeat virtute conservatorum (1) (Fol. 53a) citare vel molestare aliquam personam vel communitatem, nisi hoc processerit expresse de consensu et licentia prioris provincialis sui, qui super hoc habeat consulere quatuor fratres de senioribus provinciæ suæ, vel nisi in capitulo provinciali suo obtinuerit licentiam specialem.

Item in Rubrica XLIV de fratribus decedentibus addatur: quod nullus frater possit legare vel distribuere libros, pecuniam, vel jocalia alteri fratri nostri ordinis de quo opinaretur probabiliter quod non esset in ordine permansurus, vel qui in malis usibus talia expenderet, vel alienaret, sed omnia convertantur prout in constitutione antiqua continetur, et in casu quo talis frater cui talia legarentur esset puer juvenis, volumus quod talia sint in custodia sui conventus in quo fuit receptus, donec de tali juvene bona vel mala opinio verisimiliter habeatur.

Item addatur quod cum aliqui fratres decedentes faciant aliquos fratres executores ordinationum vel voluntatum suarum, volumus et ordinamus executores quantum ad tales executiones subdantur obedientiæ provincialium suorum, servata ut melius poterit voluntate decedentium, et quod tales executores de eorum executionibus eorum provinciali et provinciali capitulo teneantur reddere rationem cum requisiti fuerint.

Item statuimus et ordinamus quod cum in fraudem conventuum fratres sibi ipsis mutuo de bonis eorum in vita do-

(1) Quamvis ordo noster a jurisdictione episcoporum exemtus fuerit communiter episcopi per litteras apostolicas conservatores privilegiorum nostrorum nominabantur. Cf. Bullarium ordinis, t. 1. P. 41, ubi exemplar conservatoriæ habetur.

nationes faciant quod tales donationes nullius penitus sint momenti, et per hoc non intendentes quin frater fratri possit in vita sua dare raubam vel unum librum vel in sua ultima voluntate alteri fratri distribuere vel legare.

Item addatur declarando quod illa suffragia et beneficia spiritualia quæ fiunt in toto ordine pro illis qui sunt in officiis generalatus, procuratoris generalis et pœnitentiariæ Domini Papæ etiam simili modo fiant pro illis qui alias in dictis officiis extiterunt.

Item revocamus omnem gratiam concessam cuicumque fratri et quomo(do)cumque de veniendo ad Curiam Romanam.

Item revocamus quascumque gratias concessas per Reverendum Patrem Priorem generalem quibuscumque fratribus, exceptis magistris, bachalariis et infirmis, atque antiquis quinquaginta annorum in ordine continue existentibus sine nota criminis et scandalo notabili.

Omnium aliorum capitulorum generalium constitutiones istis non contrarias approbamus et ratificamus et præcipimus eas inviolabiliter observari. Et omnes alias istis contrarias penitus revocamus. (1)

(1) " In constitutione cap. gen. Mediolani 1345. Item volumus et ordinamus quod frater Gulielmus Fawkener legere poterit decretales ac etiam in jure canonico incipere, si aliquid canonicum non obsistat. Ad provincialem Angliæ. " (MS Bodley 73 fol. 2). De Gulielmo Falconero scribit Baleus fuisse adolescentem haud illepidum, litterisque pollentem, Nottinghamiæ religionem intrasse (ubi etiam tandem mortuus est) et studuisse tum Bononiæ et Patavii, tum Oxoniæ et Cantabrigiæ. (Harley 3838 fol. 70 b).

HÆ SUNT CONSTITUTIONES EDITÆ IN CAPITULO GENERALI IN FESTO PENTECOSTES (1) ANNO DOMINI MCCCXLVIII METIS CELEBRATO.

In Rubrica XXVII de electionibus addatur quod (Fol. 53b) nullus qui non subest obedientiæ ordinis vocem et locum habeat, nec aliquem gradum, statum vel officium in ordine, immo ipso facto ab omni statu et officio sit privatus, nec eum teneatur aliquis conventus ordinis recipere, seu in vitæ necessariis sibi subvenire.

Et idem de illis quoad statum, gradum et officium in ordine, qui se capellani regum, principum seu prælatorum fieri faciunt, seu fecerunt aut fient in futurum, ut per hoc labores ordinis et obedientias subterfugiant, volumus, dum tales sunt, firmiter observari, illis dumtaxat exceptis qui sunt de talium dominorum familia et cum eisdem continuere sidentes.

Item in Rubrica XVII de officio prioris generalis addatur quod conventus Curiæ Romanæ, ubicumque fuerit, sit sub dispositione et regimine prioris generalis quoad correctionem regularem seu officiorum vel officialium institutionem vel dispositionem, ac conventualium quorumcumque amotionem vel repositionem, in tantum quod nec fratrem aliquem ponere nec amovere possit prior provincialis quiscumque a conventu prædicto, nec aliquem officialem instituere vel deponere absque prioris generalis vel ejus vicarii assensu expresso, et licentia speciali, sub pœna inobedientiæ et rebellionis

(1) Die 8 Junii. Hoc anno sævissima totam Europam depopulavit pestis quæ nec religiosorum cœtibus pepercit; quamplures fratres dicuntur mortui tum in accessu ad capitulum, tum in reditu ab eodem.

transgressoribus infligenda. Volumus tamen dictum conventum subjici priori provinciali in cujus provincia dicitur situatus, quoad promotionem studentium et taxationem.

Item in Rubrica XXIII ubi tangitur de appellantibus (1) addatur: Mandamus et præcipimus omnibus prioribus provincialibus et localibus per obedientiam salutarem et sub pœna depositionis ab officio quod constitutiones de appellantibus et appellationi adhærentibus, postquam ab appellatione ceciderint, inviolabiliter faciant observari, et idem faciant de se erigentibus contra superiores suos et specialiter contra præceptum et obedientiam prioris generalis.

Item in Rubrica II de receptione locorum (2) ubi dicitur quod septima provincia sit Alemania intelligatur de Alemania inferiori, et ultima provincia sit Alemania superior.

Item Rubrica XIII de receptione novitiorum (3) addatur: prioribus localibus omnibus sub pœna depositionis ab officio injungimus et mandamus quod non recipiant ad ordinem spurium aliquem seu filium sacerdotis post susceptionem sacerdotii procreatum, nec ad professionem admittant aliquem jam receptum, sine gravi et notabili causa, quæ ante receptionem hujus(modi)vel professionem priori provinciali manifestetur et ab eo super hæc licentia specialis habeatur.

Item in Rubrica X de capitulo provinciali, (4) ubi tangitur de priori provinciali mortuo vel assumpto, dicatur clare et expresse, quod non obstante electione vicarii provinciæ facta in capitulo provinciali præcedente capitulum generale, prior, in cujus (Fol. 54 a) conventu capitulum provinciale fuerit assignatum proxime celebrandum, fungatur plena auctoritate

(1) n. 26.
(2) n. 1.
(3) post numerum 4.
(4) Rubrica XXIV. n. 18.

prioris provincialis, donec prior provincialis noviter eligatur. Per capitulum generale ordinetur in casu quo non poterit infra provinciam eligi propter instans de propinquo capitulum generale.

Datum Metis in nostro capitulo generali, Anno Domini MCCCXLVIII in festo Pentecostes celebrato.

ISTÆ SUNT CONSTITUTIONES FACTÆ IN CAPITULO GENERALI IN FESTO PENTECOSTES (1) ANNO DOMINI MCCCLI THOLOSÆ CELEBRATO.

In primis in rubrica de officio prioris provincialis inseratur sic: Ordinamus et volumus propter bonum pacis et utilitatem ordinis, ac periculis omnibus obviantes, quod prior provincialis provinciæ Provinciæ, qui nunc est vel pro tempore fuerit juret quod (nec) per se nec per alios fratres suæ provinciæ vel alios quoscumque sæculares, directe vel indirecte, manifeste vel occulte, se opponat constitutioni Metensi, quæ loquitur et facit mentionem de conventu Avenionensi, seu quibuscumque aliis constitutionibus prædictum conventum tangentibus, quin immediate subjiciatur priori generali &c. Sicut ibidem scribitur et ordinatur, nisi alius prior generalis ei ex causa de gratia speciali concederit aliter de præmissis utilius faciendum, immo si aliquis se opponeret ad oppositum aut dictis constitutionibus obviaret. Jurabit, quod dictis opponentibus et oppositionibus pro toto suo posse firmiter obviabit.

Conventus autem possessionatos remittimus sub dispositione prioris provincialis provinciæ Provinciæ et capitulo pro-

(1) die 5 Junii.

vinciali ejusdem, constitutione Mediolani in contrarium non obstante.

Item volumus et sub pœna proprietariorum necnon excommunicationis ipso facto si aliquando oppositum probatum fuerit: ordinamus quod nullus frater simplex, seu prior localis, sive lector quicumque fuerit, aut magister nutriat vel teneat, seu nutriri vel teneri faciat ex certa scientia, voluntate propria, et sine causa tangente bonum conventus in quo stabit et ordinis, equum vel equos in conventu quocumque vel in villa, pro se vel pro aliis, quoquo modo, nisi de proprio propter bonum ordinis et necessitatem celeriter accessuris et negotia ordinis utiliter expedituris, exceptis his dumtaxat terminariis, in quorum provinciis [est] de usu equorum vel aliorum jumentorum, pro bladis et aliis donis aut eleemosinis et necessariis oppositum fuerit consuetum, et exceptis fratribus, quorum equi essent adeo infirmi et gravati, quod dicti equi (non) possent (facile) vendi sine maximo detrimento; nec priores provinciales, postquam visitaverint provinciam suam teneant equos ad expensas cujuscumque conventus particulariter ultra X dies.

Item ordinamus, quod nullus frater audeat equitare solus quantumcumque famulum habeat, sub pœna privationis equi casu quocumque emergente. Item inhibemus sub pœna (Fol. 54b) proprietariorum, ne aliquis bona aliqua, pecuniam, libros seu alia quæcumque audeat ponere in manibus sæcularium per modum custodiæ aut depositi, seu alio quovismodo, nisi de scitu prioris sui localis, et trium fratrum seniorum de conventu, et aliquarum personarum sæcularium fide dignarum, nec priores locales sine licentia sui prioris provincialis, ne in posterum talia deperdantur, et ita observari firmiter volumus qualicumque licentia prioris generalis in contrarium non obstante. Quod si oppositum, quod absit, per quemcumque fieri contingat, volumus et statuimus, quod

talia bona sic deforis deposita ad utilitatem conventus, ubi hoc contingeret, per priorem localem vel provincialem totaliter applicentur. Deinde similiter fieri volumus et mandamus quoad omnia et singula de illis, qui personis quibuscumque sæcularibus pecuniam tradent mutuo vel præstabunt modo prius posito minime observato.

Item de studiis et studentibus ordinamus, quod nullus audeat sibi de cetero impetrare magisterium per curiam Romanam [fieri] vel in alio loco quocumque sine licentia prioris generalis prius super hoc petita et obtenta; quod si quis oppositum fecerit, volumus, quod nullam taxationem aut subventionem ab ordine vel a sua provincia recipiat quoquomodo, sed ipso facto omni honore, gradu et statu in ordine sit privatus.

Item ordinamus, quod magistris novis Parysius incipientibus non possit a communitate suæ provinciæ nisi de XXIV florenis provideri. Magistris autem per curiam factis et de licentia prioris generalis de XL florenis a sua provincia et non ultra. Sub hac autem ordinatione non includimus magistros novos de Anglia, quos ad suam consuetudinem atque modum remittimus.

Item ordinamus et statuimus, quod nullus de cetero promoveatur ad legendum bibliam vel Sententias Parysius nisi prius in eodem parysiensi studio steterit per tres annos, sic quod tres contributiones solverit, prout quilibet studens omni anno solvere consuevit. Et nihilominus, quod nullus ordinetur de cetero ad legendum Sententias Parysius nisi prius bibliam legerit in studio supradicto. Et hanc constitutionem volumus irrevocabiliter observari, nec etiam revocari posse nisi ob defectus, propter culpas vel mortem aliquorum ordinatorum, in quo casu prior generalis sicut sibi videbitur valeat ordinare.

Item volumus et ordinamus atque mandamus, quod fratres

studentes, qui non steterint Parysius per tres annos in studio, aliquo tempore redeant ad complendum tempus suum in studio supradicto et hoc ad expensas suæ provinciæ, nisi forte tales recesserint a dicto studio de sua propria voluntate.

Item inhibemus sub pœna expulsionis et revocationis a studio cum privatione vocis et loci ipso facto, ne aliquis studens Parysius quicumque fuerit seu gradatus, audeat aliquem beyanum Parysius beyanizare per (Fol. 55a) aquam seu quocumque alio modo ludi honesti vel inhonesti, (1) sed tantummodo vinum vel prandium semel, si de sua natione aut provincia fuerit, recipere poterit moderatum: quod si quis oppositum fecerit, volumus et ordinamus, quod illo anno suo vestiario careat, et quod prior parisiensis, nisi transgressores tales aut transgressorem infra trium mensium spatium priori generali notificaverit et eorum nomina scripserit, pœna (2) ipso facto innodetur. Mandantes prioribus provincialibus, quod vestiaria studentium non mittant eis Parysius, sed potius priori generali, ut illis transmittat, qui hanc ordinationem [non] infregerint quoquomodo.

Item statuimus propter bonum pacis et necessitatem cogentem, quod de cetero omnes taxationes provinciarum omnium totius ordinis non obstantibus ordinationibus (et) constitutionibus antiquis, mittantur et solvantur priori generali, ubicumque fuerit, seu mandato ad eas recipiendas deputato, et ipse prior generalis vel ejus vicarius deputatus habeat de dictis taxationibus mittere et solvere conventui Pa-

(1) Beyanus erat novellus advena in schola, qui, uti adhuc nostris temporibus passim contingere solet, multis contumeliis subjiciebatur, a quibus studentes regulares omnino abesse decebat. Permittitur tamen, quod hi convivio sibi a novello oblato intersint. Universitas studentium et magistrorum Parisiis et alibi secundum locum originis eorum in nationes dividebatur.

(2) Omittitur hic species pœnæ.

risiensi pro censibus, quos dictus conventus habet in villa quinquaginta florenos omni anno ; quod si dictus conventus amplius de censibus habuerit, tunc de se dictus conventus solvere teneatur. Si vero minus debeat dictus conventus, tunc residuum adversus communes conventus fideliter convertatur, et de residuo dictarum taxationum habeat prior generalis ordinare, negotia pertractare secundum sibi visum fuerit expedire.

Item committimus priori provinciali Franciæ, quatenus infra aliud capitulum generale constitutiones istas et alias extravagantes ad debitam formam redigere et eas cum antiquis incorporare in suis locis debitis breviter, succincte earum scheda (1) in omnibus servata.

In constitutione Mediolanensi (2) de infirmantibus, ubi dicitur, quod provideatur infirmis fratribus gradatis et studentibus Parysiensibus et in aliis studiis generalibus de suis provinciis sub testimonio sigilli prioris et magistri sive lectoris principalis, abradatur et dicatur, quod provideatur eis secundum quantitatem et qualitatem infirmitatis, juramento prius præstito ab infirmo secundum arbitrium sui prioris provincialis, diffinitorum capituli provincialis suæ provinciæ.

In cujus rei testimonium sigillum nostri generalatus officii præsentibus est appensum. Datum anno, die et loco quibus supra. (3)

(1) Textus habet « sda » quod communiter legitur *secunda*, posset tamen interpretari : *scheda*.

(2) Supra P. 148.

(3) Desinit hic prima manus ; quæ sequuntur pluribus aliis manibus exarata sunt.

Istæ sunt constitutiones capituli generalis Perpiniani celebrati in festo Pentecostes anno Domini MCCCLIV. (1)

In Rubrica prima inseratur: ordinamus, quod conventus Pampilonensis et Sangossæ sint de provincia Aquitaniæ, si tamen placeat Reverendo patri in Christo Domino Sanxio episcopo Segobricensi (2); conventus autem Barchinonæ, Perpiniani, Majoricarum, Petralatæ, Gerundæ, Campirotundi, Minoricæ, Yllerdæ et Vallium unam provinciam faciant quæ provincia Cathaloniæ de cetero appelletur. Conventus vero Valentiæ, Cera Sangustæ, Ostæ, Calatagubrii, Tholetæ, Requenæ, Gribileonis et Moræ unam provinciam faciant et vocabitur provincia Yspaniæ ut solebat. (3)

Item in Rubrica de silentio et locutione (4) ponatur sic: Cum secundum regulam nostram fratres nostri ad observantiam silentii post completorium simpliciter adstringantur et dictus punctus modicum, proh dolor! observetur; hinc est, quod in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus et mandamus tam prioribus provincialibus quam et prioribus localibus, quate-

(1) Die 1 Junii.

(2) Rubr. II. n. 1. Forte ut conservatori totius provinciæ.

(3) Nomina hodierna: Barcinona *Barcelona;* Perpinianum *Perpignan;* Majoricæ *Majorca;* Petralata *Pierrelatte* (Drôme); Gerunda *Gerona;* Campusrotundus *Campredon;* Minorica *Menorca*; Ilerda *Lerida;* Vallium *Vaux,* (?) Valentia *Valencia;* Cera Sangustæ erronee pro Cæsaraugusta *Saragossa;* Ostæ erronee pro Oscæ *Huesca;* Calatagubrii *Calatajuba* (antiquitus Bilbilis nova); Tholeta *Toledo;* Requena *Requena* (antiquitus Lobetum in prov. Valentiæ); Gribileonis erronee pro Gibraleonis, *Gibraleon.* Mora (nescio utrum *Mora* in provincia Castellæ novæ, an *Mora de Rubielos* in provincia Aragoniæ).

(4) Rubr. V. n. 5.

nus ad observantiam prædicti silentii fratres suos cogant, rigide et districte mandantes et ordinantes, quod quicumque frater, exceptis lectoribus et eorum sociis sine licentia præsidentis in conventu contra formam regulæ silentium post completorium fregerit, ad terram panem et aquam sine misericordia comedat per tres dies.

Item in Rubrica de dormitione fratrum &c. (1)ordinamus, quod quicumque frater facto signo post completorium cellam alterius fratris sine licentia præsidentis intraverit, pœna privationis vocis et loci ipso facto puniatur.

Item Rubrica de indumentis &c. (2)Camisias de lino sub pœna privationis vocis et loci ipso facto penitus inhibemus, non habentibus autem vocem et locum pœna carceris, si camisias portaverint, infligatur. Item sub eadem pœna nodos seu nucleos in manicis tunicarum quarumcumque, sic quod apparere valeant, similiter prohibemus.

Item in Rubrica de officio prioris provincialis (3)declaramus, quod nullus prior provincialis possit priorem aliquem localem sine culpis exigentibus et sine requisitione majoris et sanioris partis conventus absolvere ab officio prioratus, nec et aliquem reponere pro libito voluntatis, sine assensu sanioris partis conventus et majoris. Neque etiam capitulum provinciale poterit neque potest dare licentiam alicui priori provinciali deponendi vel reponendi aliquem priorem localem sine culpis et pro libito voluntatis; quod si secus actum fuerit totum reputamus vacuum et inane.

Item in Rubrica de capitulo provinciali (4): Statuimus, quod sicut priores locales non possunt absolvi per unum mensem

(1) Rubr. VI. n. 3.
(2) Rubr. XII. n. 2.
(3) Rubr. XVIII. n. 2.
(4) Rubr. XXIV. n. 12.

ante capitulum provinciale, sed culpæ eorum et accusationes atque responsiones debent ad dictum capitulum provinciale per suos socios asportari, sic etiam neque priores provinciales ante capitulum generale celebratum deponi poterunt nec absolvi, sed debent eorum accusationes et responsiones per socios eorum dicto generali capitulo similiter præsentari.

Item cum quædam provinciæ non consueverint inter duo capitula generalia nisi duo capitula provincialia celebrare, quod est contra ordinationem nostrarum constitutionum, ut apparet in Rubrica de capitulo provinciali; (1) ideo ordinamus, quod de cetero tria capitula provincialia inter duo capitula generalia, scilicet omni anno, per totum ordinem celebrentur (Fol. 56a), nisi cum eis per capitulum generale vel per priorem generalem ex causa rationabili dispensetur, sub pœna usurpantium officium majorum prioribus provincialibus contrarium facientibus infligenda.

Item volumus et ordinamus quod conventus Curiæ Romanæ in omnibus et per omnia subjiciatur priori provinciali illius provinciæ, in qua dicitur institutus, exceptis dumtaxat positionibus et repositionibus ac depositionibus officialium et gradatorum ac mutationibus fratrum conventualium et studentium aliarum provinciarum ibidem existentium. Constitutione Metensi (2) in contrarium non obstante, potestate et auctoritate Reverendi Patris nostri prioris generalis in omnibus semper salva.

Et ordinamus, quod omnes magistri in theologia tam regentes quam non regentes, tam Angliæ quam aliunde, possint tenere unum famulum pro suo servitio ad expensas conventus quoad victum tantummodo et non ultra: hoc idem volumus de procuratore ordinis observari.

(1) Rubr. XXIV. n. 1.
(2) Supra P. 164.

Item capitulum generale ordinamus Venetiis ad tres annos, vel in Provincia Bononiæ, si ibi non possit, vel in Florentia, si in illa provincia esse non valeret.

In testimonium omnium præmissorum sigillum nostri generalatus officii præsentibus a tergo est impressum.

Datum in nostro generali capitulo in festo Pentecostes, loco et tempore sicut supra expressum.

HÆ SUNT DECLARATIONES CONSTITUTIONUM FACTÆ IN NOSTRO CAPITULO GENERALI FERRARIÆ CELEBRATO IN FESTO PENTECOSTES ANNO DOMINI MCCCLVII. (1)

Primo titulo de inceptione capituli generalis, ubi dicitur, quod in vigilia festi incipiatur non obstante absentia cujuscumque, quacumque occasione se absentaverint,(2) declarando addatur: et non significaverint per litteras suas vel interpositam personam fide dignam causam legitimam suæ absentationis et votum suum circa facienda in capitulo generali.

Item in Rubrica de officio prioris provincialis (3) dicatur, quod prior provincialis potest deponere in capitulo conventuali ab officio prioratus priores locales culpis exigentibus notabilibus judicialiter legitime probatis, vel confessos sine acquiescione aut cum requisitione majoris et sanioris partis conventus, aut alterius cujuscumque inferioris, priori generali, si præsens fuerit, vel vicario ejusdem, ipso vel in loco illo ubi fuerit vicarius præsentialiter existente.

Item in Rubrica de electione prioris generalis (4) dicatur,

(1) Die 28 Maji. Acta hujus capituli alia manu conscripta sunt.
(2) Rubr. XXIII. n. 22.
(3) Rubr. XVIII. n. 2.
(4) Rubr. XXVII. n. 17.

quod prior generalis et priores provinciales habeant vocem in electione diffinitorum capituli generalis, sed non in electione sociorum ejusdem capituli generalis, licet in antiqua constitutione de hoc mentio expressa non habeatur.

Item in Rubrica de capitulo provinciali dicatur, quod vicarius institutus per priorem provincialem pro defectu vicarii electi per provinciam, in casu quo vicarius prioris provincialis ituri ad capitulum generale utatur officio vicariatus infra provinciam, in casu quo vicarius electus per provinciam pro absentia prædicta esset mortuus, infirmus seu assumptus aut requisitus per priorem ad conventum, nollet pro casu necessario ire ad dictum conventum aut uti prædicto officio vicariatus, et quod dictus vicarius institutus per provincialem possit substituere (Fol. 56b) alium vicarium in casu necessario et pro causa necessaria et in casu quod ipse esset impeditus. In casu vero, quod uterque vicarius, scilicet electus per provinciam et institutus per provincialem, per mortem deficeret, prior ille vel præsidens in conventu, in quo capitulum provinciale immediate subsequens fuerit assignatum, sit vicarius provinciæ et ipsam regat usque adventum prioris provincialis. (1)

Item in Rubrica eadem, ubi dicitur, (2) quod socii prioris provincialis de capitulo generali redeuntes sint de gremio capituli provincialis proximo celebrandi in sua provincia, declaratur, quod intelligitur de capitulo provinciali, quod celebrabitur extra locum et tempus dicti capituli generalis immediate post dictum capitulum generale, et quod tam vicarius

(1) Hoc simplicius exprimi debuit: In casu quo vicarius substitutus per provincialem loco vicarii canonice electi sed impediti, etiam esset impeditus ne aliquem conventum visitet, ad requisitionem prioris localis poterit subdelegare aliquem alium.

(2) Rubr. XXIV. n. 7.

provinciæ, qui custodit provinciam tempore capituli generalis, quam socii prioris provincialis electi pro capitulo generali, tam etiam socius signatus eidem per capitulum provinciale, tam etiam prior provincialis vel vicarius absolutus in capitulo generali ad expensas provinciæ possint venire, si volunt, ad dictum capitulum provinciale.

Item revocantes totam constitutionem de apostatis factam in capitulo generali Bruxellæ celebrato (1) antiquam confirmamus.

Item in Rubrica de receptione prælatorum (2) ubi dicitur *Statuimus autem, quod nullus prælatus ordinis nostri cujuscunque gradus aut conditionis existat, possit recipere ab aliquo vel subdito aliquod munus, ut puta in libro, rauba, pecunia vel jocali ultra quinque solidorum Turonensium nigrorum valorem, nec hoc ultra semel* etc. abradatur *quinque solidi* et ly *semel,* et dicatur expresse, quod nullus prælatus possit recipere ab aliquo subditorum suorum aliquod indebite et injuste aut contra formam juris, et sic volumus intelligi constitutionem antiquam supra dictam, tam de præteritis quam de futuris.

(1) Supra P. 133.
(2) Rubrica XXXVIII. n. 3.

Istæ sunt constitutiones editæ in capitulo generali celebrato Burdegalis in Nativitate beatæ Mariæ Anno Domini MCCCLVIII. (1)

In primis revocamus omnes gratias factas per priorem generalem vel per quodcumque capitulum generale usque ad istud capitulum, vel per quemcumque vicarium seu alium superiorem. Nolentes, quod priores provinciales seu quilibet vicarii vel superiores possint concedere licentiam seu gradum alicui fratri, quod non intersint in officiis diurnis aut nocturnis in choro; exceptis dumtaxat magistris in theologia, bachalariis, biblicis ordinatis ad legendum Sententias, lectoribus actu legentibus, scolaribus, studentibus, fratribus in crastinum prædicaturis, vel qui aliquem magnum laborem de proximo exercuerint, nec non fratribus infirmis et antiquitate tanta plenis quod usque ad sexagesimum annum vel ultra attigerint.

Nec aliquis superiorum (Fol. 57a) prædictorum valeat concedere fratribus litteras intrandi villam sine scitu prioris localis exceptis magistris, bachalariis, biblicis, lectoribus actu legentibus.

Item quod provinciales ad minus quater in septimana comedant in refectorio, et priores conventuales regulariter comedant ibidem.

Et revocamus constitutionem in capitulo Perpiniani factam (2) in qua dicitur: *Volumus et ordinamus* &c. et constitutio Metensis (3) totaliter observetur, in qua dicitur quod

(1) Die 8 Septembris, ob obitum Fratris Petri Raimundi de Grassa, qui in Monte Pessulano, die 22 Novembris A. D. 1357 defunctus est. In hoc capitulo Joannes Balistarius, e conventu Majoricarum, provinciæ Cataloniæ, electus est Generalis.

(2) Supra P. 173.

(3) Supra P. 164.

conventus Curiæ Romanæ &c.

Et in Rubrica XX dicitur Statuimus, quod quilibet subprior per electionem habeatur, addatur declarando, quod subprior in absentia prioris curam animarum omnium fratrum habeat sui conventus.

Item statuimus, quod quilibet bachalarius lecturus Sententias Parysius stet per unum annum immediate ante lecturam, pro quo solvat provincia sua XV florenos conventui Parysiensi, et VIII ipsi bachalario lecturo.

Item committimus priori generali, quod possit ponere et deponere priorem provincialem provinciæ Provinciæ pro voluntate sua usque ad capitulum generale.

Item in Rubrica XII de Indumentis, ubi secundum Constitutionem Perpinianensem (1) dicitur: *Item sub eadem pœna etiam in manicis tunicarum vel,* addatur: *vel in ipsis tunicis*, et quod sequitur.

Item in eadem Rubrica ponatur: In virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, quod nullus frater portet corrigiam nisi de corio sine bursis seu ornatibus argenteis aut cujuslibet alterius metalli seu eboris aut ossis (2). Nec aliquis gladios cum manubriis de ebore seu deargentatis portet, volentes, quod gladii honesti ad portandum habeant solum (3) longitudinem unius palmæ manus ex transverso positæ, nec aliquis torques de serico portet sub pœna amissionis rerum prædictarum.

Volumus et mandamus, quod nullus frater præter tunicam ac scapulare biretum aut alias raubas sutas (portet) de serico viridi, croceo aut talium colorum, quod possit evidentius distingui a colore raubæ, sub eadem pœna.

(1) Supra P. 172.

(2) *præter in capite præcedente nec poterit esse par(tim ?) de osse.* Fateor me penitus ignorare quid sibi hæc velint.

(3) Additur *in tro ;* nescio quid hoc sit.

Item sub eadem pœna præcipimus, quod quilibet frater ordinis portet tunicam et scapulare magnæ latitudinis secundum consuetudinem primam antiquam.

Item in Rubrica de studiis et studentibus ponatur, quod Parysius sit semper unus magister vacans, quem prior generalis instituerit ibidem morari.

In cujus rei testimonium sigillum nostri generalatus officii præsentibus est impressum.

Datum Burdigalæ anno, die quibus supra.

(Fol. 57b) ISTÆ SUNT CONSTITUTIONES FACTÆ PER REVERENDUM PATREM PRIOREM GENERALEM ET DEFINITORES CAPITULI GENERALIS TREVIRIS CELEBRATI, ANNO DOMINI MCCCLXII. (1)

Item in Rubrica II (2) post illam constitutionem *Item nullus prior res notabiles*, addatur: Item præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus prioribus localibus et eorum conventualibus, qui sub illis erunt, ne vendant ad vitam vel perpetuo aliquos redditus sive pecuniæ vel portionis certæ, vel alicujus alterius rei extra ordinem, nisi prius habito consensu prioris provincialis, et capituli provincialis vel solius provincialis, ubi sine damno notabili conventus non poterit expectare consensum capituli provincialis, prohibentes priori provinciali et capitulo provinciali, ne consensum vel licentiam dent super præmissis, nisi pro emendo aliquo spacio terræ, vel hospitio conventui tali manifeste necessario, sub pœna privationis loci et vocis.

Item mandamus sub pœna eadem prioribus quibuscumque et conventibus, ne alicui fratri ordinis nostri vendant

(1) Die Pentecostes quæ erat 5 Junii. Acta hæc alia sed pessima manu exarata.

(2) n. 5.

seu assignent sive pro pecunia præstita aut pro alia ratione redditus ad vitam vel perpetuos.

Non prohibemus autem, si conventus facit redditus perpetuos alicui personæ extra ordinem, quin aliquis frater possit illos redditus redimere, et quod conventus teneatur illos facere tali fratri ad suam vitam.

Item sub eadem pœna mandamus, ne aliquis frater noster emat [potius: vendat] census seu redditus ad vitam suam vel alterius ab aliqua persona vel communitate extra ordinem. Item si aliquis frater construxerit vel emerit aut alio modo habuerit cameram aut aliud hospitium in aliquo conventu ordinis, nolumus, quod ille frater talem cameram aut illud hospitium possit alicui fratri vendere, sed post ejus mortem sit conventus, in quo fuerit ædificata, non obstante quacumque gratia sibi facta, quod de bonis suis ordinet. Quod si oppositum fuerit factum, frater vendens cameram perdet eam simpliciter et emens perdet pretium quod dedit.

Et quod nullus conventus possit vendere alicui fratri vel personæ cameram aliquam conventus, nisi prius ordinatis vel deputatis aliis cameris de melioribus pro priore provinciali, locali, et lectoribus in conventu, et hospitibus et infirmis; quod si oppositum fiat, emens perdat suum pretium.

In Rubrica III addatur: quod Octavæ solemnes fiant de Purificatione beatæ Mariæ, sed si dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ aut dies Cinerum, vel aliqua dominica aut feria Quadragesimæ, quæ habeat Responsoria propria, infra Octavas dictas evenerit, pro die illa fiat tantum memoria de Octava et totum (Fol. 58a) officium complete erit de tempore.

Item ordinamus, quod de festo Annuntiationis beatæ Mariæ fiant Octavæ solemnes in Quadragesima, quando dictum festum celebratur extra septimanam ultimam Quadragesimæ. Volumus autem, quod Octavæ dictarum solemnitatum

venientes in Quadragesima, in matutinis prima lectio sit de Evangelio feriæ, reliquæ duæ de Octava. Fiat autem memoria semper de feria. Item ordinamus, quod per octavas Omnium Sanctorum, excepta dominica infra, et die Octavæ, dicatur officium plurimorum confessorum in matutinis quoad responsoria secundum turbas (1), antiphonæ vero ad Magnificat et ad Benedictus et ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam ; capitula vero et orationes dicantur sicut in die festi signatur. Et quod in die Mortuorum fiat officium de Octavis dictis.

Item statuimus quod feria III Rogationum fiat commemoratio beatæ Mariæ sicut in aliis temporibus (2) fieri consuevit.

Et ordinamus, quod in quolibet conventu ordinis in qualibet septimana per totum annum feria secunda post missam fiat processio per claustrum et cimiterium pro absolutione fratrum et ceterorum defunctorum (3), in qua cantentur Responsoria *Libera me Domine*, *Memento* et aliqua alia, usquequo fratres pertransierint loca dicta. In qua processione fiant quatuor stationes et quatuor absolutiones per sacerdotem

(1) Turbæ sunt antiphonæ et responsoria unius nocturni assignata rotatim certis diebus, i. e. feriis 2 et 5 antiphonæ et responsoria primi nocturni ; feriis 3 et 6 ant. et resp. secundi nocturni, feriæ 4 et Sabbat. ant. et resp. tertii nocturni.

(2) i. e omni hebdomada.

(3) Occasionem hujus ordinationis sic narrat Ægidius Fabri :« ... ordinatum est, ut feriis secundis fiat processio pro defunctis et hoc propter quendam defunctum qui diversis noctibus per dormitorium ambulavit cantando *Libera me Domine de morte æterna*, et non plus ; tunc omnes fratres simul pro illo devote celebraverunt usque ad XXX et finita ultima cantavit ille spiritus responsorium *Libera me Domine* &c. usque in finem, et post hoc non est auditus amplius. In memoriam illius erant ab antiquis ibi in quatuor angulis dormitorii quatuor cruces. » (Ms. Bodley 73, fol. 112)

cum nota, dicendo aliquas orationes (cum nota). In prima statione dicto *Kyrie el.* et *Pater noster* dicat sacerdos *Et ne nos.* ℣. *A porta inferi* etc. *Domine exaudi. Dominus vobiscum.* Oratio *Inclina.* In secunda statione dicto *Pater noster* etc. dicat sacerdos ℣ *In memoria. Domine exaudi. Dominus vobisc.* Or. *Deus qui nos patrem et matrem honorare.* In tertia statione ℣. *Credo videre. Domine exaudi. Dominus vobisc.* Or. *Deus in cujus miseratione ;* et : *Absolve.* In fine *Requiescant in pace.* Fratres versu dicto revertuntur ad chorum. Dicant *De profundis.* Et in fine sacerdos dicat orationem *Fidelium Deus.* Si vero in prædicta feria processio dicta non fuerit vel poterit fieri, fiat in alia die proximiori istius septimanæ, in in qua nullum sit impedimentum. Et idem fiat in die commemorationis animarum.

In Rubrica IV de jejunio addatur: Item præcipimus, quod fratres non comedant aut bibant cum sæcularibus in dormitorio aut in quibuscumque aliis cameris, ubi fratres jacent, sub pœna gravioris culpæ per tres dies. Tempore vero quo dicitur missa aut vesperæ aut completorium nullibi in conventu cum sæcularibus potent aut comedant, nisi essent tales personæ, cum quibus (sine) conventus vel ordinis dispendio hoc observari non posset. Semper tamen a præsidente in conventu licentiam obtineant.

Item Rubrica V de silentio præcipimus, quod fratres non cantent cantilenas sæculares nec eas dictent, doceant aut discant, nec etiam tripudient, sub pœna gravioris culpæ per diem.

(Fol. 58b) Item Rubrica IX de hospitibus ordinamus, quod pueri et juvenes ordinati ad studium et ad discendum nullatenus possint mitti ad terminos vel ad quæsturas extra villam nec taliter occupentur sæpius, quod suas lectiones non valeant addiscere vel audire.

Item Rubrica X de confessionibus ordinamus, quod fratres

in suis prædicationibus non doceant prophetias nec facta ventura determinate nisi expressa in sacra Scriptura vel in libro autentico, nec novas opiniones, quæ non prosunt ad morum ædificationem, nec disputationes contra se invicem, vel contra alios prædicantes faciant in suis prædicationibus, sub pœna privationis vocis et loci.

Item volumus, quod fratres, qui sciunt loqui latinum per provincialem in sua visitatione, dum tamen sint eloquentes, constringantur, ut in operibus sermonum studeant et coram conventu aliquos sermones faciant, ut si sic inveniantur idonei ad prædicandum, in capitulo provinciali licentientur ad hoc, si aliunde sint digni.

Item ordinamus, quod fratres prædicatores non faciant sibi barbas prolixas, vexilla vel aliqua alia clenodia et externa signa secum portent, unde populus eos sequatur, sub pœna privationis loci et vocis.

Item in Rubrica XII de vestimentis ordinamus, quod sub pœna excommunicationis fratres portent tunicas albas sub griseis longas usque ad mediam tibiam et latas. Item volumus, quod fratres portent cappas in missa conventuali et in omnibus dominicis et festis, quæ plebs colit solemnibus ad utrasque vesperas, et in Quadragesima in quolibet completorio sub pœna gravis culpæ per diem.

Item Rubrica XVI de studiis statuimus, quod frater, qui bugam fecerit in conventu Parysiensi vel alibi in aliis studiis contra aliquos fratres vel majores seu gradatos, propter quod fratres veniant ad verbera vel usque ad gladiorum vel cultellorum extractionem vel baculorum, lapidum vel aliorum armorum deportationem et comminationem, vel fiant rebelliones aut scandalum coram sæcularibus, ipso facto sit revocatus a studio numquam promovendus in ordine. Prior tamen talem fratrem a conventu dicto ad suam provinciam mox remittat, fratres vero non studentes carceri mancipentur.

Rubrica XVII de officio prioris generalis de illis clausulis *Non tamen per vicarium* (1) &c. radatur. Item quod alios officiales quoscumque inferiores priore possit absolvere ex causa, quæ sibi videbitur rationabilis. Item concedimus priori generali, quod possit provinciam et conventum, ubi moram trahit, eximere a taxatione in toto vel (Fol. 59 a) in parte, secundum quod ei videbitur juxta temporis ratam.

Item Rubrica IX de hospitibus statuimus, quod fratres hospites in quocumque conventu fuerint, post primam diem sequantur chorum de die et dicant missas suas, nisi aliud impedimentum negotiorum suorum vel laborum hoc impediat evidenter. Item, quod fratres hospites teneantur revelare priori causam et negotia, pro quibus veniunt ad conventum, cum fuerint requisiti a priore.

Item Rubrica XIX de officio priorum addatur: Statuimus, quod quilibet prior noviter institutus in prioratu alicujus conventus, statim postquam ostenderit litteram sui officii, antequam utatur officio suo in aliquo, videat inventaria conventus sui et secundum illa recipiat bona omnia conventus in præsentia custodum vel seniorum conventus sub pœna suspensionis. Qui dum recedit ad capitulum vel alia de causa ab officio mutabitur bona omnia conventus secundum inventaria conventus coram prædictis fratribus tradat priori successori suo, si fuerit præsens, vel præsidenti in conventu tempore sui recessus vel amotionis. Idem vero præsidens priori venienti secundum formam prædictam omnia bona conventus tradat. Si vero non reperiantur conventus inventaria, prior noviter institutus coram dictis fratribus faciat nova inventaria, quæ ponantur in arca trium clavium. Si vero prior in præmissis fuerit negligens, quæcumque de bonis conventus non fuerint reperta, integre solvat.

(1) n. 16.

Item Rubrica XIII de receptione novitiorum ordinamus, quod nullus possit recipere apostatas aliarum religionum, etiam si habeant litteras dimissorias, vel alios transferentes se de religione alia, nisi prior generalis; nec tales, si fuerint recepti, possint ad prioratum vel subprioratum (aut) vicariatum recipi, (vel ad) lectoratum promoveri sine licentia generalis.

Item Rubrica XXII de custodibus ordinamus, quod prior sine scitu custodum aut duorum bonorum fratrum conventus si periculum timeatur, non ponat bona conventus in aliquo loco conventus abscondito vel in villa, sub pœna depositionis ab officio (1).

Et ordinamus quod nullus frater sit diffinitor capituli generalis nec ad hoc eligatur, nisi sciat loqui latinum.

Item statuimus, quod constitutio Ferrariæ (2) dicens, quod expectentur aliqui absentes, radatur et maneat antiqua.

Et ordinamus, quod prior generalis, postquam resignaverit, præcedat quoscumque fratres ordinis cujuscumque gradus aut officii (et) sit immediate post generalem in electionibus et in quocumque alio actu in capitulis vel locis aliis. Item, quod eidem provideatur (Fol. 59b) per ordinem de aliquo vestiario. Item quod eidem provideatur in victualibus decenter præ aliis magistris, qui non fuerint in officio.

Item in Rubrica XXIII (3) reducendo constitutionem antiquam et eam reducendo vel renovando addatur : Declaramus, quod excessus, propter quos prior generalis ab officio suo est absolvendus, sunt quatuor pro quibus solum amoveri poterit, scilicet pro peccato notorio, quod sine scandalo

(1) Textus hic et per magnam partem hujus capituli valde corruptus.

(2) Supra P. 174.

(3) n. 24.

ordinis non poterit tolerari, aut pro hæresi, aut pro incorrigibilitate aut quia omnino inutilis sit.

Item ordinamus, quod expensæ dandæ sociis electis pro capitulo generali, bona hora et sufficienter solvantur, et quod primo provideatur de illis et diffinitore provinciæ quam alicui alteri; etiam si omnes alios oportuerit remanere.

Et Rubrica XXVIII de sigillis et litteræ concessione et sigillatione statuimus, quod in omni littera facta per aliquem conventum exprimantur nomina fratrum qui consenserunt.

Et Rubrica XXXVII de proprietariis ordinamus, quod fratres præstantes seu mutuantes quibuscumque personis extra ordinem constitutis aut sub custodia commendantes bona sua vel ordinis vel ad mercandum aut ad lucrum sæcularibus tradentes, puniantur sicut proprietarii.

Et Rubrica XLIV de decedentibus ordinamus, quod conventus, quorum fratres decedentes sunt filii vel ubi bona acquisierint, prout dicit constitutio antiqua, habeant partem tertiam de bonis defuncti fratris. Item, quod bona de se incorruptibilia, cujusmodi sunt vasa argentea, aurea, ferrea et consimilia, si legentur ad vitam, solum sint legata et post mortem fratris, cui legantur, sint conventus, quorum sunt filii. Bona vero immobilia aut redditus non possunt legari fratribus, sed sint conventus, cujus sunt filii, vel ubi acquisierunt.

Item, quod mortuo fratre prior coram custodibus et coram executoribus ordinationis fratris defuncti, si sciantur, aperiat et legat fratris ordinationem. Executores vero coram priore et custodibus et in eorum defectu coram duobus fratribus de senioribus conventus faciant inventarium de bonis fratris defuncti, qui executores reddant totaliter rationem coram priore et toto conventu ubi frater fuerit defunctus ; prior vero illorum compita portet ad capitulum provinciale, ut provincialis videat, et si aliqui voluerint videre, et si oppositum

fuerit factum, ordinatio sit nulla.

Item statuimus, quod vicarius electus pro custodia provinciæ non visitet aliquem conventum provinciæ, nisi vocatus per priorem et meliores conventus. Item (Fol. 60a) statuimus, quod vicarius generalis nihil immittet de statu ordinis ac de officiis, nisi ex maxima et evidenti necessitate et consilio meliorum et seniorum fratrum.

Item Rubrica XX de electionibus statuimus, quod nullus frater, qui eligitur socius prioris localis ituri ad capitulum provinciale, habeat locum et vocem in electione diffinitorum illius capituli provincialis.

Et quod nullus prior provincialis possit resignare coram diffinitoribus capituli provincialis vel aliis præsidentibus ordinis, nisi habita licentia prioris generalis.

Item, quod quicumque magister fuerit constitutus prior in aliquo conventu, teneatur facere et observare omnia, quæ secundum constitutionem ordinis prior tenetur facere, præsertim et ea, quæ pertinent ad sequelam chori vel refectorii, non obstante quibuscumque gratiis aut privilegiis magistrorum concessis vel concedendis. Quod si non fecerit, per priorem provincialem a suis officiis deponatur sub pœna depositionis ipsius provincialis.

Item in Rubrica de sigillis ordinamus, quod quilibet conventus habeat sigillum vicariatus, quo præsidens in conventu in absentia prioris sigillet litteras, quæ alias essent sigillandæ sigillo prioris.

Et in Rubrica de apostatis declaramus, quod non obstante quod illis, qui apostataverint, sit locus et vox restituta, adhuc indigent dispensatione ad promotionem habendam cujuscumque officii, quod fit per electionem vel ad magisterium in theologia. Et declaramus super illa constitutione, quod nullus ad legendum Sententias vel ad magisterium &c. addatur :

vel crimen notabile ac scandalum commisit, non obstante quod pro illo non fuerit incarceratus.

(*Quæ sequuntur alia manu contemporanea scripta sunt*)

Sciendum, quod si in constitutione noviter facta de Octavis Annuntiationis beatæ Virginis non est de dominica veniente infra easdem octavas mentio facta, qualiter officium debeat fieri. Volo et ordino, quod in dominica infra prædictas octavas fiat totum officium de dominica et tantum memoria de octava ; si autem contingeret, quod dies octavarum in aliqua dominica veniret, tunc dominica suum plenum officium habebit, et officium octavarum transferatur in crastinum, videlicet in feriam secundam, semper hebdomada pœnosa excepta, in qua si octava veniret nihil nisi memoria de ea fieri deberet.

(Quæ sequuntur alia manu sæculi XV scripta sunt)

CONSTITUTIONES CAPITULI GENERALIS IN APPAMIIS ANNO DOMINI MCCCCXXV CELEBRATI, DIE 27 MENSIS MAJI (1).

Ordinamus, quod vicarii generales non mittantur nisi postulentur per priorem provincialem vel per provinciam, et si mitterentur, præcipimus, quod non recipiantur.

Item ordinamus, quod de cetero nullus frater ordinis nostri veniat ad Reverendum Magistrum Generalem sine licentia prioris provincialis vel localis deferens litteras licentiæ.

Item ordinamus, quod de cetero nullus prior localis vel aliquis alius frater nostri ordinis, quicumque sit, permittat legi litteras aliquas officiorum, puta vicariatus seu prioratus et aliarum gratiarum, Domini nostri Papæ sive Reverendissi-

(1) Quæ erat dies Pentecostes.

mi Magistri ordinis vel alterius prælati in suis conventibus, sine expressa licentia sui prioris provincialis, sub pœna excommunicationis et rebellionis. (Reditur ad fol. 59b) Item ordinamus, quod de cetero nullus frater vadat de conventu ad conventum vel de provincia ad provinciam, sine licentia prioris provincialis, et si aliqui reperiantur tales, præcipimus omnibus prioribus provincialibus et localibus de virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna rebellionis, quatenus tales corripiant vel capi faciant et carceribus ordinis mancipent, et qui sint de aliena provincia ad propriam redeant, sub pœna excommunicationis.

Item præcipiendo mandamus de virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam ferimus in his scriptis, quatenus nullus audeat contradicere vel appellare a constitutionibus suprascriptis ; quod si aliquis fecerit, denuntiamus ipsum sententiam excommunicationis incurrisse et esse privatum voce, loco, gradu, statu et officio.

Explicit

DE ANTIQUIORIBUS CAPITULIS

Maxime dolendum acta capitulorum antiquiorum conservata non fuisse, vix enim sperari potest ea alicubi delitescere. Nihilominus supersunt nonnullæ notitiæ quas, ne et ipsæ temporis decursu misere pereant, hic in unum colligere oportet.

Inter varios qui ad nos usque venerunt capitulorum indices præcipuos tantum edendos selegi, et primo quidem catalogum a Magistro fratre Siberto de Beka inchoatum et ab alio incognito ad annum 1389 perductum ; secundo vero indicem a Magistro fratre Joanne Trissa confectum.

De celeberrimo auctore Siberto de Beka ita habet P. Norbertus a Sta Juliana (1):

Sibertus de Beka

Gelriensis, Carmelita Coloniensis, et ab anno 1316 S. Theologiæ doctor Parisiensis ac professor, anno 1317 electus totius Alemanniæ provincialis, vir inter sui temporis insigniores patres ordinis Carmelitici jure nominatissimus. Gelriæ honestis ac præcipuis parentibus natus, Coloniæ circa annum 1280 habitum B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli suscepit, ubi brevi in sacris litteris eruditus evasit, et tam in jure canonico quam in philosophia aristotelica egregie doctus, necnon minus conversatione quam scientia clarus gratiam plurimam apud Raynaldum I. Geldriæ et Zutphaniæ comitem invenit, et cum ordinis sui in patrio præsertim solo transplantandi, ut bonus vinitor cupidissimus esset, occasione habita eundem perillustrem comitem adiit, pium animi sui votum humillime proponens benignissime acceptatus ac admissus fuit circa annum 1300. Quare cum R. admodum P. Gobelinus Alemanniæ provincialis [1303-1306] nonnullis fratribus cum illo Gelriam destinatis in oratorio vetusto et adhærentibus officinis per annos aliquot sub dicti P. Siberti directione religiose victitatum est, illis itaque in vitæ religiosæ observantia probatis idem comes anno 1306 gratiose

(1) *De Scriptoribus Belgicis et viris illustribus ex ordine Carmelitano,* auctore Norberto a Sta. Juliana. MS. 16492 biblioth. regalis Bruxellis, Fol. 10a sqq. [Norbertus Hermans, natus Bruxellis 26 Sept. 1710, professus 1 Maji 1729, mortuus Antwerpiæ 5 Martii 1757. Cf. *Biographie Nationale..... de Belgique,* Bruxelles 1886-1887, t. IX, col. 274. Quatuor ejusdem manuscripta maximi valoris pro bibliographia ordinis nostri (13992;16490-16492) proh dolor ! trunca sunt.]

contulit ecclesiam parochialem ejusdem oppidi a majoribus suis olim in proprio fundo extructam cum jure patronatus ejusdem sola apud loci ordinarium sibi suisque hæredibus præsentatione reservata, litteris idiomate belgico et latino desuper confectis de data 1306 in festo S. Andreæ apostoli.

Anno 1308 ad instantiam suprамemorati venerabilis P. Siberti perillustris dominus Raynaldus I. Geldriæ comes juxta authoritatem sibi a SS. Domino Clemente papa V. concessam donavit viris religiosis Ord. B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli (in marg. : pro construendo monasterio in oppido gelriensi) totam aream cum oratorio et officinis suis.... assignans insuper eisdem fratribus redditus triginta marcarum brabanticarum grosso currente regali pro quatuor annis ex suis censibus recipiendos. Charitative interim requirens ut qualibet die in capella castri Gelriensis missas celebrent horasque persolvant, prout eorum ordo requirit, ac in aliis conventibus facere consueverunt; litteris desuper datis de data 1308 in festo S. Petri ad Vincula.

Cum igitur strui cœpto monasterio venerabilis P. Sibertus ab anno 1308 usque ad annum 1310 fratres suos magna cum laude rexisset, omnimoda nempe ipsius comitis satisfactione structuramque novelli monasterii sedule et alacriter auxiliante domino fundatore promovisset ab ordinis superioribus (Fol. 10 b) cum bona perillustris venia, ne dicam instantia, ne tantum viri ingenium inter claustri latebras delitesceret, anno 1310 Parisios ad ulteriores S. Theologiæ gradus recipiendos destinatus est, unde 1312 redux Carmeli Gelriensis prior electus (1) iterum Parisios post paucos annos rediit atque ibidem anno 1316 doctorali laurea insignitus

(1) Annis 1315-1317 erat prior Coloniensis. Cf. H. H. Koch, *Die Karmelitenkloester der niederdeutschen Provinz*. Freiburg im Breisgau, 1889. P. 32.

anno 1317 in capitulo provinciali Coloniæ habito totius Alemanniæ provincialis eligitur, provinciamque suam tum temporis amplissimam dexterrime gubernans (1), in ea qualitate quatuor capitulis generalibus assistit, videlicet Burdegalensi in Gallia anno 1318, Barcinonensi in Hispania anno 1324, Albiensi in Gallia anno 1327 et Vallencenensi in Belgio anno 1330 (quod refert Lezana ad annum 1331).

Tanta scientiæ ac religionis laude Sibertus excelluit, eaque valuit industria et authoritate ut Bonifacii VIII. privilegium de extensione ad ordinem Carmelitanum constitutionis *Super cathedram* a Clemente V. confirmatam, renovatam in concilio Viennensi, a Johanne XXII impetraverit anno 1326. Tandem Coloniæ postquam provinciam suam sapientissime et laudabilissime quindecim annis (2) gubernasset moritur anno 1332 (non 1333 ut male habet Bibliotheca Carmelitarum) die 29 Decembris, sepultus ante majorem aram ecclesiæ Carmelitarum.

(Ibidem Fol. 11a) Scripsit Sibertus noster:

« 1. In magistrum Sententiarum, lib. 4.

2. Summam censurarum novi juris sive de casibus conscientiæ. lib. 1.

3. Considerationes super regulam ordinis Carmelitarum lib. I. qui anno 1507 editus est Venetiis in Speculo ordinis Fol. 31 et quædam apud Ribotum libro VIII capp. 5 & 6.

4. Fasciculum florum diversarum historiarum, lib. I.

5. Bullarium ordinis seu privilegia Carmelitarum extare asserit Ludovicus Jacob MSS Parisiis, Coloniæ et Burdigalæ apud Carmelitas.

(1) Anno 1319 erat Parisiis regens in theologia. Denifle, Cartularium, t. III. P. 661.

(2) Rectius duodecim annis, nempe ab anno 1317 usque 1321, et ab anno 1324 usque ad annum 1332.

6. Ordinale Dominici Sepulchri (1). »

Septimum, quem Norbertus noster prætermittit, scripsit librum de antiquis capitulis. Extat ille manuscriptus in collectaneis Johannis Balei (MS. Harley 1819, in Musæo Britannico) transumptus ex aliquo codice oriundo ex uno illorum conventuum, forsan Tholosano, qui tempore schismatis partem Clementistarum sequebantur, unde ultima duo capitula, nempe A. D. 1387 et 1389, non tamquam generalia totius ordinis, sed tantum illius obedientiæ censenda sunt. Aliud exemplar extat in MS. Vaticano 3991 cui titulus *Constitutiones ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo per Belisarium* (2) *congestæ*, quibus accedunt *Johannes Grossus De Ortu ejusdem religionis*, necnon *Annotatio capitulorum generalium* de qua agimus. Differt hæc Annotatio in pluribus a catalogo per Baleum præservato, præsertim in eo quod circa finem continet notitiam capitulorum tempore schismatis a parte Urbanistarum habitorum. Utramque versionem adhibui sed tantummodo præcipuas variantes codicis Vaticani adnotavi. Ultimam hanc versionem enim jam exeunte sæculo XVIII publici juris fecit auctor anonymus opusculi cui titulus *Histoire de l'Ordre de Notre Dame du Mont Carmel dans la Terre-Sainte sous ses neuf premiers prieurs généraux*. A Maestricht, de l'Imprimerie de P. L. Lekens. 1798. (Pp. 94-102). (3) Incipit ibidem: *Hæc sunt capitula generalia ordinis fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, de quibus aliquo modo constare potest per constitutiones inventas et factas in eisdem*

(1) Vide supra P. 25.

(2) i. e. Balistarium.

(3) Hic liber, valde utilis, rarissimus evasit. Supersunt tamen triginta exemplaria apud PP. Carmelitas Discalceatos Gandavi. Auctor anonymus erat P. Johannes-Nepomucenus a S. Familia, Carmelita discalceatus, in sæculo vocatus Johannes Petrus Renerus, filius Stephani Reneri et Mariæ Agnetis, olim Fléron, natus Leodii circa annum 1737, professus 29 Aprilis 1756. Ego similitudine nominis deceptus, librum olim P. Johanni Nepomuceno a S. Petro, Carmelitæ Calceato adscripsi (cui nomen in sæculo Hovenhaghel, nat. 29 Junii 1738; prof. 29 Aprilis 1764.)

capitulis quæ habentur per ordinem hinc inde, sicut eas vidit Reverendus Magister Gibertus (sic) *bonæ memoriæ prout ipse propria manu cum diligentia registravit. Non est dubium plura capitula generalia præcessisse infrascripta.* Notandum hunc catalogum a Siberto ad annum 1330 tantum perductum, quippe qui anno 1332 vita functus, ab alio auctore completum esse.

Sic habet manuscriptus Balei :

(Harley 1819 Fol. 105b) Magister frater SIBERTUS DE BEKA provincialis Alemaniæ regestravit cum magna diligentia plurima capitula generalia, nec dubium est plurima adhuc præcessisse, et ex constitutionibus editis factus est liber constitutionum.

Anno Domini 1264 in festo Pentecostes Tholosæ in provincia Aquitaniæ fuit celebratum capitulum generale ubi de centum sexaginta novem constitutionibus ordinis factum est unum volumen ; fuerunt etiam ibidem in eodem capitulo de antiquis viginti sex (1) constitutiones amotæ et deletæ.

Anno Domini 1267 in festo Pentecostes capitulum generale fuit Messanæ celebratum in provincia Siciliæ ubi factæ sunt quædam additiones constitutionum et aliæ quædam correctæ.

Anno Domini 1270 in Nativitate Virginis gloriosæ Parisius in provincia Franciæ celebrabatur generale capitulum ubi factus fuit prior generalis frater Radulphus, et factum est unum volumen de constitutionibus centum sexaginta quatuor, et amotæ fuerunt duodecim. Prædictus generalis mansit solum tribus annis.

Anno Domini 1273 in Epiphania Domini celebratum fuit capitulum Burdegaliæ in provincia Aquitaniæ ubi factus est generalis frater Petrus de Amiliano, et factum est unum volumen de constitutionibus centum quinquaginta tribus (2)

(1) Vat. habet viginti duæ.

(2) Vatic. habet : centum quinquaginta octo.

et amotæ fuerunt undecim, et ante in capitulo parisiensi ordinatum et publicatum fuit sequens capitulum Burdegaliæ celebrari.

Anno Domini 1275 ad quatuor fere annos post capitulum Parisius ego magister frater Sibertus inveni in quibusdam constitutionibus Angliæ quod illud capitulum Burdegalense fuit celebratum anno Domini 1273 in Epiphania Domini ad duos annos vel parum plus post capitulum parisiense, et illud videtur concordare cum primo.

Anno Domini 1277 in festo Pentecostes in Monte Pessulano in provincia Narbonæ quod fere post quatuor annos fuit post burdegalense capitulum erat capitulum generale ubi nihil mutatum fuit. (1)

Anno Domini 1281 fuit celebratum generale capitulum Londoniis in Anglia in festo Pentecostes per generalem Petrum, et

anno Domini 1284 fuit celebratum capitulum generale Papiæ in provincia Lumbardiæ (ut creditur) per Petrum generalem.

(Fol. 106a) Anno Domini 1287 in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ fuit in Monte Pessulano celebratum capitulum generale in provincia Narbonæ ubi mutatus est habitus nostræ religionis auctoritate apostolica Petro generali.

Anno Domini 1291 in festo Pentecostes fuit celebratum capitulum generale Treveris in Alemania, et factæ sunt additiones per Petrum.

Anno Domini 1294 in Pentecoste celebratum fuit capitulum generale Burdigaliæ in provincia Burdegaliæ, (2) et factum est unum volumen de quinquaginta duabus constitutionibus. Hic absolutus est frater Petrus generalis, qui, ut patet

(1) V. habet: nihilominus fuit in eo mutatum.

(2) lege: Aquitaniæ.

ex supradictis, rexit tantum (1) annis decem et novem. Hic electus fuit frater Raymundus qui solum vixit per duos annos.

Anno Domini 1297 in festo Pentecostes Brugis in provincia Franciæ fuit capitulum generale in quo electus est prior generalis magister frater Gerardus de Bononia, et factum est volumen constitutionum certo numero. (2)

Anno Domini 1300 in festo Pentecostes celebratum fuit generale capitulum Florentiæ in provincia Thusciæ Gerardo tunc generali.

Anno Domini 1303 in festo Pentecostes celebratum fuit generale capitulum Narbonæ Gerardo tunc generali etc (sic).

Anno Domini 1306 celebratum fuit capitulum generale Tholosæ in provincia Aquitaniæ, et factum est unum volumen constitutionum.

Anno Domini 1309 in festo Pentecostes celebratum fuit capitulum generale Ganuæ (Januæ) in provincia Lumbardiæ et factæ sunt additiones.

Anno Domini 1312 in octavis Pentecostes celebratum fuit capitulum generale Londoniis in Anglia, et factæ sunt additiones.

Anno Domini 1315 in Pentecoste Coloniæ in provincia Alemaniæ celebratum fuit capitulum generale, ubi factæ fuerunt additiones Gerardo regente et gubernante. Post illud capitulum ad duos annos mortuus est Magister Gerardus generalis supradictus et vacavit generalatus per annum et quatuor vel quinque septimanas.

Anno Domini 1318 in Pentecoste celebratum fuit capitulum generale Burdegaliæ in provincia Aquitaniæ, ubi factæ sunt additiones. Hic factus est generalis Magister frater Guido

(1) Tantum i. e. *autant que, soviel als.*

(2) Vatic. habet *absque* certo numero.

de Perpiniano qui non rexit complete per tres annos assumptus ad episcopatum Majoricensem.

Anno Domini 1321 in Pentecoste celebratum fuit capitulum generale in Monte Pessulano in provincia Narbonæ ubi factæ sunt additiones. Hic electus fuit in generalem Magister frater Johannes de Alerio absens.

Anno Domini 1324 in festo Pentecostes fuit celebratum capitulum generale in conventu Barchinonæ in provincia Hispaniæ, ubi factæ sunt additiones, Johanne de Alerio priore generali.

(Fol. 106b) Anno Domini 1327 in Pentecoste celebratum fuit capitulum generale Albiæ in provincia Aquitaniæ; factæ sunt additiones Johanne generali.

Anno Domini 1330 in Pentecoste Valencenis in Francia capitulum generale fuit celebratum, et factæ sunt additiones. Magister Johannes officium resignavit post novem annos et electus fuit Magister Petrus de Casa.

Anno Domini 1333 in Pentecoste celebratum fuit capitulum generale Nemausi in provincia Narbonæ, ubi Dominus Johannes XXII papa misit tres diffinitores, scilicet Dominum Johannem de Clarano (1), Petrum pœnitentiarium et fratrem Johannem Marcelletti provincialem provinciæ Provinciæ, et factæ sunt additiones, generali Petro etc (sic).

Anno Domini 1336 in Pentecoste celebratum fuit capitulum generale Bruxellis in provincia Alemaniæ, et factæ sunt additiones et multæ constitutiones, generali Petro.

Anno Domini 1339 in Pentecoste celebratum fuit capitulum

(1) Auctor libri „Histoire de l'Ordre" etc. recte hic notat auctorem (scilicet continuatorem Siberti) errasse nominando Petrum de Clarano, cum ex bulla data 21 Maji 1333 (Bull. Carmel. I. P. 561) constet Johannem Rubeum, episcopum Terræ Albæ in Sardinia, ordinis Carmelitarum, cum Petro de Felicianis et Johanne Marcelletti deputatum fuisse. Vide supra P. 120.

generale in conventu Lemovicarum in provincia Aquitaniæ, et factæ sunt paucæ additiones de divino officio, Petro generali.

Anno Domini 1341 circa Adventum Domini assumptus est ad episcopatum Vasionensem Magister Petrus de Casa, qui fere duodecim annis rexerat ordinem, et vacavit generalatus usque ad Pentecosten immediate sequentem, et sub anno Domini 1342 celebratum fuit capitulum generale Lugduni in provincia Narbonæ, ubi duobus exceptis concorditer ab omnibus electus fuit in generalem Magister frater Petrus Raymundi ejusdem provinciæ, et ibi factæ sunt additiones.

Anno Domini 1345 in Pentecoste Mediolani in provincia Lumbardiæ capitulum generale fuit celebratum, ubi factæ sunt additiones quædam et constitutiones multæ, Petro Raymundi generali.

Anno Domini 1348 in Pentecoste in conventu Methensi celebratum fuit capitulum generale in provincia Franciæ ubi paucæ factæ sunt additiones constitutionum, Petro gubernante.

Anno Domini 1351 in festo Pentecostes celebratum fuit capitulum generale Perpiniani in provincia Cathaloniæ, Petro generali. (1)

Anno Domini 1357 celebratum fuit capitulum generale Ferrariæ in provincia Lumbardiæ in Pentecoste, et eodem anno in festo sanctæ Cæciliæ obiit Magister frater Petrus Raymundi in Monte Pessulano, et ordinatum fuit et convocatum sequens capitulum Burdigaliæ tum quod Magister Petrus obiit,

(1) Vatic. rectius habet sic: Anno Domini 1351 in festo Pentecostes Tholosæ in provincia Tholosana fuerunt paucæ additiones factæ. Petrus Raymundi generalis. Anno Domini 1354 in festo Pentecostes Perpiniani provinciæ Cathalauniæ. Petrus Raymundi generalis.

tum quod tempus capituli fuit abbreviatum (1), in festoque sanctæ Mariæ sequenti convocatum

anno Domini 1358, ubi in die Nativitatis Domini fuit electus concorditer in priorem generalem frater Johannes Balistarii Cathalaunus bachalarius et licentiatus parisiensis de provincia Cathaloniæ et conventu Majoricarum (Fol. 107a) ubi ad instantiam Vasconum divisa est Aquitania in Vasconiam et Aquitaniam.

Anno Domini 1362 in Pentecoste celebratum fuit capitulum generale Treveris in provincia Alemaniæ,priore generali tunc Magistro in sancta Pagina Johanne Balistario existente, et fuit capitulum prolongatum ad quatuor annos.

Anno Domini 1366 in festo Pentecostes quod fuit 28 die Maji fuit capitulum generale celebratum in conventu Montis Albani (2) provinciæ Aquitaniæ Magistro Johanne existente priore generali.

Anno Domini 1369 in Pentecoste fuit celebratum capitulum generale in Monte Pessulano, et ibi fuerunt datæ aliquibus provincialibus constitutiones correctæ (3), limatæ ac redactæ in unum volumen debito modo per reverendum Magistrum in eodem capitulo (p)residentem.

Anno Domini 1372 in Pentecoste fuit celebratum capitu-

(1) Vatic. habet: Anno Domini 1357 in festo Pentecostes Ferrariæ in provincia Bononiæ, et ordinatum est capitulum generale ad quatuor annos, sed quia Magister P. R. eodem anno.... obiit, fuit tempus capituli abbreviatum etc.

(2) i. e. Montauban.

(3) Exemplar harum constitutionum extabat olim in archivio generali Carmelitarum antiquæ observantiæ Romæ; incendio Burgi novi destructum est, sed habetur adhuc hodie apographum ejus. Similiter correctores Ordinalis novi, anno 1532 et sequentibus Bruxellis compositi et anno 1542 Venetiis impressi, tale exemplar præsto habebant; inde factum est quod omnes decisiones capitulorum circa officium ad hunc annum retulerint.

lum generale in conventu Aquensi (1) in provincia Provinciæ, ubi fuerunt factæ paucæ additiones constitutionum Johanne præsidente.

Anno Domini 1375 in Pentecoste fuit celebratum generale capitulum in conventu Podii (2) quia Johannes Balistarii bonæ memoriæ migravit ad Dominum anno præcedenti 24 die mensis Septembris. Ideo in dicto capitulo concorditer ab omnibus electus fuit Magister frater Bernardus Olerii de provincia Cathaloniæ, conventus Minorissæ (3), ubi per eundem sunt addita quædam ad divinum officium.

Anno Domini 1379 fuit celebratum capitulum generale in conventu Brugensi provinciæ Franciæ Magistro Bernardo generali.

Anno Domini 1384 fuit capitulum generale celebratum in Avinione provinciæ Provinciæ et fuit factus generalis Magister frater Raymundus Baquerii provinciæ Narbonæ conventus Biterris (4).

Anno Domini 1387 fuit celebratum capitulum generale in Castro novo de Arrio provinciæ Tholosanæ per eundem magistrum.

Anno Domini 1389 fuit celebratum capitulum generale in Perpiniano provinciæ Cathaloniæ, et fuit factus generalis Magister frater Johannes Grossi provinciæ Tholosæ, conventus Appamiarum (5).

Loco ultimorum capitulorum exemplar Vaticanum a P. Johanne Nepomuceno exscriptum et ex partibus Urbanistarum oriundum sequentia habet :

(1) i. e. Aquarum mortuarum (Aigues-mortes).
(2) i. e. Puy-en-Velay.
(3) i. e. Menorca.
(4) i. e. Bourges.
(5) i. e. Pamiers.

Anno Domini 1375 fuit factum generale capitulum in Podio in provincia Narbonensi, et tunc concorditer nemine discrepante fuit electus in priorem generalem Magister Bernardus Olerii, quia Magister Johannes Balistarii mortuus fuerat mense Septembri in festo Michaelis in conventu Majoricarum, et sic prædictus quondam magister Johannes rexit ordinem in generalatus officio per annos viginti unum et menses quatuor.

Anno Domini 1379 fuit celebratum capitulum generale Brugis et fuit prolongatum per quatuor annos Magistri Bernardi Olerii tenentis officium.

Anno Domini 1381 in die Pentecostes Veronæ fuit celebratum capitulum generale in quo capitulo Magister Michael de Bononia fuit unanimiter in priorem generalem electus, amoto prius a prædicto officio generalatus per Dominum nostrum Urbanum papam sextum Bernardo Olerii. In quo capitulo non fuerunt nisi septem diffinitores per electionem provinciarum. Alii vero fuerunt assumpti vigore bullæ Domini nostri papæ Urbani sexti supradicti (1), ubi nihil innovatum fuit de constitutionibus vel abrasum (2).

Anno Domini 1386 in die Pentecostes fuit celebratum generale capitulum Brixiæ per reverendum Magistrum Johannem de Raude Mediolanensem tunc vicarium generalem per Dominum nostrum papam Urbanum sextum ordinatum per depositionem reverendi Magistri Michaelis de Bononia olim generalis. In quo quidem capitulo ipse reverendus magister Johannes fuit ab omnibus nemine discrepante electus in priorem generalem totius ordinis. Rexit reverendus Magister

(1) Bulla *Cum sicut nuper accepimus*, data 21 Oct. 1380 (Bullar. Carmel. t. I, P. 146.) Inscribitur : *Ut supplere possit voces eorum qui nollent aut nequirent ad generale capitulum accedere.*

(2) Notat hic P. Joh. Nepomucenus omissionem capituli anno 1385 Bambergæ celebrati videri librario potius quam auctori tribuendam.

Michael in officio quinque annis cum dimidio et inde fuit depositus. In quo quidem capitulo fuit ordinatum ut singulis diebus quibus fit memoria de Virgine gloriosa, in vesperis et matutinis post memoriam angelorum fiat memoria de beata Anna matre Dei genitricis Mariæ, et dicatur antiphona ad matutinum *Anna matrona*, ad vesperas antiphona *Anna parens*, vel dicatur antiphona unius matronæ. Versus *Ora pro nobis beata mater Anna*, ℟. *Ut digni* etc. Oratio *Deus qui beatam* etc. Item in eodem capitulo fuit ordinatum pro canonisatione beati Alberti de Sicilia.

Item Anno Domini 1393 fuit celebratum capitulum generale in conventu Frankfordiæ provinciæ Alemaniæ inferioris in festo Pentecostes.

Alium catalogum compilavit

MAGISTER FRATER JOHANNES TRISSA (1)

Qui Nemausi in provincia Narbonæ oriundus, intravit ordinem 25 martii 1338, incepit Bibliam Parisiis 11 Octobris 1357, a capitulo Burdigalensi (A. D. 1358) ad legendum Sententias Parisiis pro quarto anno deputatur, quas revera anno 1361 publice ibidem legit. In capitulo Trevirensi (A. D. 1362) procurator ordinis in curia romana constitutum « statim postea ne episcopus fieret nimium immatura et inexpectata mors impedivit. » Obiit Nemausi 5 die Julii 1363. Præter lecturam super Sententias in quatuor libris et aliam in uno libro super Bibliam reliquit :

---

(1) De ipso omnino tacet Johannes-Baptista de Lezana. Quæ hic habentur excerpsi partim e libro ordinis Romæ in archivio generali Carmelitarum antiquæ observantiæ, partim e MSS. Johannis Balei, Harley 3838 Fol. 183a. et Harley 1819 fol 53a.

Cf. etiam Breve apostolicum dat. Avenione 7 Dec. 1362, quo Urbanus V. cancellario parisiensi notificat Johannem Trissam ad magisterium promovendum esse. Archiv f. Literatur-& Kirchengeschichte... Freiburg 1889. t. V. P. 385.

1. Catalogum doctorum, seu potius Tractatum de primis magistris Parisiensibus in facultate theologica ordinis Carmeli ab anno Domini 1295 usque ad annum Domini 1360, quem postea frater Johannes Barret anglus (qui 1538 ordini valedixit) ad sua usque tempora perduxit.

2. De magistris generalibus ordinis.

3. Acta capitulorum.

Tractatus istos jampridem edidit cl. Henricus Denifle O. P. in periodico germanico *Archiv fuer Literatur- & Kirchengeschichte des Mittelalters*, t. V. P. 365 386 (Freiburg, 1889). Invenit ipsos in codice bibliothecæ Universitatis Parisiensis (Sorboniæ) Ms. t. II, 70, de quo cf. l. c. P. 368. Textus non omnino concordat cum illo quem ego ex collectariis Johannis Balei editurus sum, attamen variarum lectionum præstantiores tantum sub siglo S. in calce adnotabo.

Accipe nunc, benigne lector, tractatum de capitulis generalibus.

(MS Harley 1819 Fol. 59a) SEQUUNTUR CAPITULA GENERALIA ORDINIS AB ANNO DOMINI 1259 USQUE AD ANNUM DOMINI 1362 PER MAGISTRUM FRATREM JOHANNEM TRISSA.

Et primo anno Domini 1259 fuit capitulum generale celebratum in provincia Siciliæ in conventu Messano in festo Pentecostes, in quo capitulo fuerunt quamplures fratres Terræ sanctæ specialiter conventus Acon et conventus Montis Carmeli. In hoc capitulo fuerunt plures constitutiones editæ, specialiter ad augmentandum officium divinum.

Anno Domini 1271 fuit celebratum capitulum generale Parisius in Nativitate beatæ Mariæ Virginis. Ubi fuit electus prior generalis frater Radulphus de provincia Alemaniæ inferioris, vir miræ abstinentiæ et virtuositatis. In hoc capitulo fuerunt plura ordinata pro locis recipiendis et pro novitiis induendis.

Anno Domini 1275 fuit celebratum capitulum generale in Burdegala in provincia Aquitaniæ, et ibi fuit electus prior

generalis frater Petrus de Amiliano provinciæ Narbonæ lector in sacra Pagina, vir magnæ prudentiæ et religiositatis. In hoc capitulo fuerunt plura ordinata quoad calciamenta et indumenta fratrum.

Anno Domini 1278 fuit capitulum generale celebratum in Monte Pessulano in festo Pentecostes priore generali fratre Petro de Amiliano. In hoc capitulo fuerunt plura ordinata quoad provisionem infirmorum et fratrum dormitionem etc (sic).

Anno Domini 1281 (1) fuit capitulum generale celebratum Londoniis in provincia Angliæ in festo Pentecostes, fratre Petro de Amiliano priore generali. In hoc capitulo fuerunt plura ordinata quoad studia generalia ordinis etc (sic).

Anno Domini 1284 fuit capitulum generale celebratum in provincia Lumbardiæ in conventu Papiæ in festo Pentecostes, fratre Petro de Amiliano priore generali. In hoc capitulo fuerunt plura edita, specialiter fuerunt ordinati certi procuratores qui adirent romanam sedem apostolicam pro privilegiis impetrandis et pro mantellis barratis mutandis.

Anno Domini 1287 fuit capitulum generale celebratum in provincia Narbonæ in conventu Montis Pessulani in festo beatæ Mariæ Magdalenæ fratre Petro de Amiliano priore generali. In hoc capitulo (Fol. 59b) auctoritate sedis apostolicæ dimisimus mantellos barratos et accepimus cappas albas et multa fuerunt ordinata.

Anno Domini 1291 fuit capitulum generale celebratum Treveris provinciæ Alemaniæ inferioris fratre Petro de Ameliano priore generali in festo Pentecostes. In hoc capitulo fuerunt aliquæ provinciæ divisæ atque fuerunt ordinatæ

(1) S. habet 1280.

constitutiones quod fratres laici non possent eligere nec eligi et multa alia fuerunt instituta.

Anno Domini 1294 fuit capitulum generale celebratum in provincia Aquitaniæ in conventu Burdegalæ et ibi factus seu electus est prior generalis frater Raymundus de Insula, lector in sacra Pagina, vir miræ honestatis et virtutis, fratre Petro de Amiliano jam de medio sublato in conventu Tholosæ. In hoc capitulo plura ordinantur de confessionibus et prædicationibus fratrum.

Anno Domini 1297 fuit capitulum generale celebratum in provincia Franciæ in conventu Brugensi, et ibi electus est prior generalis frater Gerardus de Bononia, doctor in sacra Pagina, vir miræ excellentiæ ac summæ prudentiæ. In hoc capitulo plura ordinantur pro studio parisiensi, scilicet pro biblicis et bachalariis ac magistris quoad taxationes et expensas eorum.

Anno Domini 1300 fuit capitulum generale celebratum in provincia Tusciæ in conventu Florentiæ in festo Pentecostes fratre Gerardo priore generali. In hoc capitulo fuerunt plura ordinata de sigillis et sigillationibus, de procuratoribus ac de eleemosinis recipiendis.

Anno Domini 1303 fuit capitulum generale celebratum Narbonæ in festo Pentecostes magistro Gerardo priore generali. In hoc capitulo fuerunt plura ordinata contra apostatas et scandalisantes ordinem.

Anno Domini 1306 fuit capitulum generale celebratum Tholosæ in festo Pentecostes magistro generali Gerardo priore generali, in quo capitulo fuerunt plura ordinata, specialiter de observatione silentii.

Anno Domini 1309 fuit capitulum generale celebratum Januæ in festo Pentecostes magistro Gerardo priore generali. In hoc capitulo fuerunt plura ordinata, specialiter de officio

provincialium quomodo semel in anno habent visitare provincias et corrigere scandala.

Anno Domini 1312 fuit capitulum generale celebratum Londoniis in provincia Angliæ in octava Pentecostes magistro Gerardo priore generali, in quo capitulo multa fuerunt ordinata, specialiter quoad studium Oxoniense etc (sic).

Anno Domini 1315 fuit capitulum generale celebratum Coloniæ in pro-(Fol. 60a) vincia Alemaniæ inferioris in festo Pentecostes magistro Gerardo priore (generali). In quo capitulo multa fuerunt ordinata, specialiter quod fratres deberent dicere certas missas pro fratribus defunctis et pro habentibus litteras confraternitatis nostræ sacræ religionis.

Anno Domini 1318 capitulum generale celebratum fuit in Pentecoste in provincia Aquitaniæ Burdegalæ, et ibi electus est prior generalis frater Guido de Perpiniano doctor eximius (1), Gerardo in Avinione defuncto. In quo capitulo plura fuerunt ordinata, specialiter quod nullus frater teneret officium generalatus quantumcumque virtuose regeret nisi sex annis successive. Item quod nullus teneret officium provincialatus nisi de capitulo generali ad capitulum, ita tamen quod post duo capitula generalia iterum potest tenere officium provincialatus.

Anno Domini 1321 fuit capitulum generale celebratum in provincia Narbonæ in conventu Montis Pessulani in festo Pentecostes, et ibi electus est prior generalis frater Johannes de Alerio provinciæ Tholosæ bachalarius (2) parisiensis, nam frater Guido factus fuit episcopus Majoricensis per sedem apostolicam, inde factus est episcopus Elnensis. In isto capitulo multa ordinantur et divisa fuit provincia Provinciæ a provincia Narbonæ.

(1) S. addit : in sacra pagina.
(2) S. addit : in sacra pagina.

Anno Domini 1324 fuit capitulum generale celebratum in provincia Cathaloniæ in conventu Barchinonæ in festo Pentecostes magistro Johanne de Alerio priore generali. In quo capitulo fuerunt plura ordinata, specialiter de communi custodia et compotis reddendis.

Anno Domini 1327 fuit capitulum generale celebratum in provincia Aquitaniæ in conventu Albiæ in festo Pentecostes magistro Johanne de Alerio priore generali. In quo capitulo plura fuerunt ordinata, specialiter quod nullus prior audeat vanum opus vel maxime sumptuosum incipere sine licentia generalis vel provincialis.

Anno Domini 1330 fuit capitulum generale celebratum in festo Pentecostes in provincia Franciæ in Valencenis, et ibi electus fuit prior generalis Magister frater Petrus de Casa, doctor (1) parisiensis, Johanne de Alerio sponte resignante. In quo capitulo fuerunt plura ordinata, specialiter quod correctiones fierent in ordine secundum justitiam et bonam conscientiam semoto omni processu juris litigioso.

Anno Domini 1333 fuit capitulum generale in provincia Narbonæ in conventu Nemausi in Pentecoste Petro de Casa generali, et fuit valde solemne quia fuerunt ibi multi viri solemnes, videlicet plures episcopi ordinis nostri et quamplures magistri in theologia, necnon copiosa multitudo fratrum, fueruntque solemniter suscepti per Dominum episcopum Nemausensem et consules dictæ civitatis, fuerunt per eosdem abunde refocillati, duravitque capitulum decem diebus mediantibus nobilibus et (Fol. 60b) burgensibus qui necessaria sponte ministrabant. In hoc capitulo fuerunt plura ordinata, specialiter quod liceat cuilibet fratri nostri ordinis facere annum jubilei si steterit in ordine continue per L annos sine crimine et scandalo.

(1) S. addit: in sacra pagina.

Anno Domini 1336 fuit capitulum generale celebratum in festo Pentecostes in provincia Alemaniæ inferioris Bruxellæ, Magistro fratre Petro de Casa priore generali, in quo capitulo fuerunt plura ordinata, specialiter quoad studium parisiense.

Anno Domini 1339 fuit capitulum generale celebratum in festo Pentecostes in provincia Aquitaniæ in conventu Lemovicarum Magistro Petro de Casa priore generali, in quo capitulo fuerunt plura ordinata, specialiter circa officia provincialium.

Anno Domini 1342 fuit capitulum generale celebratum Lugduni in provincia Narbonæ et ibi fuit electus prior generalis frater Petrus Raymundus de Insula bachalarius (1) parisiensis quia Petrus de Casa fuit ordinatus episcopus Vasionensis per sedem apostolicam prope Avinionem, qui postea fuit patriarcha Hierosolimitanus. In hoc capitulo plura ordinantur, specialiter factæ sunt duæ provinciæ novæ, scilicet Tholosæ et Majoricarum. Item quod fierent octavæ solemnes de Corpore XPI , de omnibus Sanctis et de sancto Michaele archangelo.

Anno Domini 1345 fuit capitulum generale celebratum in provincia Lombardiæ in conventu Mediolani Magistro Petro Raymundi priore generali in festo Pentecostes. In quo fuerunt plura ordinata specialiter quoad provisionem infirmorum et studium parisiense.

Anno Domini 1348 fuit capitulum generale celebratum in provincia Franciæ Methis in festo Pentecostes Magistro Petro Raymundi priore generali, in quo capitulo fuerunt plura ordinata specialiter quod conventus Curiæ Romanæ sint sub potestate et regimine prioris generalis plenarie etc (sic).

Anno Domini 1351 fuit capitulum generale celebratum Tholosæ in festo Pentecostes Magistro Petro Raymundi ge-

(1) S. addit : in theologia.

nerali. In quo capitulo plura fuerunt ordinata, specialiter quod nullus posset legere Bibliam (vel) Sententias Parisius nisi prius fuerit in studio parisiensi per triennium, et multa alia etc (sic).

Anno Domini 1354 fuit capitulum generale celebratum in provincia Cathaloniæ in conventu Perpiniani in festo Pentecostes Magistro Petro Raymundi priore generali. In quo capitulo fuerunt plura ordinata, specialiter divisa est provincia Cathaloniæ a provincia Hispaniæ.

Anno Domini 1357 fuit capitulum generale celebratum in provincia (Fol. 61a) Bononiæ in conventu Ferrariæ Magistro Petro Raymundi priore generali. In quo capitulo plura fuerunt ordinata, specialiter quod nullus superior cujuscumque gradus existat audeat encænia seu dona recipere a subditis suis etc (sic).

Anno Domini 1358 fuit capitulum generale celebratum Burdegalæ in provincia Aquitaniæ ubi fuit electus prior generalis frater Johannes Balistarii, bachalarius (1) parisiensis, qui eodem anno factus est magister in theologia Parisius, et inter omnes doctores parisienses suo tempore famosior. In hoc etiam capitulo plurima fuerunt ordinata, specialiter facta est divisio provinciæ Vasconiæ a provincia Aquitaniæ. Frater autem Petrus Raymundus jam migraverat a sæculo in Monte Pessulano anno præcedenti.

Anno Domini 1362 celebratum fuit capitulum generale sequens.

Terminantur actus Magistri fratris Johannis Trissæ.

(1) S. addit : in theologia.

Adnotationes ad Capitula Generalia

Superest ut breviter perstringam quæ de antiquioribus capitulis nobis tradita sunt. In primis sermo erit de capitulo vel capitulis in ipso monte Carmeli celebratis.

Johannes Palæonydorus in libro qui *Fasciculus trimerestus* (1) inscribitur sic habet:

I. « Statim post mortem Cyrilli convocatis universis omnium Terræ Sanctæ conventuum patribus factum est capitulum generale in ecclesia primaria Virginis Mariæ in monte Carmeli. Ibi vero omnibus ad vigiliam noctis et ad orationem hortatis apparuit superiori montis Carmeli Virgo gloriosa ingenti lumine dicens: Hic sermo Filii mei est ut non solum Palæstinam et Syriam sed etiam universum Carmeli Ordo orbem christianum illustraret. Hinc quidam natione Cyprii Carmeli ordinem in Famagusta instituerunt. Similiter in eremo Frontana ejusdem insulæ. Alii vero de Sicilia orti fundaverunt monasterium in suburbio Messanæ civitatis, in urbe Panormitana, Drepanensi ac Leocata, alias Leontio. II. In hoc capitulo erat ordinatum quatenus in omnibus observantiis uniformes inveniremur, tum in officio ecclesiastico, tum in vestimentis et hujusmodi. Cujus ordinationis est initium: *Quoniam ex præcepto sanctorum patrum jubemur habere cor unum et animam unam in Domino et quia*

(1) *Fasciculus trimerestus*, auctore Johanne Palæonydoro, primum in lucem editus Moguntiæ anno 1497, deinde Venetiis 1570. Extat saltem quoad principaliora apud Danielem a Virgine Maria in novo *Speculo Carmelitano*, sub titulo *Fasciculi tripartiti*, Antwerpiæ 1680, t. I. Pp. 220-273; quam ultimam editionem sequor cum in editione originali numerus paginarum non exprimatur. Locus citatus habetur P. 255, n. 1047.

justum est ut sub una regula viventes uniformes in necessariis nostræ vitæ observantiis inveniamur &c ».

Cetera desunt.

Prior hujus narrationis pars desumpta est ex *Chronica de multiplicatione religionis Carmelitarum*, auctore Gulielmo de Sanvico (1) qui vixit in monte Carmeli, saltem ab anno 1254 usque ad annum 1291, quippe post captam civitatem Acconensem cum pluribus aliis Europam versus fugit. Iste Gulielmus scribit ut sequitur :

« Quamobrem cœperunt pagani Terram Sanctam efficacius solito invadere, plerosque milites et aliquos nobiles multosque alios Christianos anno Domini 1237 prope Gazam interfecerunt et ceperunt. Propter quod aliqui infirmiores professores hujus religionis conturbati...... optabant Terram Sanctam deserere et ad regiones proprias unde venerant redire...... Super qua re an licita congregatum fuit capitulum in monasterio montis Carmeli et habitum concilium ibi...... Prior itaque monasterii montis Carmeli, attentis rationibus istis et considerata persecutione quam in Terra Sancta pagani inferebant huic religioni assidue, admonitus a Christo et a Beata Maria ejus genitrice in somnis, licentiam aliquibus fratribus concessit Terram Sanctam deserendi et ad proprias regiones redeundi illicque monasteria hujus religionis ædificandi. Anno ergo Domini 1238 aliqui ex dictis fratribus natione Cyprii ad insulam Cypri transfretaverunt. Alii vero natione Siculi ad insulam Siciliæ navigaverunt ; quidam autem natione Provinciales apud Massiliam civitatem Provinciæ ap-

(1) Cf. *Speculum Carmel.* I, 99, n. 416 & 417. Gulielmus natione Anglus erat ex Sanvico in littore meridionali Angliæ oriundus, non Syrus ut quidam volunt. Præter ea quæ supra habentur nihil de eo notum est nisi quod anno 1287 in capitulo Montispessulani definitor Terræ Sanctæ extiterit.

plicuerunt.... Deinde anno Domini 1240 christianissimi milites dominus Johannes Vescy et dominus Ricardus Grey natione anglici cum Ricardo comite Cornubiæ fratre Henrici regis Angliæ ad Terram Sanctam transfretaverunt; post multos vero actus bellicos in Palæstina contra infideles strenue peractos de Terra Sancta ad Angliam remeantes quosdam hujus religionis fratres anglicos de licentiâ prioris monasterii montis Carmeli secum ex devotione ad Angliam duxerunt ».

Quæ omnia parum sibi cohærere videntur; confusiones autem facilius demonstrantur quam resolvuntur. Enimvero, etsi plura in ipso sacro monte celebrata fuerint capitula, cum ex præcepto regulæ non tantum pro correptione culparum, sed procul dubio etiam pro transactione negotiorum et eventu occurrente, pro electione prioris, singulis dominicis diebus capitulum habendum esset, de unico eorum tantum aliqualis ad nos pervenit notitia. De anno vero quo celebratum fuerit non levis datur ambigendi locus. Assignant prædicti auctores tamquam terminum a quo computandus sit annus, mortem Cyrilli, tertii prioris, et Christianorum cladem apud Gazam. Sed animadvertendum nos prorsus latere quo anno Cyrillus in priorem assumptus fuerit, quot annis ordinem gubernaverit, quo anno ultimum clauserit diem. Si credas Palæonydorum obiit anno 1203; si Lezanam, anno 1224; si tandem Baleum anteponas, anno 1234. At hæc omniâ meris conjecturis nituntur. Nullus præterea superest catalogus priorum generalium a principio ordinis, sæculo quintodecimo antiquior, nec aliunde aliquid certum erui potest.

Clades vero Christianorum apud Gazam die 17 Octobris 1244 facta est quo tempore ab aliquibus jam annis Carmelitæ sat firmiter in Europa stabiliti erant. Autumarem Sanvicum loco Gazæ Ascalonem intendisse ubi etiam Christiani a Saracenis, nempe die 13 Novembris 1239 superati fuere. Quæ si vera esset sententia non improbabile videretur capi-

tulum de quo agitur et Carmelitarum transmigrationem post hanc cladem locum habuisse, nisi aliunde forsan obstaret jam anno 1235 conventum ab eis Valencenis erectum fuisse (1).

Quod autem Palæonydorus addit de ordinatione in capitulo facta, novam et hanc non modicam gignit difficultatem. Asserente Baleo (2) acta illius capituli, — quod statim post mortem Cyrilli congregatum dicit Palæonydorus, anno vero 1237 vel 1238 Gulielmus de Sanvico, — Mechliniæ asservabantur in quodam, modo deperdito codice, quem nullus umquam e nostris inspexit. Unicus hujus rei testis et quidem haud sufficiens est Palæonydorus, cui Bostius jam scripserat « Vellem me vidisse statuta in monte Carmeli facta ante dispersionem et antequam habuimus scapulare novum », quo sat evidenter constat nec ipsum Bostium umquam hac de re quidquam audivisse (3).

Hoc de actorum seu ordinationis authentia sit dictum. Superest ut eam intimius inspiciamus. « In hoc capitulo erat ordinatum quatenus in omnibus observantiis uniformes inveniremur, tum in officio ecclesiastico, tum in vestimentis et hujusmodi. Cujus ordinationis est initium : Quoniam ex præcepto sanctorum patrum jubemur habere cor unum et animam unam in Domino, et quia justum est ut sub una regula viventes uniformes in necessariis nostræ vitæ observantiis inveniamur ». Manifesta est in ea ordinatione allusio ad regulam S. Augustini quæ sic habet : « Primum, propter

(1) Gregorius a S. Martino, *Apologia*, Duaci, 1685. P. 308. Papebrochius, *Responsiones* (Antwerpiæ, 1696-97). Art. XVI. P. 318. De illa clade inter Ascalonem et Gazam a Christianis accepta cf. Mathæum Parisiensem (edit. Luard, Londini 1877) IV, 25 et 140.

(2) MS. Bodley 73, fol. 206 b. « Sunt Mechliniæ ».

(3) MS. Selden 41 supra (in bibliotheca Bodleiana Oxoniæ) in fine, fol. 111 b.

quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis anima una et cor unum in Deo, et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et distribuatur unicuique vestrum a præposito vestro victus et tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique sicut opus fuerit (1) ».

Ordinatio vero ipsa fere de verbo ad verbum concordat cum prologo antiquissimarum quæ supersunt constitutionum Fratrum Prædicatorum anno 1228 exaratarum, ubi sic dicitur: « Incipit prologus. Quoniam ex præcepto regulæ jubemur habere cor unum et animam unam in Domino : justum est ut qui sub una regula et unius professionis voto vivimus, uniformes in observantia canonicæ religionis inveniamur (2) ».

Aliunde Baleus in vita S. Brocardi (3) notat inter ipsius scripta:

« Statuta quædam in Carmelo. lib. I. Incipit : Quoniam ex præceptis sanctorum patrum », i. e. hoc ipsum statutum quod Palæonydorus dicit post mortem Cyrilli, ergo sub Bertholdo juniori latum. Fateor ergo me ancipitem hærere quidnam auctoritatis codici Mechliniensi (alias incognito), quid valoris testimonio Palæonydori, vel assertioni Balei attribuam, quomodo Statutum prædictum cum regula S. Augustini et cum constitutionibus Prædicatorum cohæreat, et quam partem in eo conficiendo Brocardus vel Bertholdus junior habuerint. Totam ergo hanc quæstionem in sua obscuritate relinquam.

(1) Migne, P. L. t. XXXII, col. 1378.

(2) Archiv fuer Litteratur- & Kirchengeschichte, edd. H. Denifle O. P. et F. Ehrle S. J. I. 194.

(3) MS. Harley 3838 fol 157 b.

Ex quo tempore Carmelitæ post suum in Europam adventum satis firmiter stabiliti erant universale ecclesiæ præceptum secuti (1) tertio quoque anno generale capitulum celebraverunt. Primum eorum ab omnibus scriptoribus dicitur Aylesfordiæ in comitatu Kantiæ in Anglia coadunatum, inque eo sive ob renuntiationem sive ob obitum fratris Alani prioris generalis S. Simonem Stock in generalem fuisse electum. Attamen non conveniunt de anno quo celebratum est. Nullius momenti est assertio Palæonydori qui capitulo huic annum 1215 assignat ; plerique auctores inter quos Johannes-Baptista de Lezana (2) capitulum ad annum 1245 referunt. Verum ego opinionem Johannis Hornebii (3) omnino tenendam duco, nempe anno 1247 celebratum fuisse. Præter alias levioris momenti rationes hæc me imprimis movet :

Prædicto anno 1245 celebratum fuit concilium œcumenicum Lugduni sub Innocentio IV. Cum Lateranense concilium institutionem novarum religionum vetuisset (4), Carmelitæ si eodem anno cœtum suum celebrassent nequaquam omisissent apud Lugdunum pro ordinis approbatione agere. Quamvis enim jam antea regulam a B. Alberto impetrassent et propterea nullo modo hac prohibitione tenerentur, cum

(1) C. In singulis, de stat. mo.

(2) Annales, IV, 304.

(3) Apud Baleum, MS. Harley 3838, fol. 16. Errat tamen dicendo capitulum decrevisse ut adiretur concilium Lugdunense pro approbatione regulæ. Johannes Hornebius Cantabrigiæ lauream magistralem assecutus per episcopum Eliensem anno 1337 licentiam Verbi Dei prædicandi et fidelium confessiones excipiendi obtinuit. Anno 1374 publice cum Johanne Stokes ord. Prædicatorum de antiquitate Carmelitarum disputavit. Fertur obiisse circa 1380 existens prior S. Botolphi cujus conventus forsan alumnus fuerat.

(4) C. Ne nimia, de religiosis domibus.

tamen nullam in Europa ante annum 1235 residentiam haberent prælatis quasi incogniti erant. Ideoque a persecutione Saracenorum fugientes Occidentem versus a plerisque episcopis recepti non fuere ac si contra præceptum ecclesiasticum instituti fuissent. Re quidem vera Honorius III et Innocentius IV (30 Januarii 1226 et 8 Junii 1245) regulam approbaverant, at in litteris pontificiis sicut et in regula tantum de conventu in monte Carmeli extructo, non vero de ordine Carmelitano agebatur; exinde approbatio non de Ordine sed de solo conventu illo videbatur intelligenda. Insuper et hoc ipso anno (13 Junii 1245) Innocentius « locum (hoc est eremum in monte Carmeli) in quo divino estis obsequio mancipati », sub B. Petri suaque protectione suscepit. Urgebat ergo impetratio approbationis totius ordinis ab eadem auctoritate quæ olim institutionem novorum ordinum vetuerat. Hac ratione ductus mandavit S. Simon Stock (sane auctoritate capituli generalis) fratres Reginaldum et Petrum de Folsham ad summum pontificem ut confirmationem ordinis et, ne regula plus æquo pro partibus occidentalibus strictior religiosam vitam intolerabilem redderet, ejus mitigationem impetrarent. Die 26 Julii 1247 Innocentius concessit litteras commendationis, et die 1 Septembris ejusdem anni correctio regulæ per commissarios a summo pontifice constitutos perfecta est (1). Ex eo ergo quod primum concilium Lugdunense anno 1245 coadunatum nullam ordinis approbationem concesserit videtur nullam fuisse petitam, et quidem non petitam quia ante illud concilium nullum generale Carmelitarum capitulum celebratum fuerat; unde infero capitulum ad cujus petitionem approbatio concessa est anno 1247 locum habuisse. Canonicam tandem approbationem ordinis secundum concilium

(1) Bullarium, I. 8 sqq.

Lugdunense anno 1274 largitum est (1).

Quid vero præter electionem S. Simonis Stock in generalem et petitionem summo pontifici pro approbatione et mitigatione regulæ porrigendam in isto capitulo anno 1247 celebrato actum sit memoriæ traditum non est. Si quæras quinam fuerint in capitulo præsentes respondeo præter Simonis ac Radulphi Freshburn, qui eo tempore provincialem Angliæ agebat nulla nomina ad nos usque pervenisse. Dubitatur etiam de numero provinciarum ; constat saltem tres fuisse, scil. Terræ Sanctæ seu Cypri, Siciliæ et Angliæ; de conventibus vero Valencenensi atque Aquælatarum utrum jam in provincias Franciæ et Provinciæ erecti fuerint, minus certum est.

Aliud capitulum, ut ex dictis liquet, circa annum 1250 celebrari debuit, at ubinam gentium plane incompertum est. In illo regula ab Innocentio IV correcta et mitigata publicanda erat prout eruitur ex Siberto de Beka *De consideratis super Carmelitarum regula,* in fine, ubi dicitur « quam regulam ipsi commissarii (2) ut præmittitur declaratam, correctam et mitigatam ac sigillis eorum sigillatam, miserunt priori generali et capitulo generali nostræ religionis ut fratres eam firmiter observarent et ad instar ejusdem alias regulas eorum corrigerent (3) ». Dubitari potest agaturne his ultimis verbis tantum de aliis exemplaribus regulæ an vero de aliquibus constitutionibus ipsi regulæ superadditis ? Constat tales con-

(1) C. Religionum, de relig. dom. in VI to.

(2) Cardinalis Hugo a S. Caro et Gulielmus episcopus Anteradensis, uterque ordinis fratrum Prædicatorum.

(3) Speculum Carmel. antiquum, Venetiis 1507, fol. 33b ; novum, Antwerpiæ 1680, I. 87, n. 369.

stitutiones saltem anno 1256 extitisse cum Alexander IV litteris pontificiis (1) de eis expresse sermonem habeat.

In hoc eodem capitulo frater Nicolaus Gallicus videtur in priorem provincialem Terræ Sanctæ constitutus. Notat enim Segerus Pauli (2) ipsum in opusculo, quod *Ignea Sagitta* audit, scripsisse « se per viginti annos ordinem rexisse » ; demptis quinque annis quibus officium generalatus exercebat (1265-1270) remanent quindecim pro provincialatu. Segerus Pauli opinat ipsum vicarium generalem S. Simonis Stock per partes orientales fuisse, sed cum de vicariatu generali ne quidem vestigium inveniatur malo ipsum provincialem Terræ Sanctæ credere.

Nihil omnino scimus de capitulis annis 1253 et 1256 celebratis, præter hæc pauca a Johanne Baleo notata : « Anno 1254 capitulum generale Londini celebratum est in quo fundatio conventuum in Hispania decreta fuit ». (3) Cum in eodem capitulo Radulphus Freshburn provincialis Angliæ « quarto decimo suæ villicationis anno cingulum deposuerit » et frater Henricus de Hanna in ejus locum substitutus fuerit, capitulum hoc potius anno 1256 adscribendum videtur. Primæ enim fundationes in Anglia locum habuerunt anno 1242 nec ante hoc tempus dari poterat provincialatus.

De capitulo anno 1259 Messanæ in Pentecoste, 1 Junii, celebrato vide Trissæ catalogum.

Auctores iterum silent de capitulo quod anno 1262 celebrandum erat.

(1) Bullarium, I. 17. — « Secundum constitutiones ejusdem ordinis prior ipsius qui pro tempore fuerit a prioratus officio absolvi et amoveri potest a diffinitoribus capituli generalis ».

(2) Chronologia vitæ S. Simonis Stock, in *Vinea Carmeli* auctore P. Daniele à Virgine Maria, Antwerpiæ 1662, P. 410.

(3) MS Harley 3838 (*Anglorum Heliades*) Cap. XXI.

Sequens capitulum habitum est Tolosæ in festo Pentecostes, die 24 Maji 1265. S. Simon Stock dum Tolosam pergeret Burdigalis morbo correptus die 16 Maji vita functus erat; primum ergo et principale negotium capituli fuit nominatio sui successoris; electus est Nicolaus Gallicus. Nota quod hic et in sequentibus Sibertus et Trissa dissentiunt circa annos, sed Trissa videtur mihi sequendus.

Circa capitulum anno 1268 Messanæ habitum in Pentecoste (27 Maji) vide Sibertum qui tamen illud in annum 1267 reponit.

Deinde anno 1271 (secundum Sibertum anno præcedenti) Parisiis in festo Nativitatis B. Mariæ Virginis (8 Septembris) solemnisatum est capitulum de quo Palæonydorus sequentia habet:

« Consequenter post resignationem Nicolai capitulum generale fuit Parisiis celebratum, electusque unanimiter per Spiritus Sancti invocationem Rudolphus Alemanus vir religiosissimus qui causas ordinis cum suis subditis commissis digne studuit gubernare (1) ».

Sequens capitulum habitum est Burdegalis in festo Epiphaniæ anno 1275 secundum Trissam, sed anno præcedenti secundum Sibertum; ipse quidem scribit « anno 1273 » sed notandum quod apud illum annus a festo Annuntiationis initium sumit.

Similiter capitulum Montispessulani secundum Trissam in Pentecoste, 5 Junii anni 1278 celebratum est, cum Sibertus annum præcedentem, Lezana vero annum 1276 indicent. Sed hæc ultima opinio videtur ex eo oriri quod Lezana in suis Annalibus ex duobus annis, scil. 1276 et 1277 unum annum conficiat.

(1) l. c. P. 260, n. 1074.

Capitulum Londinense in festo Pentecostes, 1 Junii 1281, celebratum est. Sic Sibertus qui exinde recto tramite in chronologia pergit. Trissa vero tum in MS. Sorboniæ tum in illo cujus apographum Baleus præservavit videtur omisisse vocem « primo » post illa verba « anno M° CC octuagesimo ». In hoc capitulo constitutio hujus tenoris facta est :

« Frater professus habeat unam carpetam quæ est nostræ religionis signum, non de petiis consutam sed contextam, et habeat septem radios tantum ut simus uniformes. Quod moraliter significat circumamictos virtutum varietate per septiformem gratiam debere decorari, quod valeamus impetrare (1). »

Sequens capitulum celebratum est Papiæ in festo Pentecostes, 28 Maji, 1284. Circa locum notandum Palæonydorum tantum dicere « in provincia Lombardiæ » unde Lezana, Cherascus et alii autumant fuisse Mediolani, sed catalogi Siberti et Trissæ necnon duo indiculi capitulorum quos vidi expresse habent Papiæ. Cum jam in præcedenti capitulo Londini quæstio de palliis (carpeta) orta esset hic iterum juxta Trissæ notitiam de mutatione pallii barrati in album actum est.

Hæc mutatio tandem in capitulo Montis Pessulani in festo S. Mariæ Magdalenæ, 22 Julii 1287 auctoritate pontificia facta est. Convenerunt ibi Fratres Petrus de Amiliano prior generalis, Gulielmus de Sanvico, definitor Terræ Sanctæ, Gulielmus de Messana, provincialis et definitor Siciliæ, Henricus de Hanna, provincialis et definitor Angliæ, Bernardus Catalani, definitor provinciæ Provinciæ, Garcias de Senis, definitor provinciæ Romanæ, Robertus Fortini, definitor Franciæ, Benignus Mediolanensis, provincialis et definitor Lombardiæ, Henricus Juvenis, provincialis et definitor Alemanniæ, Arnal-

(1) MS. Selden 41 supra (sine paginatione).

dus Caillau, provincialis et definitor Aquitaniæ, et multi alii fratres quorum nomina non memorantur (1). Lectio data est litterarum apostolicarum Alexandri IV super electione prioris generalis et auctoritate capituli generalis, necnon binarum litterarum Gervasii Presb. Cardinalis S. Martini in Montibus quibus confirmabatur vivæ vocis oraculum Honorii IV de mutatione pallii. In provincia Angliæ hæc mutatio peracta est in capitulo provinciali Lincolniæ in festo Exaltationis S. Crucis ejusdem anni.

Juvat hic paululum in discutienda mutatione pallii immorari. Carmelitæ cum Europam adirent utebantur pallio fere quadrato sine caputio, septem partibus verticalibus (et non circumductis, ut patet ex capitulo Londinensi anni 1281) veluti radiis distincto, quarum tres erant nigri vel grisei et quatuor albi coloris. De peculiari hoc habitu loquitur auctor antiquus :

De Carmelo veniunt fratres virgulati,
Hi ut vulgo dicitur fratres sunt beati (2).

Hinc etiam dicebantur Fratres barrati, seu stragulati, et sat communiter Fratres de pica. Hujus habitus rationem enucleat capitulum Londinense de quo supra. Minus tamen conveniebant hæc pallia eo quod, « de petiis non consuta sed contexta » haud facile præparabantur ; et risum potius quam devotionem spectantium movebantur. Propterea habetur in rescripto Cardinalis Gervasii : « Exposita per nos coram Honorio IV ex parte vestra petitio continebat quod ex varietate coloris quam gestatis in vestris clamydibus seu mantellis non modicum vobis et Ordini vestro detrimentum et scandalum generatur, ex eo quod panni sic varii sine

(1) Bullarium I, 35 sqq.
(2) Pertz, Monumenta Germaniæ, Scriptores, XXV, 358.

difficultate a vobis inveniri non possunt, ipsaque varietas in religioso habitu plurimorum qui eam minus pie considerant, animos scandalizat (1) ».

Hanc mutationem complures chronistæ memoriæ tradiderunt (2), inter quos auctor Annalium de Oseney prope Oxoniam « eodem anno, ait, fratres de Monte Carmeli nescitur cujus auctoritate muniti vel qua ratione pulsati quin potius ut credi poterit voluntariæ vanitatis instinctu palliis quadrangulis diversicoloribus impudentius quam deceret abjectis, habitum suum primordialem quo a primæva Ordinis institutione desuper uti consueverant, mutaverunt et loco palliorum cappas clausas candidas induerunt (3). » Oppositio tamen principalis ex parte Præmonstratensium facta est (4) quos ut compesceret, Bonifatius VIII vivæ vocis oraculum Honorii IV per litteras apostolicas, sub die 25 Novembris 1295 (5), confirmavit.

Sæculo sequenti Johannes de Bacone sive Baconthorpe disserendo ex professo de habitu Ordinis asserit Carmelitas primitus pallio barrato usos fuisse, deinde auctoritate Sedis apostolicæ cappas albas sine barris suscepisse, quod, ut ait, ante ortum Eliæ erat prognosticatum. Pro quo citat Petrum Comestorem qui aliqua e Pseudo-Epiphanii libro *De vita prophetarum* exscripserat (6).

Similiter Johannes de Hildesheim per sex libri *Defensorii*

(1) Bullarium, I, 36.

(2) Pertz, Monumenta German. Scriptt. XXVIII, 602. Muratori, IX, 665. XI, 1191. III, Pars I, 612. Et alibi.

(3) Annales Monastici, edit. Luard. IV, 312.

(4) MS. Selden 41 supra (sine paginatione).

(5) Bullarium, I, 45.

(6) Specul. Carmel. I, 162. Epiphan. inter spuria, Migne, P. G. XLIII, coll. 396, 426. Petrus Comestor, Migne, P. L. CXCVIII, col. 1387.

capitula explicite de habitu Carmelitarum disserendo repetit et ampliat quæ apud Baconem invenerat (1).

Sed ecce circa finem sæculi decimi quarti in lucem prodiit opus *De peculiaribus gestis religiosorum Carmelitarum* auctore Philippo Riboti, continens inter alia opusculum Cyrillo attributum ubi sequentia leguntur : « Dum Humar rex Arabiæ (A. D. 581-644) cum ingenti multitudine Saracenorum Terram Sanctam cepisset et Christianos in ea degentes suo dominio subjugasset, Saraceni moleste ferebant quod nostræ religionis professores veste alba desuper induti incederent, cum soli eorum satrapæ hujusmodi coloris habitu desuper uterentur. Propter quod gestationem pallii albi dictis professoribus interdixerunt ; pro quo professores prædicti pallium barratum tunc unanimiter assumpserunt (2) ». Hanc sententiam secuti sunt posteriores auctores uti apud Grossum, Bradley, Bruinum, Palæonydorum, Bostium, auctorem libri *De Ortu et progressu ac laudibus Ordinis de Carmelo*, sub Trithemii nomine editi (3) et alios quamplures videre est.

Quæritur quid de Cyrilli assertione sentiendum sit. Ut meam mentem aperiam dico nullam ipsi fidem adhibendam esse. Nam præterquam quod si de Omare agatur omnino incredibilis sit, etiam si pro Omare Saladinum substituas qui anno 1187 totam fere Palæstinam necnon Carmelo circumjacentes urbes, Cæsaream, Joppen, Nazareth, Caipham etc. cepit, et forsan dici posset eum Carmelitas ob reverentiam S. Eliæ non aliter molestasse quam ut ipsis habitum album interdixerit, mihi plane incompertum est quomodo talis tra-

(1) Specul. Carmel. I, 150 sqq. nn. 666 sqq. Anno 1361 erat prior Casselensis.

(2) Specul. Carmel. I, 68, n. 273.

(3) Ibid. PP. 132 (n. 554), 181 (n. 802), 209 (n. 899), 246 (n. 1015), 284 (n. 1167), 298 (n. 1210).

ditio si revera extitisset per totum decimum tertium et decimum quartum sæculum extincta demum sæculo decimo quinto resuscitata fuerit. Etenim in petitione Summo Pontifici anno 1285 porrecta, et iterum anno 1295 repetita, ne verbulum quidem inseritur de motivo moris antiqui Ordinis quod tamen omnium validissimum fuisset ; eo minus admitti potest quod Sanvicus qui epistolam Cyrilli præ manibus habebat et capitulo Montispessulani interfuit, nec in illo capitulo neque in libro *De multiplicatione Ordinis* assertionem de primitivo habitu albo in medium tulisse perhibetur ; neque Johannes de Bacone neque Johannes de Hildesheim ex professo de habitu tractantes eam cognoverunt. Quamobrem Cyrilli narrationem inter apocrypha ablegandam censeo.

Notat Felix Fabri (anno 1480) Carmelitas dum pallio stragulato uterentur Soldano sat acceptos fuisse quod si servassent futurum fuisse ut sicut Fratres Minores in Terra Sancta remanere potuissent ; cum vero colorem album affectassent e Palæstina pulsos fuisse ad instar Prædicatorum (1).

In capitulo Trevirensi in festo Pentecostes, 10 Junii 1291 celebrato lata est constitutio qua fratres laici deinceps recipiendi nec locum nec vocem haberent in capitulis (2). Palæonydorus (3) contendit in eodem capitulo Petrum de Amiliano officio cessisse, quod tamen admitti nequit.

Capitulum Burdigalense celebratum fuit in festo Pentecostes, 6 Junii 1294, ubi in generalem electus est frater Ray-

(1) Palestine Pilgrims' Text Soc. t. VII, P. 210. Muratori. XIII, 312. Giovanni Villani, *Historie Fiorentine.* Cf. etiam Leo a S. Johanne, Typus seu pictura vestis religiosæ. Parisiis, 1625, P. 98.

(2) Supra P. 94. Rubr. XXX, n. 4.

(3) l. c. P. 262 n. 1080.

mundus de Insula, qui cum vitam anachoreticam super omnia diligeret in sequenti capitulo officio renuntiavit et paulo post diem clausit ultimum. Auctor indiculi (1) dicit ipsum infra annum ante capitulum Brugense mortuum esse.

In capitulo Brugis in festo Pentecostes, 2 Junii 1297 celebrato electus est ergo Gerardus de Bononia, primus inter priores generales qui lauream magistralem Parisiis obtinuerat. Notant Palæonydorus et Bostius in hoc capitulo enumeratas fuisse undecim provincias; errant tamen cum ut plurimum decem fuerint.

Capitulum sequens celebratum est Florentiæ in festo Pentecostes, 29 Maji 1300. Quamvis Palæonydorus illius memoretur Lezana illud omnino silentio præterit.

Narbonæ capitulum celebratum est in festo Pentecostes, 26 Maji 1303, in quo provincia Angliæ divisa est. Hucusque conventus per Angliam, Hiberniam et Scotiam diffusi, unam provinciam constituebant. Rem sic enarrat Baleus:

« In generali apud Narbonam synodo per præfatum Gerardum decretum est Angliam in duas ire provincias, atque duos deinceps his præfici præsides. Atque illud acturi in Angliam veniunt ejus gerentes vices Gulielmus Newenham et Gulielmus Paganerus, viri tum eloquentes tum notabiles, præsertim secundus, a communi modernorum visitatorum vitio (2) innocens et immunis. Nihil quærebat nisi esse tum virtutum tum animarum lucro. Hæc non modico displicuere

(1) Baleus in MS. Harley 1819 Fol. 85a duos habet indiculos capitulorum, primum ab anno 1287 usque ad annum 1359, alterum ab anno 1271 usque ad annum 1351. Nescio unde eos hauserit. Secundus tantum aliqua notatu digna continet quæ in sequentibus indicabo.

(2) Scil. avaritia. Cf. Alois Postina *Der Karmelit Eberhard Billick*. Freiburg i/B. 1901. P. 148 n. 7.

Ludlyngtono (1) et sibi adhærentibus quibusdam Angliæ doctoribus. Hinc orta sunt dissidia, hinc jurgia, hinc lites, quæstiones et discordiæ inter illum et Gerardum atque inter utrique opinioni faventes theologos, in non modicum totius ecclesiæ scandalum. Ludlyngtoni partem tunc fovebant Petrus Swanyngtonus, Galfridus Stalhamus, Thomas de Yllea, Petrus Starringtonus, Robertus Walsinghamius, Johannes Chelmestonus, Johannes Burleus, Gulielmus Vavaser et David Hibernus rarissimæ eruditionis theologi. Gerardo etiam in sortem venerunt patres his omnino non dissimiles. Adeo increbuerat hic rumor ut ad Romanum pontificem Benedictum XI pervenerit, qui vocatis patribus fratrem Gentilem tituli S. Martini in Montibus Presb. Cardinalem super exortis litibus censorem fecit et judicem. Hinc in Angliam destinati sunt commissarii Gobelinus Alemanniæ provincialis præses, et Conradus de S. Georgio viri doctissimi prout æquum erat. In capitulo igitur Londini anno Domini 1305 in festo Augustini celebrato editis pro dispositione provinciæ in posterum canonibus omni jurgio finis impositus est...... Ex præfato capitulo sua cuique pœnitentia obvenit. Propter ea quæ inter Christianos sunt exorta scandala Ludlyngtonus omnium primus Parisium mittitur ut illic jejuniis et sacrarum litterarum lectionibus invigilet. Uterque Petrus Swanyngtonius et Starryngtonus pro exponendis Sententiis sunt Burdegaliam destinati. Chelmestono et Ylleyo Brugis ordinarie disputare commissum est. Solus David in Treverim pro consimili negotio venit. Stalhamus vero, Burleus et Vavaserus ac Walsynghamius quia senio confecti in Anglia manere permissi sunt, sed suis etiam sortibus. Nec

(1) Gulielmus Ludlyngtonus, provincialis Angliæ ab anno 1299 usque 1303. Peracta pœnitentia ad provincialatum Terræ Sanctæ evectus est honoris tantum causa. Obiit Stanfordiæ in Anglia incerto anno.

horum expertes omnino relicti sunt Newenhamus et Paganerus... (In capitulo Genuæ anno 1309 celebrato) pacatis omnibus pro Anglorum concordia Gulielmus Ludlyngtonus Terræ Sanctæ, Gulielmus Paganerus Angliæ et Scotiæ, ac Gulielmus Newenhamus Hiberniæ designati sunt præsides » (1).

Capitulum sequens Tolosæ celebratum est in festo Pentecostes, die 22 Maji 1306, ubi teste Palæonydoro ordinatum fuit festa Conceptionis Mariæ et Venerabilis Sacramenti solemniter celebranda, atque de S. Ludovico IX lectiones faciendas (2). In festo Conceptionis quotannis Curia Romana Sacro et sermoni in ecclesia Carmelitarum interesse solebat, quæ consuetudo anno 1342 jam inveterata erat et saltem usque ad annum 1469 perduravit.

In sequenti capitulo Januæ in Pentecoste, 18 Maji 1309 celebrato, præter ea quæ supra in fine capituli Narbonensis et apud Trissam habentur, constitutum est ut qui deinceps ab ordine apostataverint nequirent in priorem generalem, provincialem vel etiam localem, neque in definitorem capituli generalis vel provincialis eligi nisi habita dispensatione (3).

Capitulum sequens celebratum est Londini anno 1312, juxta Trissam et indiculum die octava Pentecostes, sed juxta Sibertum et catalogum capitulorum provinciæ Angliæ in ipsa die Pentecostes (14 Maji). « Anno Domini 1312 in die Pentecostes celebratum fuit capitulum generale Londoniis ubi eodem anno fuit capitulum provinciale in festo Trinitatis, in quo præsidebat prior provincialis Franciæ [Simon de Corbeya] eo quod præfatus Gerardus prior noster generalis interfuerat concilio generali

(1) Harley 3838 fol. 27 a sqq. Cf. supra P. 104 n. 1.
(2) Specul. Carmel, I, 262 n. 1081.
(3) Supra P. 87. Rubr. XXVII n. 5.

Viennæ celebrato» (1). Notat Palæonydorus ibi constitutum fuisse ut in confessione generali adderetur : *Ideo precor beatam Virginem Mariam et omnes sanctos Dei et te patrem orare pro me ad Dominum Jesum Christum.* Hucusque tantum dicebatur : *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ Virgini, omnibus sanctis et tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere et omissione, mea culpa* (2).

Insuper ex eo quod capitulum Barcinonense (3) dicat « Ordinarium magistri Siberti jam per quatuor præcedentia capitula generalia approbatum et confirmatum » esse, liquet illud primum in hoc Londinensi capitulo fuisse approbatum, quamvis Palæonydorus (4) id tantum in capitulo sequenti factum asserat.

Capitulum sequens celebratum est Coloniæ in die Pentecostes, 11 Maji 1315, in quo Ordinale secunda vice approbatum est.

Deinde capitulum celebratum est Burdegalis in festo Pentecostes, 11 Junii 1318. Defuncto Gerardo de Bononia anno præcedenti ei suffectus est magister Guido de Perpiniano. Fecit ordinationes pro studio Parisiensi (5). In hoc capitulo divisa est provincia Alemanniæ in Inferiorem et Superiorem, et terminus generalatus ad sex annos, provincialatus vero ad tres annos prorogatus est : hæc tamen constitutio forte in sequenti capitulo abrasa est.

Anno 1321 in festo Pentecostes, 7 Junii, celebratum est ca-

(1) MS. Bodley 73 fol. 79 b. Cf. litteras Berengarii Cardinalis Ep. Tuscul. ad capitulum Londini celebrandum (Speculum Carmel. I, 119) quibus monet ne resignationem generalis admittant si forte contingat eum officio renuntiare velle.

(2) l. c. P. 262 n. 1082.

(3) Rubr. III. n. 7. Supra P. 25.

(4) l. c. P. 262. n. 1082.

(5) Rubric. XVI n. 14. Supra P. 56.

pitulum in Montepessulano ubi in locum Guidonis ad episcopatum Majoricensem assumpti electus est magister Johannes de Alerio, tunc absens Parisiis. In hoc capitulo cui præfuit Johannes de Clarano divisæ sunt provinciæ Siciliæ et Provinciæ per erectionem provinciarum Narbonæ et Appuliæ; instituta studia generalia Bononiæ, Coloniæ et Londini; teste Palæonydoro facta est additio ad Rubricam III constitutionum, ut fierent octavæ de Corpore Christi, festum IX lectionum de sanctis quorum corpora in conventibus nostris quiescunt, de sanctis quorum nomina in canone missæ habentur, ac de SS. Apollonia et Barbara (1).

In sequenti capitulo Barcinonæ celebrato ordinatum fuit quod Salve Regina diceretur in fine omnium horarum, et quod Gloria in excelsis in omnibus missis beatæ Virginis diceretur. Item quod in principio capituli generalis cantaretur missa de Spiritu Sancto et fieret sermo. Item quod fratres clerici annue dicerent viginti psalteria, laici vero tria milia Pater noster pro fratribus et benefactoribus ordinis defunctis. Etiam quod semel in hebdomada per Adventum fierent IX lectiones de Beata Virgine, dum Laudes non impedirent (2).

Indiculus adhuc sequentes notitias exhibet:

Tunc (i. e. in capitulo Barcinonensi) capitulum sequens fuit assignatum Avenione in provincia Provinciæ, sed Johannes (de Alerio) mutavit ad Albiam in provincia Aquitaniæ. Item 1327 in Pentecoste in Albia, et sequens capitulum Brugis fuit assignatum, sed mutavit Johannes ad Valencenas.

(1) Supra P. 26. Palæonydorus, l. c. P. 263 n. 1086. Nisi forte erraverit attribuendo istud decretum capitulo anno 1321 celebrato sicuti etiam erravit dicendo in capitulo Burdegalensi (1318) additas fuisse provincias Narbonæ, Appuliæ et Scotiæ, quarum revera priores tantum in capitulo Montispessulani 1321 erectæ sunt, Scotia vero ibidem in vicariam instituta est. Cf. Lezana, Annales IV, 516.

(2) l. c. P. 263.

DE PRIORIBUS GENERALIBUS

Tres sunt quos in hoc opere evulgandos censeo, Priorum Generalium catalogi ; quorum primum, a Johanne Trissa circa annum 1362 conscriptum, e codice Sorbonico aliquibus abhinc annis edidit cl. Henricus Denifle (1) simul cum indice capitulorum generalium. Ego vero etiam hic apographum alterius codicis, melioris sane notæ per Baleum exaratum, sequendum duco. Inspicienti patet Trissam non ab ipsa ordinis origine primoque priore S. Bertholdo initium sumpsisse sed a Radulpho Alemanno qui octavum in serie Generalium tenet locum. Nullus alius unquam e scriptoribus vel historiographis ordinis nostri decimoquinto sæculo antiquior locupletiorem tradidit catalogum. Quare, cum circa annum 1530 in eo esset Johannes Barret (2) ut Trissæ elucubrationem politiori redderet sermone, ne trunca maneret Baleum adivit qui e scriptoribus sæculi tunc proxime elapsi (i. e. xv[i]) fusiori calamo notitias super septem primos Generales addidit. Cujus opusculi titulus est : *Cathalogus priorum generalium ordinis Carmelitarum collectus per Johannem*

(1) *Archiv*, l. c. P. 378.

(2) E Lynnea in comitatu Nordvolgiæ oriundus Cantabrigiæ lauream doctoralem A. D. 1533 obtinuit. Post dissolutionem monasteriorum parochum apud Hetherset (1541), deinde lectorem theologiæ in capitulo Norvicensi (1542) et iterum parochum apud Cantley (1550) et apud S. Michaelem Norvici egit. Postea canonicus Norvicensis creatus obiit 12 Julii 1563. Satis firmiter fidem servavit. Cf. Gillow, *Bibliographical Dictionary of English Catholics*, t. I, P. 142. Athenæ Cantabrig. Villiers, *Biblioth. Carmel.* I. 790.

Baleum Sudovolgum (1). Ab ejus tamen editione supersedeo, tum quia eadem ipsa quæ ibi habentur iterum redeunt (paucioribus tamen verbis) in tertio quem editurus sum catalogo, opera ipsius Balei, tum etiam quia historiographis quibus usus est parum auctoritatis attribuendum est.

Ecce tibi, lector, primum catalogum.

(MS. Harley 1819, fol.57a) **Sequuntur Priores Generales Ordinis ab anno 1271 usque 1361.**

Primus fuit Frater Radulphus de provincia Alemaniæ inferioris lector in sacra pagina, doctrina et morum honestate conspicuus, multum virtuose quatuor annis rexit Ordinem, unde in eo erat omnis rectitudo justitiæ, omnis cautela prudentiæ, omnis forma doctrinæ, eratque pacis singularis amator, divini officii specialis zelator, sicque multis virtutibus clarus cœlica regna petivit anno Domini 1274, in Anglia Alnevici sepultus.

Secundus fuit Frater Petrus de Amiliano provinciæ Narbonæ lector in sacra pagina, virtutibus clarus, prudentia et doctrina refulgens, decem et novem annis salubriter multum Ordinem rexit. Hic pedester non equester provincias visitavit, conventus suos expensis non gravabat, paucis contentus, totus religiosus, in nullo curiosus fuit. Visitando prius ecclesiam petiit quam aulam, ubique amplificabat divinum officium, primus intravit chorum, ultimus exivit. Unde tota ejus conversatio erat schola contemplationis, morum ædificatio et structura salutis, sua quoque visitatio erat omnium fratrum animis consolatio et solidatio. Hic cum humilitatis baculo sæpius adiit Romam ad Sedem apostolicam pro variis negotiis et privilegiis impetrandis, ubi magnis instantiis

(1) MS. Selden 41 supra. In fine.

et laboribus a diversis summis pontificibus plurima privilegia pro ordine impetravit, præsertim pro mutatione chlamydum virgulatarum in cappas albas; sicque meritis et virtutibus ornatus in conventu Tholosæ (1) quievit in pace, anno Domini 1294 post molestias et labores.

Tertius fuit Frater Raymundus de Insula prope Tholosam, lector in sacra pagina, provinciæ Aquitaniæ, abstinentiis et doctrinis deditus Ordinem rexit tribus annis sinceriter (Fol. 57b) multum, sed quia vitam anachoreticam apprime diligebat officio generalatus sponte cessit in capitulo Brugis celebrato. Postmodum vero vitæ sanctimonia plenus in senectute veneranda finem bonum adeptus est.

Quartus fuit Magister frater Gerardus de Bononia ejusdem Bononiensis provinciæ, doctor Parisiensis valde solemnis, scientiis et virtutibus varie ornatus, Ordinem rexit celebriter multum annis 21. Hic enim fratres promovebat ad studium multum ardenter, expensas vagas et vanas simpliciter vitabat, paucis ipse contentus, fuit enim parcissimus in mensa, dono tamen largissimus, post preces et vota et ante comestionem et lectionem, in disputatione, in causarum Ordinis decisione jugiter se exercebat. Quamplures honores Ordini fecit, et plura privilegia a Sede apostolica Ordini impetravit, et postquam virtuose satis Ordinem rexisset in conventu Avinionensi incorruptum Deo reddidit spiritum, anno Domini 1317.

Quintus fuit Magister frater Guido de Perpiniano provin-

(1) Barret ponit perperam : « in Carmelo Coloniensi ». Tempore Petri de Amiliano Concilium Lugdunense secundum approbavit Ordinem Carmelitarum. Circa opinionem quam juxta Ricordanum Malespini (Historia Florentina apud Muratori, VIII, 879, 1042) S. Thomas de Aquinate nutrivisse refertur cf. *Histoire de l'Ordre*, p. 76, n. iii.

ciæ Narbonæ doctor eximius Parisiensis mirabili scientia, sapientia atque doctrina fulcitus Ordinem rexit duobus annis cum dimidio tantum, in episcopatum Majoricensem per Sedem apostolicam promotus suis exigentibus meritis. Postea vero factus est episcopus Elnensis vel Eunensis prope Narbonam ad XII leucas, ubi quamplures libros ad fidei catholicæ ædificationem et defensionem conscripsit, et sic virtuose operando in Avinione cum honore pontificali in senectute bona migravit a sæculo, anno Domini 1342 in conventu sepultus.

Sextus fuit Magister frater Johannes de Alerio provinciæ Tholosæ, doctor insignis Parisiensis, doctrina et morum honestate præclarus. Ordinem rexit novem annis humiliter et virtuose, non enim erat cupiens munera neque acceptor personarum, sed fuit in judicio rectus, in dispensatione industrius, et in præcipiendo discretus; Ordinis regulam et ceremonialia ad unguem observari jussit et faciebat; expensas supervacuas stricte vitabat, bonos evexit, malos misericorditer emendabat, et tantum dilexit vitam contemplatiorem quod ut lectioni et orationi liberius vacaret in capitulo generali Valencenis renuntiavit officio. Postmodum vero in Dei laudibus et timore perseverans Tholosæ incontaminatum Deo reddidit spiritum, anno Domini M CCC &c.

Septimus fuit magister frater Petrus de Casis, provinciæ Aquitaniæ, doctor Parisiensis, devotus, omni sapientia et virtute repletus, Ordinem rexit XI annis cum dimidio viriliter et utiliter, fuitque in consilio circumspectus, in loquendo modestus, in correctione discretus; extirpabat enim colligationes et confœderationem malorum, corroborabat vires seu affectionem bonorum, expensas inordinatas ut potuit vitabat, ex toto animo fratres Domino servire movebat, unde tantæ fuit virtutis et excellentiæ quod dominus papa Benedictus XII eum promoveret in episcopum Vasionensem, et postea dominus papa Clemens VI eum sublimavit in patriarcham (Fol.

58a) hierosolymitanum, et sic simul et semel dignitate episcopali et patriarchali ornatus jubente Domino in sede Vasionensi glorioso fine quievit, et ibi honeste tumulatus fuit anno Domini 1348, permanente ejus sepulchro patriarcaliter in sinistro choro majoris ecclesiæ.

Octavus fuit magister frater Petrus Raymundus de Insula, provinciæ Narbonæ, doctor Parisiensis, scientia et prudentia fulcitus. Ordinem rexit XV annis cum dimidio prudenter multum. Erat enim in consilio circumspectus, in judicio promptus, et in negotiis Ordinis valde diligens; plurima privilegia ab apostolica Sede impetravit, specialiter ad honorem et decorem studii Parisiensis, expensas superfluas semper vitabat, paucis ipse contentus, cum summa diligentia suum officium exercebat, negotia fratrum immediate expediebat, humilis etiam omnibus fratribus majoribus et infimis juxta negotia sine defectu rescribebat, et Ordinem sic virtuose regendo in Montepessulano congregatis fratribus in unum, Domino JHU XPO reddidit spiritum pridie Nonas Augusti anno Domini 1357.

Nonus fuit magister frater Johannes Balisterii, provinciæ Cathaloniæ, conventus Majoricarum, doctor egregius Parisiensis, doctrina et sapientia plenus, Ordinem cum fama celebri gubernavit, et multa Ordini impetravit.

Catalogus Johannis Grossi

Alterum catalogum conscripsit Johannes Grossi, ex provincia Tolosana, conventus Appamiarum alumnus, qui anno 1389 in generalem illius partis Ordinis electus fuit quæ Clementi VII adhærebat. In capitulo Bononiæ anno 1411 ad extinguendum schisma in Ordine convocato, officio cessit, sed

ab utraque parte unanimiter electus, totum Ordinem usque ad annum 1430 rexit. Circa annum 1434 in provecta ætate defunctus est. Duplicem hic scripsit catalogum Priorum generalium, breviorem primum quem hic ex Balei collectario evulgandum censeo, et longiorem alterum qui extat in *Speculo Carmelitano* (1). Priorem indicem post adeptum generalatus officium, i. e. anno 1389 vel sequenti confecit. Prætermissis primis quatuor prioribus fatetur sibi tantum de Alano suisque successoribus constare. Sed paulo post ad ejus notitiam pervenit liber *De peculiaribus gestis religiosorum Carmelitarum*, auctore Philippo Riboti (2) in quo incorporantur quædam opera alias deperdita, nempe opus anonymi auctoris latini, sæculi XIII, *De institutione primorum monachorum*, perperam Johanni patriarchæ Hierosolymitano XLIV (verius XLII) adscriptum; epistola *De processu sui Ordinis*, auctoris latini ejusdem sæculi, S. Cyrillo attributa ; chronica *De multiplicatione religionis Carmelitarum* opera Gulielmi de Sanvico, post annum 1291 exarata, et fragmenta libri *De consideratis super Carmelitarum regula* auctore Siberto de Beka. Johannem Hierosolymitanum afferunt (ac proinde videntur cognovisse) Johannes de Bacone (3) et Richardus FitzRalph archiepiscopus Armachanus (4) ; necnon Johannes de Veneta (5). At neque Trissa neque Johannes Grossi in principio generalatus sui ullam de eo vel de epistola Cyrilli et de chronica Sanvici notitiam habuerunt. Quæ opera postquam ad manus pervenerunt Johannes Grossi in

(1) L. c. I, 133.

(2) Extat in antiquo Speculo foll. 3-42. In novo vero, I, 7-127.

(3) Specul. Carmel. I, 164, n. 729 et alibi. Script. circa 1340.

(4) In sermone habito Avinione in festo Conceptionis B. V. Mariæ anno 1342.

(5) Specul. Carmel. I, 202 sqq.

conscribendo novo catalogo Priorum Generalium qui extat in libro *Viridarium* intitulato adhibuit.

(MS. Harley 1819 fol. 107a) Isti sunt priores generales Ordinis nostri de quibus mihi Fratri Johanni Grossy priori generali aliqualiter constat, licet plures alii præcesserunt.

Frater Alanus cujus anniversarium signatur XII die mensis Novembris in Kalendario antiquo Ordinalis in conventu nostro Coloniæ.

Frater Symon Stock de provincia Angliæ qui sepultus est Burdegaliæ et claruit multis miraculis, obiit 16 die Maji prout notatur in Kalendario Ordinalis conventus Auraynte (1).

Frater Nicolaus cujus anniversarium signatur in prædicto Kalendario 29 die mensis Aprilis.

(Fol. 107b) Frater Radulphus de provincia Alemaniæ rexit per tres annos et resignavit. Deinde posuit se pro contemplatione et devotione in conventu Alnevici provinciæ Angliæ, et ibi sepultus est, de quo habetur in constitutionibus scil. in forma perfectionis capituli Burdegaliæ celebrati anno Domini 1273 et sunt in dicto conventu.

Frater Petrus de Amiliano rexit per 19 annos et fuit de provincia Narbonæ et de conventu Amiliani &c (sic).

Frater Raymundus de Insula de provincia (quæ nunc Tholosa dicitur) non complevit tres annos, sepultus est Tholosæ in conventu.

Frater Gerardus de provincia et conventu Bononiæ primus magister in theologia Parisiis, rexit annis XX et sepultus est in Avinione, vacavitque generalatus per annum et parum plus.

Magister frater Guido rexit parum minus quam per tres annos. Nam fuit factus episcopus Majoricensis, et sepultus

(1) Orange ?

est in Avinione, et fuit de provincia Cathaloniæ et de conventu Perpinianensi.

Magister frater Johannes de Alerio de provincia Aquitaniæ rexit per IX annos, et resignavit in capitulo Valencenarum, et post longa tempora sepultus est Tholosæ.

Magister frater Petrus de Casa provinciæ Aquitaniæ et conventus Lemovicarum rexit fere per XII annos. Nam factus episcopus Vasionensis et patriarcha Hierosolymitanus et est sepultus Vasione in civitate episcopatus sui. Hic varia scripsit opuscula.

Magister frater Petrus Raymundi de la Grassa provinciæ Narbonæ de conventu Carcassonæ rexit per XV annos et dimidium, et sepultus est in conventu Montispessulani &c (sic).

Magister frater Johannes Balistarii de provincia Cathaloniæ conventus Majoricensis, rexit per annos XVI, et sepultus est in conventu suo prope domum ubi fuit natus, fere per XVI cannas vel XVIII.

Magister frater Bernardus Olerii de provincia Cathaloniæ conventus Minorissæ, rexit per VIII annos, et sepultus est in conventu Barchinonæ VIII Id. Julii anno Domini 1383.

Magister frater Raymundus Baquerii de provincia Narbonæ et conventus Biterris, rexit per IV annos, et mortuus est in conventu Perpiniano in provincia Cathaloniæ.

Hisce subjungit Baleus plures alios quorum notitias undequaque conquisitas ne pereant adjungere juvat.

(Ibidem, fol. 107b) Magister frater Johannes Grossi de provincia Tholosæ conventus Appamiarum rexit ordinem per XLIV annos, demum in capitulo celebrato Nanetis anno 1430 in Pentecoste resignavit, tuncque factus est prior generalis

Reverendissimus in XPO (Fol. 108a) pater et magister frater Bartholomæus de Roqualli, filius conventus Tholosæ.

Magister frater Bartholomæus de Roqualli in sacra pagina professor et filius conventus Tholosæ, factus fuit Generalis Ordinis in capitulo celebrato Nanetis provinciæ Thuroniæ, et in illo capitulo resignavit Reverendus Magister frater Johannes Grossi, in sacra pagina dignissimus doctor qui Ordinem rexit annis 42, et magis rexisset nisi fuisset pecunia ratione cujus resignavit (1). Rexit autem Ordinem Magister frater Bartholomæus annis tribus et mensibus novem, tuncque factus est episcopus Marsiliensis per summum pontificem Eugenium Papam, et fuit præfatum capitulum in Pentecoste celebratum anno Domini 1430.

Anno Domini 1434 in vigilia Pentecostes fuit electus in Generalem (postquam fuit assumptus ad ecclesiam Marsiliæ Magister frater Bartholomæus Roqualli filius conventus Tholosæ) Reverendus Magister frater Johannes Faci, provincialis provinciæ Provinciæ, qui rexit Ordinem annis 16 minus quatuor mensibus, qui fuit assumptus ad episcopatum ecclesiæ Regensis (2) in Provincia; et hoc capitulum in conventu Ravespergensi in provincia Alemaniæ inferioris (3).

Anno Domini 1450 in festo omnium Sanctorum fuit celebratum capitulum generale in conventu Avinionis in quo electus fuit Reverendus Magister frater Johannes Soreth provincialis provinciæ Franciæ, natione Normannus, in quo etiam capitulo Magister frater Galhardus de Rupe habuit quindecim

(1) Alluditur hic ad ingentes expensas quas Johannes Grossi ex decretis capitulorum facere debuit ut Ordo noster repræsentaretur in conciliis Pisano, Constantiensi et Basileensi quibus Ordo non modice gravabatur.

(2) Riez.

(3) Potius Alemanniæ superioris.

voces, dictus vero pater Soreth viginti quatuor, quem aliqui absentes litteris clausis etiam elegerunt. Migravitque idem pater anno Domini 1471 in conventu Andegavensi provinciæ Thuroniæ. Cujus tempore posita fuit observantia in multis conventibus Ordinis, erectaque fuerunt multa monasteria sororum Ordinis tum in Britannia tum alibi, in cujus tempore Francisca ducissa Britanniæ habitum sumpsit. Plures fratres ob introductionem regularis observantiæ decesserunt ab Ordine, plures ydiotæ et extraordinarii bachalarii promoti, lectores extravagantes et asini lectorati (1).

Ex eodem collectario. (Fol. 58a) Hæc quæ sequuntur sunt fratris Johannis de Pratis provinciæ Franciæ (2).

Magister frater Johannes Facy ex urbe Avinionensi genitus et conventus ipsius filius, vir procerioris staturæ maximæque gravitatis et magnificentiæ, ubi lectoriæ gradum Parisius receperit Avinionense studium accessit, ubi statim postea magisterium suscepit, postea vero per multa tempora dicti conventus Avinionensis prior extitit, deinde provinciæ Provinciæ prior provincialis effectus, pro universitate Avinionensi ad concilium Basileense destinatur in quo viriliter pro Or-

(1) Stomachantis sunt hæc verba. Ad reformandam disciplinam imprimis necessarium erat restringere privilegia magistrorum, unde quamplurimi vel Ordini omnino valedixerunt, vel ad conventus non reformatos migrarunt, uti Norbertus a S. Juliana (Ms. Brux. 16492 fol. 47a) in vita Antonii de Gochia plenius habet; ex privilegiis pontificiis licuit Generali titulum et lauream doctoralem pluribus fratribus impertire ob eorum merita quamvis in nulla universitate studiis operam dedissent.

(2) E conventu Pontis Adomari in Normannia oriundus, anno 1488 Avinione ad magisterium promotus est. Pontio Renaudi dum generalem ageret a secretis erat.

dine dimicando eidem adversantes devicit omnes, remque Eugenii papæ quæ tunc fluctuose agitabatur ut propriam curans durante concilio post assumptionem Magistri Bartholomæi de Rocali tunc Generalis ad episcopatum Marsiliensem, nullo adversante Generalis Ordinis creatur. Inde Regensis episcopus factus in summoque pretio habitus finem agens felicem in ecclesia sua sepultus est anno Domini 1460. (1)

Magister frater Johannes Soreth natus Normannus diœcesis Constantiensis, post assumptionem ipsius Facy ad præsulatum Regensem, doctor Parisiensis et provincialis Franciæ conventusque Cadomensis (2) ob ejus singularem virtutem Ordinisque zelum apud Avinionem in Capitulo generali congregato generalatum affirmantibus singulis suscepit clamantibusque universis nullum in Ordine sibi fore secundum. Qui plures per annos Ordinem ipsum regulariter rexit, visitabat provincias singulas plurimosque ex conventibus reformando ad dicti Ordinis veram obser (Fol. 58b) vantiam videlicet Leodiensem, Monsterolensem, Attrebatensem, Gandensem etc. Cujus sanctitatis exemplis et doctrinis permota ducissa Britanniæ vidua ex ejus sacris manibus Ordinis habitum sæculo abrenuntians et monasterium feminarum dicti Ordinis et voti instituens tradidit, postmodum vitæ integritate et opinione clarissimus Andegavis mortem obivit pretiosam in conventu ante sacristiam sepultus anno Domini 1470.

Magister frater Christophorus Lombardus conventus Brixiensis theologus magister, in curia Romana procurator generalis existens ubi præfatus Soreth mortem subivit, Sixti IV

(1) Angliam visitavit anno 1442. Cf. Bullarium, I. 619.
(2) Caen.

pontificis maximi auctoritate (1) cujus summa familiaritate utebatur, vicarius generalis institutus est, et anno evoluto apud Astensem civitatem provinciæ Lombardiæ capitulo generali congregato qua potuit virtute generalatum adeptus est. Qui more suæ gentis licet æris cupidissimus esset occasione cujus generalatum ambivit inepte satis agendo, profuit tamen Ordini per accidens. Nam dictæ familiaritatis cum dicto pontifice ratione *Mare magnum privilegiorum et indul-*

(1) Ex eodem auctore Baleus hac de re sequentia citat: (Fol. 85b) Anno Domini 1482 in festo Pentecostes fuit apud Avinionem celebratum generale capitulum quo in loco multi decesserunt ab humanis, peste ibidem vigente, qua etiam tempestate viguit fames Avinione, vinique raritas permaxima apud Franciam, Burgundiam et partes adjacentes. Ubi propter decessum immediatum Magistri Christophori Martignon de Brixia, patria Lombardiæ fuit a majori et saniori parte immo pene ab omnibus eligentibus in generalem creatus Reverendissimus Magister frater Pontius Raymundi, tunc provincialis provinciæ Provinciæ, conventus Aquensis ejusdem civitatis filius qui etiam propter ejus magnificam famam præclarasque scientiæ et prudentiæ suæ dotes post immediatum obitum pii patris et Magistri Johannis Soreth apud capitulum Astense in generalem fuerat electus. Huic tamen electioni contravenit Sixti IV Papæ favor qui præfatum Christophorum tunc procuratorem in curia recipi mandavit. Quo factum est ut Pontius intrusus fuerit quam receptus, licet tamen procedente tempore propter familiaritatem cum dicto pontifice contractam Ordini profuerit non modice, Mare magnum privilegiorum atque indulgentiarum, tituli nostri roborationem, et Calixtinæ revocationem adquirendo. Et vide quod Sixtus ipse prius extitit qui electiones Ordinis fregit. Ejusdem vero reverendissimi Magistri Pontii tempore adeptus est Ordo apud Urbem conventum novum beatæ Mariæ Transpontinæ non sine Magistri prædicti Pontii generalis gravibus sudoribus, seniique incommodis. Quorum omnium testis sum qui hæc notavi ejusdemque reverendissimi patris vices secretarii quadriennio exercui.

gentiarum (1) quæ suorum prædecessorum potuit obtinere nullus sua ingenti diligentia adeptus est. Vir procerosus aquilinique nasi, sperabaturque si supervix esset canonisatio solemnis beati Alberti &c. Is cum novem annis Ordini præfuisset in matura ætate consistens Romæ obiit sepultusque jacet in nostro conventu S. Martini in medio chori honorabili tumba contectus, anno Domini 1481.

Post cujus excessum anno Domini 1482 in Pentecoste capitulo generali in Avinione collecto Magister frater Pontius Raynaudi tunc provinciæ Provinciæ provincialis et auctoritate apostolica generalis Ordinis vicarius (2) in generalem assumptus est, in ipso officio usque ad ultimum annum, scilicet 1502 perseverans, sensu adhuc usque adeo acutus ut minimarum litterarum formulas sine ocularium ministratione promptissime lectitet octuagenarius tametsi sit. Hic in conventu Aquensi præfatæ provinciæ habitum accepit, simulque in eadem civitate sortitus est originem, et demum in conventu Avinionensi adoptatus est. Hic statura mediocris fuit, forma robustus, aspectu terribilis, exasperans eloquio, audax ut leo, Terentium, Juvenalem, Maronem et maxime Ciceronem tanta retinens memoria ut cum eisdem natus crederetur. In sacris vero litteris nulli opinioni fidem quæ non authentico textu sacræ Bibliæ fulciretur, aliquando dedit. Hic auro, gemmis jocalibusque innumeris repletissimus extitit quamquam ad sui ipsius (Fol. 59a) ornamentum incurius extiterit, vili scapulari et birro amictus. Qui licet homo variis passionibus cupiditatis &c. agitatus extiterit virtutes tamen et virtuosos coluit. Dicebat autem communi proverbio : Non omnes in choro, non omnes in cathedra, non omnes in schola. Hic inter ceteros conventus Avinionensem amavit et in divino cultu

(1) Bullarium, I. 319.
(2) Bullarium, I. 373.

auxit. De cujus amplioribus gestis supersedeo cum in humanis agat ne adulationis aut obtrectationis inveniar arguendus.

(Ibidem, fol. 61 a) Obiit præfatus Magister Pontius Avinione in consummata senectute anno Domini 1502, sepultus in medio chori et tectus honorifice tumba ænea, cujus thesaurum habuit Alexander Papa VI. (1)

Et inde instituitur vicarius Magister frater Michael Parini Gallus, in Podio natus, doctor Parisiensis, optimus fuit regens ceterorum, in tota sua provincia prior et major apud omnem statum, habens etiam jurisdictionem ex parte summi pontificis et fuit major pœnitentiarius, inde factus prior (Fol. 61b) provincialis et vicarius generalis citra montes. Hic composuit plurima volumina, puta sermones temporales, quadragesimales et sanctorales. Qui obiit 10 die Februarii anno Domini 1516.

Tertium catalogum composuit

Johannes Baleus.

Johannes Baleus natus in oppido cui nomen Cove in pago Sudvolgiæ die 21 Novembris 1495 Carmelitarum cœtui sese adjunxit Norvici anno 1507. Postquam Galliam ac Belgiam studii causa peragraverat anno 1529 in collegio Jesu nuncupato Cantabrigiæ baccalaureus in theologia et Juris canonici doctor factus est. Anno 1533 erat prior Gippesvici (Ipswich) sed catholicæ religionis atque vitæ religiosæ pertæsus anno 1536 apostata factus, uxorem duxit et apud Thornden beneficium ecclesiasticum sub nova religionis forma obtinuit. Anno 1540 Hollandiam se recepit, deinde (15 Augusti 1552) episcopus Ossoriensis in Hibernia renuntiatus

(1) Vide quo fine in Bullario, I. 425.

2 Februarii 1553 Dublini consecratus est. Attamen Hibernis episcopum uxoratum et a fide apostatam ægre recipientibus tempore Mariæ reginæ fugere coactus fuit. Redux sub Elisabetha canonicatum Cantuariæ obtinuit (15 Januarii 1560) ubi tandem mense Octobri 1563 mortem subiit (1).

Dum Carmeli Ordinem profiteretur semper rebus historicis, biographicis et bibliographicis intentus erat, atque etiam post duplicem apostasiam colligendis notitiis Ordinem respicientibus sedulo operam navabat, quamvis aliunde fœdus scriptor evasisset. Præter fere innumera tum manuscripta tum impressa opera (circa quæ consulas Bibliothecam Carmelitanam) sequentia calamo exarata reliquit :

A. MS. Bodley 73 (Oxoniæ) et

B. MS. Harley 1819 (in Musæo Britannico, Londini) continent quamplurima excerpta e libris nostratum in bibliothecis eorum conventuum collectis quos tum in Anglia tum in Gallia, Belgio et Hollandia visitaverat. Ex his confecit duplicem catalogum virorum illustrium et præsertim auctorum Ordinis qui extat in

C. MS. Harley 3838 (in Musæo Britannico, Londini), nempe eorum qui ante recuperatam per Cruciferos Palæstinam floruerunt (« trium hebdomadarum opus »), et eorum qui post hunc eventum usque ad suimet tempus elucubrationibus suis Ordinem ornaverunt (« quinque hebdomadarum opus »). In eodem volumine invenies etiam librum *Anglorum Heliades* inscriptum, i. e. historiam provinciæ Angliæ et scriptorum seriem, aliena quidem manu exaratum sed correctionibus ab ipsomet auctum. Plura hujus operis vidi apographa tum in prælaudato Musæo tum Romæ in archivio generali Carmelitarum Discalceatorum.

(1) Bibliotheca Carmelitana. I. 753. Dictionary of National Biography, III, 41.

D. MS. Selden 41 supra (Oxoniæ) partim manu ipsius Balei, partim alieno calamo conscriptus continet plura opuscula, inter quæ catalogum virorum illustrium e quo sequentem seriem Priorum Generalium excerpsi, necnon Trissæ catalogos Priorum Generalium et Magistrorum Parisiensium cum supplementis Johannis Barret et Johannis Balei.

E. MS. Cotton, Titus D. X. (in Musæo Britannico) continet præsertim processum contra Johannem Milverton provincialem Angliæ (A. D. 1464).

F. MS. Ff. 6. 28 (Cantabrigiæ) exhibet complura officia ecclesiastica quæ alias prelo commissurus sum.

Sequentem catalogum, uti jam dixi, e serie virorum illustrium Ordinis in MS. Selden 41 supra excerpsi. De iis vero quæ circa antiquiores Priores Generales dicuntur in fine hujus tractatus latius et ex professo disserturus sum.

1. Sanctus Bertholdus Lemovicensis Aquitanus genere nobilissimi Guidonis e nepte regis Hungariæ filius, Parisiorum in sacra pagina doctor, scientia et vitæ sanctitate clarissimus, post bella in Saracenos et post piam Adamari fratris sui Podiensis episcopi defunctionem A. D. 1099 in Carmeli montis monasterio religionem intravit. Et post varia religiosæ vitæ exercitia A. D. 1121 ceteris præficitur per Apostolicæ Sedis nuntium Aymericum patriarcham Antiochiæ, primus Latinorum dictus. Ordinem rexit non sine maximo omnium profectu XLV annis, tandem ad angelorum consortia migrans A. D. 1166, 29 die Martii, ætatis suæ 105, miraculis clarus. Nam duos paralyticos curavit, cæcis et claudis naturæ beneficium restituit, et vivus occisorum fratrum animas in cœlum deferri vidit.

2. Sanctus Brocardus Hierosolymæ natus, Hebræorum doctor excellentissimus, vir ingentis animi ingentisque litteraturæ, hebraicæ, caldaicæ, græcæ et latinæ linguæ peritissi-

mus, post plurimi temporis intercapedinem A. D. 1167 vicarii vices occupat. Nam defuit his substituendi modus. Peracto septennio quo præfuit vicarius A. D. 1174 per Hierosolymorum patriarcham Heraclium substituitur. Fuit enim archipræsuli Cæsariæ atque Templariorum magistro a consiliis. Basilii canones ad compendium reduxit, mortuum suscitavit, Saraiam leprosum sanavit; 33 annis Ordinem rexit, et a Genitrice Dei admonitus sortitur vitæ exitum A. D. 1207, secunda die Septembris, LXXXImo ætatis suæ anno. Hic canones ab Alberto suscepit.

3. Sanctus Cyrillus Megarensis græcus, atticæ regionis doctor celeberrimus Constantinopolitani studii gymnastes, philosophus, rhetor et theologus, Yconii regem ad fidem convertit. Emanuelis græcorum Cæsaris ad Alexandrum Papam tertium legatus fuit. Admonitus tandem a Deipara A. D. 1165 Carmelum Syriæ petiit, religiosæ militiæ se dicans. Armenis, Parthis et Medis decennio prædicavit. Regem Armeniæ cum populo baptizavit. Anno Domini 1207 Brocardo surrogatus 27 annis rexit. Græcorum, Latinorum, Hebræorum et Armenorum linguas perfectissime novit. Super ecclesiæ statu divinum suscepit oraculum. Patriarchatum noluit. Futura prædixit, cæcum illuminavit, defunctum suscitavit. In medio fratrum hujus vitæ indumenta deposuit, A. D. 1234, pridie Nonas Maji, claudo naturæ beneficium, mortuo vitam restituit.

4. Barthelmus Ligur ex Lumbardia Galliæ cisalpinæ originem traxit. Hunc constat virum fuisse omni præconio dignum, prudentem in agendis et solertem, fama et opinione præclarum. Religionis zelo Carmelum venit, cum fratribus vixit. Interim fratres ob quotidiana bella famem passi de fuga cogitant. In unum ergo post obitum Cyrilli in Carmelo collecti anno Domini 1234 pro Ordinis in Europa complantatione hunc virum sanctissimum eligunt, scientia et probitate ido-

neum. Qui post jejunia, preces et lacrimas a Virgine solatus et revisus fratres in Cyprum et Siciliam destinavit A. D. 1228 (sic), remanentibus ceteris sub tributo gentilium. Præfuit annis septem non sine virtutum et personarum incremento, naturæ debitum solvens A. D. 1240. Hujus produnt sanctitatem miracula (ut fertur) apud Achon.

5. Alanus Brito pater venerandus, eloquens, litteris eruditus, lenis, comis, mitis atque sanctissimus fuit. Hic Terram Sanctam ex quadam devotione adiens visitatis ædibus sacris in Carmelo tandem plena ad Deum devotione religionem induit. Collecti patres in Carmeli montis monasterio humanæ salutis anno 1240 statim post Barthelmi defunctionem hunc sibi præsidentem constituunt. Adversa perpessus ex impetu bellorum fratres Radulphum Fresborne anglum natione et Yvonem britonem suum conterraneum ad Angliam, atque Gallos Provinciales de Palæstina Marsiliam destinavit. Videns Alanus ex principum inter sese discordia rem Christianam in ancipitem dari quinto sui regiminis anno suis in captivitatem ductis officio cessit. Atque in Europam veniens suæ familiæ multiplicationi insudabat. In morte et in vita miraculis clarus 12 die Novembris Coloniæ tandem migravit.

6. Sanctus Simon Stock anglicus in Kantia natus, ab arboris inclusione cognomen accipiens duodecimo ætatis anno solitariæ vitæ propositum in animo statuit. Veniunt sæpius de Palæstina in Angliam ab A. D. 1200 ejusdem disciplinæ patres visitandorum amicorum gratia atque in succursum Terræ Sanctæ; et ab anno Domini 1212 atque deinceps propter Saracenorum in Syria oppressiones. Tum Deo religionis alibi incrementum volente ex illis quidam in Anglia remanserunt, Boriæ et Kantiæ deserta elegerunt, atque alios ad hanc devotionem allexerunt. Cum his Simon familiaritatem nactus in arboris concavo mansionem accepit A. D. 1215 quinquagesimo anno ætatis usque ad A. D. 1240. Quo cum Angliæ

comitibus ex Syriaco bello Angliam adventant Radulphus et Yvo. De quorum adventu Symon paulo ante a Deo certior factus truncum deseruit et Aylesfordiam ingressus religionem profitetur, fitque statim cunctis in admirationem. Horum impulsu sacerdotio functus in synodo patrum apud Aylesfordiam A. D. 1245 fit generalis omnium rector fitque bachalaureus Oxonia in sacra pagina. Visitatus a Virgine novum indumenti genus assumit, privilegia procurat, gregem tutatur, ædes condit, prædicat, instruit, et miracula facit. Vinum ex aqua fecit, piscem coctum natare vivum coegit, aves atque pisces sibi familiares habuit, in Carmelo septem annis esca divina nutritus fuit. Rexit Ordinem viginti annis, centum annorum senex in Burdegala Vasconiæ sepultus A. D. 1265, 16 die Maji, postquam quinquaginta annis in Ordine consenuerit. Hujus sacrum corpus erexit in altum archipræsul Burdegalensis cum clero.

7. Sanctus Nicolaus Gallus Provincialis, vir sanctissimus ex his unus esse perhibetur qui de Carmelo captivitatis tempore Marsiliam venit. Anno Domini 1265 Tholosæ factus generalis omnium pastor pro monasteriorum ædificatione, pro animarum lucro atque pro incremento virtutum nulli labori pepercit. Erga molestantes religionem et pro construendis ædibus a Clemente IV privilegia procuravit. Numquam creditur carnes comedisse neque insedisse equis, pedester enim obambulabat, parvo bacillo suffultus et agrestiori usus amictu. In Messana Siciliæ ex omni regione capitulum tenuit, ubi ad cultum Dei sunt editi canones, fuerunt illic patres quam plurimi de Carmelo, de Achon et de Hierusalem. Aliquorum ignavia pertæsus quinto regiminis anno officio cessit et ad heremi quietem reversus ex monte Cunatrof *Igneam Sagittam* emisit. Obiit A. D. 1282, 2 die Aprilis in Aurasica (1) Gal-

(1) Arausica, Oranges.

liæ Narbonensis sepultus. Nicolaus præfatus pro commodo religionis nulli labori pepercit, licet quandoque sine fructu ex torpore et ignavia quorundam. Religionis enim amore maria transfretavit, varias mundi partes circuivit, tempus et corporis vires nimio labore consumpsit. Officio renuntians heremum repetiit A. D. 1270 e monte Cumatrof *Igneam Sagittam* ad fratres degenerantes scripsit.

8. Radulphus Alemanus de Germania inferiori sacræ paginæ lector, vir non minori morum probitate quam doctrina præditus, anno Christi 1271 Parisiis in Virginis Mariæ Nativitate fit generalis Ordinis præses. Tam egregie tribus annis totius Ordinis regimen gesserat ut in eo omnem justitiæ normam, omnem prudentiæ cautelam et universæ pene formam doctrinæ intueri facile liceret. Nec in eo pacem vel divini (ut ajunt) officii zelum desiderasses. Sed proh dolor, suo tempore perierunt quædam Palæstinæ loca vi Saracenorum. Post tres annos officio cedens ardue se contemplationi donabat in Alnevico. Sicque tandem vir miræ virtutis et abstinentiæ, dierum et sanctitate plenus, haud prius virtute destitutus quam vita cœlum conscenderat, cui Alnevicus in Anglia sepulcrum præstitit, anno 1277.

9. Petrus de Amiliano, Ruthinensis, provinciæ Narbonæ sacrarum litterarum lector, vir sane mira in agendis prudentia, cujus eruditioni par respondebat morum integritas. Electus Burdegaliæ A. D. 1275 in festo Epiphaniæ Ordinem tam salubriter quam humiliter novem et decem annis rexerat ita ut magno posterorum exemplo, numquam eques sed pedes semper singulas viseret provincias. Parce victitabat, templa frequentabat, atque divinis officiis ampliabat, se morum exemplar et contemplationis scholam proponens ceteris. Hujus tempore periere Carmelus et Achon. Romam semper humili fultus bacillo adiit, pro amplianda religione sollicitans pontifices. Stragulati pallii in candidas cappas commutatio-

nem miro eulogio impetravit. Sicque tandem virtutibus et sanctitate decorus post molestias et labores obiit A. D. 1294 in Coloniensi carmelo sepultus.

10. Raymundus de Insula Tholosæ vicina provinciæ Aquitaniæ, qui et ipse sacræ theologiæ lector atque tandem doctor Tholosanus, A. D, 1294 Burdegalæ in capitulo totius familiæ regimen suscepit. Totus jejuniis lectionique sacrarum Scripturarum addictus oppido præclare atque sancte triennium præsidebat Ordini. Scripsit ut fertur in Sententias, conciones ad clerum et populum, atque in theologia quæstiones. Verum anxia fratrum cura forte offensus, aut verius, arbitror, secessu solitudineque delectatus quo quietius Domino deserviret hominumque laudem declinaret in capitulo Brugensi A. D. 1297 munere quod hucusque fideliter administraverat ultro se destituit. Amplum mundi circuitum linquens parvoque tugurio clausus Tholosæ anachoritam professus est. Ubi reliquum vitæ agens et virtutum accessibus pollens tandem sancto confectus senio spiritum exhalavit.

11. Gerardus de Bononia, italicæ nationis, doctor Parisiensis non vulgaris, vir non minus integritate vitæ quam litterarum peritia insignis A. D. 1297 Brugis in Flandria effectus est generalis Ordinis magister per viginti annos Carmelitanæ militiæ dux et auriga. Is fratrum animos ad scientiæ pietatisque studia incitavit. Tenui mensæ apparatu cœnobia quæ viserat expensarum profusione levabat, ita tamen ut mensæ penuriam in pauperes Christi commendaret abundantia. Extra refectionis horam orationi, lectioni, disputationi et causis Ordinis discutiendis sedulo vacabat. Nec aliorum quispiam Ordini majorem attulit honorem, adeo ut apud Romanum pontificem privilegiis et indulgentiis acquirendis nihil non potuit. Sed tandem alteri (intercedente morte) clavum cessit et spiritum Deo gratum in Avenione reddidit, 1317.

12. Guido de Perpiniano, genere Cathalanus, celebris Pa-

risiensis academiæ doctor, vir quidem et sapientia et doctrina mirabilis, A. D. 1318 Burdegalæ in Vasconia fit totius Ordinis magister, qui religionem sesquibiennium dumtaxat moderabatur. Tum in Majoricensem celebri virtutis suæ fama ad hoc juvante est accitus. Ceterum quoniam virtus semper quo crescit magis eo altius cumulatiusque sese extendit, postea in Elnensis ecclesiæ præsulem constituitur. Fuitque sacri palatii magister atque Papa futurus (nisi mors intercessisset) expectatus a multis. At post multos sacræ eruditionis conscriptos libros aliaque egregia facinora præclare gesta, Avinione tandem non tam pontificali honore quam honorabili senectute ex hoc sæculo gloriose migravit A. D. 1342, 21 die mensis Augusti, sepultus apud Carmelitas.

13. Johannes Alerius provinciæ Tholosæ, theologus Parisiensis insignis, vir non secus vitæ sanctimonia quam divinarum litterarum eruditione clarus, cujus humilitas adeo ab omnibus celebrata fuerat ut ad totius Ordinis moderamen omnium pene consensu facile sit evectus, A. D. 1321 in Montepessulano licet absens. Lectioni aut orationi semper vacabat, statura pusillus, verum animi dotibus non ita. Caritate diffusus, castitate nitidus novem annis monarchiam tenuit. Munuscula adeo vilipendebat ut citra quarumcumque personarum acceptione justum et rectum exequeretur judicium. In credita sibi dispensatione non deerat industria nec in imperando discretio. Regulam ipsam ceremoniasque omnibus integre servare jussit quod et ipse prius magno inferiorum exemplo præstitit. Impensas superfluas vitabat. Magna alacritate evexit bonos, parique misericordia malos arcebat si quando emendatiores reddere posset. Verum contemplationi adeo fuit addictus ut officium in generali Valencenarum capitulo ultro relinqueret, lectioni orationique postea liberius vacans. Scripsit in Sententiarum libros, sermones de tempore et de Sanctis, in Ecclesiasticum, in artes hu-

manas, constitutiones Ordinis et de Mariæ Conceptione. Atque vitæ sanctimonia pie semper proficiens demum Tholosæ gratissimum Deo spiritum obtulit.

14. Sanctus Petrus de Casis, provinciæ Aquitaniæ theologus, doctoris insigniis Parisiis donatus, Lemovicarum cœnobii vir, optimus et idem doctissimus diversa in Sententias edidit volumina, declamationesque ad principes et magistratus non inelegantes, atque in Politica Aristotelis. Primo generalis prior eligitur A. D. 1330 in Valencenis et duodecim annis præfuit. Temporibus vero Johannis papæ pro fide catholica multa perpessus est. Deinde per Benedictum XII tristitia in gaudium versa expensa infracti animi in adversis constantia Vasionensis ecclesiæ præsul constituitur. Demum post hunc Clemens VI Hierosolymorum patriarchatum addidit. Atque (cum) ita utrumque munus tum præclare tum diligenter egregie gesserit, tandem disponente Deo miraculis clarus Vasione quievit in Domino A. D. 1348, quarta die Augusti.

15. Petrus-Raymundi de Grassa, provinciæ Narbonæ, conventus Tarsacii (1), doctor Parisiensis, vir præter summam eruditionem etiam optimus, A.D. 1342 Lugduni Generalis electus omnium voce duobus exceptis, adhuc bachalaureus fuit. Hic Ordinis gubernacula quindecim annos et dimidiatum tenens summa cum laude officium administrabat, largas et inutiles semper vitabat impensas, sibi nimium parcus, in alios quidem liberalis. Creditum sibi a Domino talentum multum cum fœnore reportavit. Tam expositæ erat familiaritatis ut quorumcumque fratrum etiam quantumcumque humilium causas quam expedite absolverit, omnibus omnia factus ut omnes lucrifaceret Christo. Convocatis atque longa oratione commonitis fratribus in Montepessulano mortem sibi in fori-

(1) Alumnus conventus Carcassonensis. Suspicor Baleum hic errasse.

bus esse prædixit, et beatum Deo spiritum emisit, ibidem tumulatus A. D. 1357, 22 die Novembris. Iste varia scripsit opuscula.

16. Johannes Balistarii, provinciæ Cathaloniæ, Majoricarum cœnobii, celebris Parisii theologus ingenio rerumque peritia præstans, omnes sui temporis doctores in speculativa scientia superabat. Argute admodum in Sententias scripsit, de militantis ecclesiæ bello, de conflictu dæmonum, de novissimis temporibus ad Papam, sermones varios, et Ordinis statuta edidit. A.D. 1358 Burdegalæ in Nativitate Dominæ constitutus est generalis magister ante doctoratum, qui Ordinem sexdecim annis non minori gloria quam utilitate moderabatur. Fuit quoque vir miræ abstinentiæ et quavis ferme virtute præclarus. Hic semel per dormitorium quodam audito cujusdam defuncti terribili clamore statuit pro defunctis processiones fieri feriis secundis (1). Vasconiam ab Aquitania divisit, Acta prædecessorum in unum collegit. Obiit Majoricæ prope domum ubi fuerat natus A. D. 1374, 24 die Septembris.

17. Bernardus Olerius, genere Cathalanus, conventus Minoricarum, doctissimus sacræ theologiæ magister, ingenio clarus et sermone disertus, in capitulo generali apud Podium in provincia Narbonæ in Pentecostes festo anno Domini 1375 celebrato electus ante gravissimum schisma inter Urbanum papam VI et Clementem VII, rexit tribus annis et schismatis tempore quinque annis. Nam schisma incepit A.D. 1378. Erga suæ religionis æmulos scripsit ad Urbanum super antiquitate, titulo et confirmatione Ordinis sui (2). Incipit *Ad informandam*. Angliam visitavit A.D. 1376 atque capitulo Coventrensi (3) præfuit, pacatis ibidem consimilibus erga Ordinem jurgiis

(1) Vide supra P. 181.

(2) Cf. *Speculum Carmelitanum*, I. 166 sqq.

(3) Cf. opusculum meum « *The Origin of the Scapular* » (Dublini, 1901-1904) P. 38. Capitulum vero Doncastriæ celebratum fuit, non Coventriæ.

non modico sudore doctissimi patris Johannis Hornebii apud Cantabrigiam et alibi. Hunc tandem schismatis tempore quia Clementi favebat inter schismaticos habebat Urbanus, substituens Michaelem Bononiensem 1379.

18. (sic) Michael de Anguanis Bononiensis natione, natalis soli gloria et totius Christianitatis luminare, Parisiensis doctor per Urbanum VI vicarius Ordini præficitur A. D. 1379 super provincias sibi faventes. Qui A. D. 1381 in capitulo Veronæ electus rexit Ordinem annis quinque. Hic triginta volumina fecit in omnibus artibus, philosophia, theologia, jure pontificio atque in oratoria facultate. Ubi senectam suam quasi quibusdam suavissimis poculis relaxabat. Cardinalitium et alios honores renuit. Plura incommoda schismatis tempore pro veritatis tuitione passus est, et obiit Bononiæ A. D. 1400 vel 1410, XVI Kal. Decembris (2).

17. (sic) Bernardum quia Clementi adhæsit post capitulum Brugense A. D. 1379 officio privavit Urbanus (1) substituens vicarium Michaelem de Bononia. Rexit tamen in nationibus Clementi subjectis. Hic A. D. 1383 officio cessit, effectus episcopus Perpiniaensis per Clementem præfatum. Obiit (ut fertur) Barchinonæ 8 Idus Julii A. D. 1384.

(1) Bullarium, I. 596. Eubel, *Die Avignonesische Obedienz der Mendikantenorden*. Paderborn, 1900. N. 15.

(2) Mirum quod Baleus hic sub silentio prætereat absolutionem ejus ab officio generalatus quæ in capitulo Brixiensi A. D. 1386 facta est ob depositionis sententiam per Urbanum VI pronuntiatam. Ex epitaphio in ecclesia Carmelitana Bononiæ saltem usque ad sæculum XVII præservato et per Lezanam transcripto liquet Michaelem anno 1400 et quidem die 16 Novembris mortem obiisse. Ipsius frater uterinus Bernardus Bononiensis, doctor in s. pagina, ejusdem Ordinis, auctoritate Michaelis Angliam visitaverat.

19. Johannes de Palude (1) Lumbardus natione in sacra pagina professor insignis, ingenio subtilis et sermone scholasticus, per Urbanum præfatum Michaeli substituitur vicarius A. D. 1386. Et electus fuit Generalis Brixiæ in capitulo generali A. D. 1387, et rexit annis decem et septem. Capitulum generale Franckfordiæ tenuit. Angliam visitavit 1392, capitulum tenens in S. Botulpho. Walterum Dysse vicarium fecit in Anglia. Obiit tandem Mediolani A. D. 1404.

20. Raymundus Baquerii natione gallus provinciæ Narbonensis, doctor celeberrimus, conventus Biterrensis (quem quidam Vacherium appellant) cedenti Bernardo surrogatus fuit A. D. 1384 in Avinione per fautores Clementis. Præsidebat autem loco Clementis Johannes Cardinalis S. Marcelli protector Ordinis et episcopus Tusculanus, Ambianensis nuncupatus. Raymundus rexit Ordinem annis quatuor mensibus quatuor et diebus decem. Obiit A. D. 1388 in Perpiniano 27 die Septembris sepultus. Præfatus Raymundus Vacherius scripsit contra quendam apostatam, incipit *Cum mittens manum ad aratrum* &c. Item celebravit capitulum generale A. D. 1387 in Castro novo de Arrio in provincia Tholosæ in sacro die Pentecostes.

22. (sic) Matheus de Bononia, Italus genere, doctor in sacra pagina meritissimus, philosophus et theologus celeberrimus, Johanni de Palude sive de Rachde defuncto suffectus in capitulo Bononiæ A. D. 1405 rexit annis fere sex sub Urbani successore

21. (sic) Johannes Grossi patria Tholosanus conventus Appamiarum, sacræ paginæ doctor ubique celebratus, in capitulo Perpinianensi A. D. 1389 in Nativitate Virginis Raymundo Vacherio tunc morte sopito successit. Hic rexit annis viginti duobus et

(1) Alias de Raude.

Bonifatio IX in provinciis sibi faventibus. Hic scripsit in summulas Petri Hispani libros tres. A. D. 1411 post concilium Pisanum coram Johanne Papa XXIII facta unione officio cessit, Bononiæ tandem sepultus.

parum plus durante schismate, præsertim in regnis Clementi et Benedicto subjectis. Hic celebravit capitulum Albiæ A. D. 1393, ubi in sacra pagina doctores fecit provinciales Siciliæ et Thuroniæ Jacobum et Johannem. (1)

21. A. D. 1411. Johannes Grossi præfatus parum ante susceptum onus officii sui in theologia effectus est doctor. Post concilium Pisanum Johannes Papa XXIII Bononiæ capitulum convocavit et ex utraque obedientia unionem fecit, ubi electus fuit Johannes præfatus cedente Matheo, in magistrum totius Ordinis A. D. 1411, dominica secunda post Pascha (2), et rexit annis novem et decem. In toto rexit annis quadraginta duobus et ampliavit Ordinem decem conventibus in Thuronia et Bohemia ; Angliam visitavit A. D. 1413 et capi-

(1) Jacobus Rappe, Siculus, et Johannes Cis. Baleus sic scribit in MS. Harley 1819 Fol. 122 b : Anno Domini 1393 in Pentecoste quod fuit 25 die mensis Maji, celebratum fuit capitulum generale solemne in conventu Albiæ ubi interfuerunt quingenti fratres, et fuerunt magistri provinciales Siciliæ et Thuroniæ, scil. Fratres Jacobus Rappe et Johannes Cis. Et hoc modo provincialis Thuroniæ in ecclesia cathedrali beatæ Cæciliæ et alter, scil. provincialis Siciliæ in conventu prædicto fuerunt magistrati in theologia per Magistrum fratrem Johannem Grossi priorem generalem tunc in capitulo præsidentem, et fuit primum capitulum quod ipse celebravit post suam electionem quæ fuit in capitulo Perpiniani celebrato A. D. 1389 in festo Nativitatis beatæ Mariæ Virginis. Et fuit in capitulo Albiæ concessa omnibus fratribus præsentibus omnium peccatorum remissio plena semel in vita et in articulo mortis per sanctissimum in Christo patrem Clementem papam septimum.

(2) Die 26 Aprilis 1411.

tulo Scardeburgiæ (1) præfuit. Interfuit generali concilio Constantiæ ex quo scripsit ad clerum Coloniensem pro Gerardo Eyckoff et Alberto Rurback quem Johannes papa XXIII in capitulo doctorem fecit (2). Capitulorum et fratrum acta collegit. Scripsit *Viridarium Carmeli* (3), sermones per annum, Quadragesimale et Quæstiones varias. In capitulo Nanetensi senio gravatus officio cessit A. D. 1430. A Thoma Walden varias suscepit epistolas, et obiit in conventu Appamiarum A. D. 1434.

23. Bartholomæus Roqualli patria Tholosanus, nobilis genere sed nobilior vitæ meritis, filius illustris comitis de Roqua A. D. 1430 in capitulo Nanetensi in Britannia, provincia vero Turoniæ cedente prædecessori patre senio surrogatur, 4 die Junii in festo Pentecostes. Hic fuit doctor in sacra pagina de conventu Tholosano, qui et scripsit super quatuor libros Sententiarum, atque alia plurima edidit. Et postquam rexit Ordinem annis tribus et mensibus novem A. D. 1434 per Eugenium papam quartum exigentibus meritis factus est episcopus Marsiliensis. Hunc dicunt in ecclesia Marsiliensi sepulturæ locum suscepisse.

24. Johannes Phacy in Avinione natus, vir procerioris staturæ, maximæ gravitatis et magnificentiæ, factus in sacra pagina lector Parisiensis Avinionem reversus suscepit magisterii gradum. Fit prior, fit tandem totius provinciæ rector. Factus

(1) Scarborough.

(2) Gerardus Eyckoff, belga, in universitate Coloniensi promotus S. theol. doctor anno 1415, ex parte ejusdem universitatis concilio Constantiensi interfuit, anno 1418 renuntiatus decanus facultatis theologicæ Coloniæ. Cetera de ipso nos latent. MS. 16492 Bruxell. Fol. 31b. Albertus de Rohrbach anno 1410 erat prior Francofurtensis. Nihil aliud de ipso ad meam notitiam venit. Cf. Koch, l. c. P. 40.

(3) Cf. *Speculum Carmel.* I, 131-144.

pro universitate Avinionensi ad concilium Basileense legatus quosdam religionis adversarios superavit, fluctuantes res Eugenii papæ in commodum suum vertit. Nullo adversante in capitulo Ratispurgensi vel Ratisponensi in Alemania superiori tempore concilii in vigilia Pentecostes A. D. 1434 fit Generalis. Ubi omnes super futura electione fecere juramentum, fuerunt confessi, suscepere sacramentum. Visitavit Angliam 1442. Privilegia procuravit. Capitula celebravit Asti, (1) Cabilonæ et Romæ. Ordinem rexit annis 15 mensibus 8 et diebus aliquot. Episcopus Valentinensis et Regensis quiescit in sua ecclesia 1460, cor Avinione.

25. Vacat officium duobus annis. Sanctus Johannes Soreth

(1) De hoc capitulo legitur in Memoriali Secundini Venturæ (Monumenta Patriæ, Scriptt. III, 830): Eodem anno 1440 die 15 mensis Madii in festo Pentecostes factum fuit in hac nostra civitate Astensi per dominos fratres S. Mariæ Ordinis de Carmelo capitulum suum generale, et ad ipsum capitulum venerunt fratres ducenti et ultra. Et est sciendum quod per sanctissimum dominum nostrum Papam Eugenium quartum concessa fuit plenaria indulgentia et remissio omnium peccatorum tam a pœna quam a culpa quibuscumque venientibus ad visitandum ecclesiam S. Mariæ de Monte Carmelo de Ast, in qua scilicet fuit dictum capitulum generale, et vere pœnitentibus et confessis, et de eleemosynis dictæ ecclesiæ et fratribus juxta facultates suas elargientibus, quæ quidem indulgentia incœpit in primis vesperis vigiliæ dicti festi, et finivit in aliis vesperis dicti festi Pentecostes inde proxime venturi. Fuit communis opinio quod ad ipsam indulgentiam venerunt intus de forensibus viris et mulieribus personæ quatuor mille et ultra, et modicum granum tunc reperiebatur in Ast. In vigilia dicti festi Pentecostes applicuit in Ast reverendissimus dominus Cardinalis Cipri. Est namque sciendum quod omnia hospitia civitatis de Ast erant plena forensibus, taliter quod multi erant qui non sciebant ubi logiare. In die vero Pentecostes prædictus dominus Cardinalis missam celebravit in ecclesia S. Secundi de Mercato ad altare magnum, et ipsam missam ego audivi.

patria Normannus, diœcesis Constantiensis, conventus Cadomensis, doctor Parisiensis, provincialis Franciæ, et magister Ordinis generalis electus apud Avinionem in capitulo generali A. D. 1451 in festo Omnium Sanctorum clamantibus singulis virum esse officio dignissimum. Iste sub mira reformatione visitavit singulas provincias. Franciscam Britaniæ ducissam recepit A. D. 1467. Cardinalitium renuit. Canonizari fecit Albertum de Drepano et Angelum de Hierosolymis. Prædicationis gratia et vitæ sanctitate multos ab errore revocavit. Citramontanas sorores instituit. Scripsit super Sententias, in Ordinis canonem duo commentaria, constitutiones quoque, Contra adulteros, atque sermones. Rexit Ordinem annis decem et novem, mensibus tribus, diebus quatuordecim. Et obiit Andegavis A. D. 1471, 25 die Julii miraculis et sanctitate clarissimus. (1)

26. Christophorus Martignonus de Brixia, natione Lumbardus, doctor sacræ paginæ et Juris canonici, provincialis Terræ Sanctæ, prædicator egregius et procurator Ordinis in Romana curia, a Sixto Papa IV institutus fuit vicarius generalis post transitum divi patris Soreth. Fuit enim vir proceriori forma, naso aquilino, Sixto pontifici multum familiaris. A. D. 1472 in capitulo Astensi (vel Astapanensi) Generalis efficitur Sixti auctoritate. Multum Ordini profuit privilegia procurando. Erat quoque dicti pontificis Sixti legatus ad Fredericum Cæsarem. Hic celebravit capitulum generale Brixiæ

(1) MS. Bodley 73, fol. 114a sequentia habet: Aliud capitulum celebravit Bruxellæ 1462, ubi erant plus quam mille fratres, a principe Philippo Burgundionum duce et ab utroque statu plurimum honoratum, fitque propter indulgentias maximus populi concursus, in tribus quoque locis fit continua Verbi Dei seminatio, una alteri succedente a sexta mane usque ad undecimam et a prima usque ad sextam. In hoc capitulo renovavit statuta fecitque librum, sunt etiam XXIV provinciæ.

A. D. 1478. Rexit annis novem reformationi favens et eandem augens. In bona tandem ætate Romæ obiit, sepultus apud S. Martinum in Montibus, A. D. 1481, 17 die Maji. Huic in morte astitit Sixtus cui ante dederat primum inter religiosos locum.

Gulielmus Crich vel de Dumo Quercus, natione Brito, provincialis Thuroniæ, orator ducis Britaniæ et ejusdem ad Romanam curiam legatus A. D. 1481 constitutus fuit vicarius Ordinis per papam Sixtum post obitum Christophori, qui post duos menses peste extinctus est et ne Generalis esset mors impedivit.

27. Pontius Rainaudi in urbe Aquensi natus in provincia Provinciæ universalis pastor et præpositus, sacræ paginæ doctor et decanus Avinionensis, conventus Aquensis, a claris parentibus ortus, forma robustus, aspectu formidabilis, asper eloquio, ut leo audax, staturæ tamen mediocris, electus fuit postquam fuerat vicarius apostolicus, in priorem totius Ordinis Generalem A. D. 1482 in capitulo Avinionensi. Fuit quoque vir maximæ famæ, scientiæ et prudentiæ, cujus scripta stupori sunt Italis. Rexit viginti annis et obiit A. D. 1502, 15 die Julii in Avinione.

28. Petrus Terasse, patria Cathalanus, de Barchinona, sacræ paginæ doctor, utriusque linguæ latinæ et græcæ peritissimus fuit. Hic apud quamplures pontifices Romanos ita copiose atque secundum eloquentiam romanam peroravit ut gratior omnibus qui ante se oraverint extiterit, legatusque Alexandri pontificis maximi in Avinionem fuit atque ad Julianum Cardinalem S. Petri integerrimus. Iste constitutus fuit Generalis in capitulo Placentiæ A. D. 1503 in octava die Pentecostes (1) quia tunc obiit provincialis Lumbardiæ. Hic celebravit capitulum Neapolis A. D. 1510 in Pentecoste. Fuit

(1) 11 Junii.

olim in Curia Romana Ordinis procurator generalis. Angliam visitavit A. D. 1504 cum magistris Bernardo de Casa Majori et Alexandro de Venetiis. Et obiit tandem in conventu Neapolitano A. D. 1512 post novem annos sui regiminis. Secundum Ordinis statuta vicarius fuit provincialis Cathaloniæ, per Summum Pontificem vicarius Bernardinus de Senis. (1)

29. Baptista Spagnolus, Mantuanus, Italus natione, doctor Bononiensis insignissimus, theologus, philosophus, astrologus, rhetor et poeta celeberrimus, græcæ, latinæ et hebraicæ (linguæ) peritissimus, vicarius observantiæ super congregationem Italicam (2), ante A. D. 1482 fertur edidisse plusquam quinquaginta libros præter hos quos postea edidit. Post obitum Petri penes statuta provincialis Cathaloniæ convocavit capitulum in Barchinona, quod Bernardinus de Senis Summi Pontificis auctoritate revocavit ad urbem Senensem. Ubi convenientes patres fuerunt Romam citati. Et ibi celebrato capitulo per Leonem Papam decimum fuit in Generalem rogatus frater Baptista præfatus absens, A. D. 1513, præsidente Cardinali Mantuano et Marchione Mantuano obnixius id postulante. Hic præ senectute visitare non potuit nisi per vicarios (3). Rexit tribus annis et obiit Mantuæ ætatis suæ

(1) Bullarium, I. 446.

(2) Nempe annis 1483-5, 1489-91, 1495-7, 1501-3, 1507-9 et 1513-5.

(3) « Mantuanus propter senium non poterat in persona visitare provincias, diversos ergo vicarios ordinavit. Ad Alemanos destinavit viros doctissimos Magistrum Stephanum de Confortis de Brixia et Magistrum Genesium de Cremona. Ad Gallos vero Magistrum Stephanum de Barsignona et Magistrum Paulum Pisanum, et propter Breve apostolicum de triennio in triennium præfatus Franciæ vicarius Magistrum Jacobum Hanault in capitulo provinciali Ypris celebrato 1516 absolvit, ubi electus fuit provincialis Franciæ Mag. Arturus prior Attrebatensis qui præcedente

anno LXXVIII (1) A. D. 1516, 22 Martii miraculis clarus.

30. Bernardinus de Senis, Thuscus natione, de conventu Senarum, doctor utriusque juris et sacræ paginæ, procurator Ordinis in Curia Romana, vicarius generalis et confessor Summi Pontificis Leonis X electus fuit in priorem generalem in capitulo Senensi A. D. 1517 in festo Pentecostes (2). Hic provincias visitavit. Cardinalitium sub Leone refutavit. Et obiit tandem post sex annos sui regiminis A. D. 1523 Romæ in conventu S. Mariæ Transpontinæ honorifice sepultus. Hunc cepit pestis 8 die Martii et 25 vel 26 ejusdem mensis extinxit. Tunc fit vicarius generalis Heliodorus Senensis, ejusdem patris nepos, vir doctissimus.

Heliodorus Senensis natione Thuscus, præfati Bernardini nepos, sacræ theologiæ professor, procurator Ordinis in Curia Romana et provincialis Neapuliæ substitutus fuit Ordinis vicarius per Adrianum Papam Sextum A.

31. Nicolaus Audet, natione Cyprius, in sacra pagina doctor egregius, rhetor et poeta celebris, utriusque linguæ græcæ et latinæ peritissimus, provincialis Terræ Sanctæ, procurator Ordinis in Curia et ejusdem genera-

Quadragesima semper prædicavit coram principe Hispaniarum et archiduce Austriæ &c Karolo nepote imperatoris Maximiliani in famoso oppido Bruxellensi 1515. » (MS. Bodley 73, fol. 117 b). His addi debent magistri Willielmus Brevie et Johannes Byrde qui auctoritate ejusdem Mantuani A. D. 1516 visitationem provinciæ Angliæ perfecerunt.

(1) Baleus primo scripserat « Mantuæ quasi centenarius », quod deinde correxit ut supra. Mantuanus natus est die 17 Aprilis 1447 hora 9 cum 45 minutis, uti habetur MS. Harley 1819, fol. 123a et alibi, et sic vixit fere 69 annos.

(2) 31 Maji.

D. 1523 qui obiit eodem anno in mense Maji. (1) lis vicarius, electus est in magistrum Ordinis generalem A. D. 1524 Venetiis in capitulo generali. Eodem tempore Stephanus Jovensis provincialis Narbonæ conventus Miniatensis credens se vicarium esse per constitutiones retinuit sigillum cum libris Ordinis et convocavit capitulum a Lugduno in Montempessulanum. Et factum est schisma in Ordine et duravit per tres annos (2). Fuit lis hæc coram consilio regis Franciæ per Stephanum præfatum, qui et fecit librum diffamatorium in reformatos de congregatione Albiensi dictos, qui partem Nicolai favebant. Prævaluit tandem pars Nicolai solertia Johannis Rochi doctoris Parisiensis.

Stephanus Jovensis de conventu Miniatensi, doctor Montispessulani et provincialis Narbonæ post obitum Bernardini Senensis fuit generalis vicarius Ordinis per statuta, habens sigillum et libros, a Lugduno in Montem Pessulanum generale capitulum convocavit, A. D. 1524 tempore quo Nicolaus Audet idem fecit Venetiis, frustratur officio A. D. 1527. (3)

32. Nicolaus Audet in sacra pagina doctor (ut fertur) Paduanus, carmen edidit in laudem Scoti. Iste pater post finitum schisma provincias omnes cum debita reformatione visitavit

(1) Johannes Baptista de Parma per Leonem X constitutus fuerat vicarius generalis (30 Martii 1516; cf. Bullarium, I. 457). Sed postea Heliodorus substitutus est (ib. P. 462)

(2) Nicolaus Audet per Breve Adriani VI dat. 27 Julii 1523 instituitur vicarius generalis (Bullarium, II, XIX). Clemens VII declaravit Stephanum nullatenus esse vicarium (Bullarium, II, 5), cassavit capitulum Montispessulanum in quo Stephanus fuerat electus Generalis (ib. P. 10), abstulit jus generalatus ejusdem (ib. P. 16, et iterum P. 20. et P. 34). Annullavit appellationem Stephani (P. 41).

(3) Plura de isto Stephano, de schismate et de incarceratione ipsius in actis capituli generalis anni 1532.

A. D. 1530. Extinctam religionem suscitavit; neglecta studia revocavit, provinciam Scotiæ reformavit rege ad id instigante. Principum favorem nactus ubique reformat, atque commissi gregis rationem reddere cupiens capitulum generale convocavit Paduæ in Italia A. D. 1532. (1)

Sequenti anno scil. Domini 1533 ob enormitates atque detestanda scelera quæ fiebant a clero, non sine consilio Spiritus Sancti degressi sumus a fide Romanæ ecclesiæ ad verum et sincerum Christi evangelium. Fitque juxta verbum Dei illustrissimus Anglorum rex Henricus octavus totius anglicanæ ecclesiæ caput qui novas fecit ordinationes in clero.

33. Georgius Browne, anglus natione, theologus, doctor, et provincialis fratrum Augustiniensium, totius Angliæ A. D. 1533 auctoritate illustrissimi Anglorum regis Henrici VIII abrogata omni forensium jurisdictione factus est generalis præses omnium fratrum mendicantium et Cruciferorum per Angliam, Walliam et Hiberniam, associato sibi Johanne Hylseye doctore et provinciali fratrum Prædicatorum. Parum antea abrogato Romano pontifice cum usurpata sua auctoritate cœpit rex esse juxta Dei verbum ecclesiæ anglicanæ supremum sub Christo caput. Erat iste Georgius vir certe in rebus agendis idoneus et sagax, et duobus fere annis perseveravit in hoc suo officio. Demumque, scil. A. D. 1535 effectus est archiepiscopus Dublinensis in Hibernia et Johannes Hilseye

(1) Rexit plusquam triginta octo annis, nempe usque ad mortem quam 7 Decembri 1562 obiit, sed cum ipse Baleus unacum fere omnibus Carmelitis provinciæ Angliæ in pejus schisma inciderit nonnisi decem annos Audeto tribuit. Cf. Bullarium, II. 55 et 58. Sequentes notitias de Georgio Browne (circa quem vide Gasquet, *Henry VIII and the English monasteris*, II, 243.) et Johanne Byrde omittendas esse non putavi ne truncum maneret opusculum Balei qui nonobstante hæresi et apostasia de re historica Ordinis nostri optime meritus est.

episcopus Roffensis in Anglia eodem anno.

34. Johannes Byrde jam tertio Ordinem gubernat prior generalis Carmelitarum totius Angliæ, Walliæ et Hiberniæ per illustrissimum regem constitutus: et rexit annis fere tribus. Erat vir iste elegantissimæ formæ et doctissimus quidem, sed nimium licentiosus erga sceleratos atque flagitiosissimos nebulones. Ita ut singula sub eo deperierint, ruerint et ad terram usque ceciderint. Pauci tum erant apud hos eruditi et pauciores boni. Propterea justissima Dei ultione finem habuerunt cum ceteris papisticis sectis A. D. 1538 juxta promissum Salvatoris Matth. XV. Omnis plantatio quam non plantavit pater cœlestis eradicabitur. Et Johannes iste per dominum regem factus est primo Pendrethensis episcopus et tandem A. D. 1539 episcopus Bangorensis. Hic scripsit sermones per annum libr. I, et Threnos in obitum Edmondi Berye in Calisia obdormientis in Christo, et alia (1).

Explicit.

(1) Olim prior Calisiæ (tunc ditionis anglicæ), obiit A. D. 1523. Johannes Byrde, Coventriensis, Oxoniæ lauream suscepit anno 1505-6; provincialis Angliæ 1516, eodem anno visitator generalis (vide supra P. 262. n.), et iterum 1522-1534, et ab anno 1535 usque ad omnimodam suppressionem Ordinis in Anglia prior generalis auctoritate regia. Eadem auctoritate fit episcopus Pendrethensis (utpote suffraganeus epi. Landavensis), item Bangorensis 26 Augusti 1539, deinde primus episcopus Cestrensis 4 Augusti 1541; quo episcopatu privatus est 16 Martii 1554. Ultimo hæresi abjurata et repudiata quam duxerat uxore, parochus apud Great Dunmow in comitatu Essexiæ constitutus in unione ecclesiæ catholicæ defunctus est 15 Octobris 1558. Cf. Athenæ Cantabrigienses, sub voce; Dict. of Natl. Biogr. V, 76.

Adnotationes ad tractatum de Prioribus Generalibus

Tandem aggredior difficillimam de vita et gestis antiquorum Ordinis præsulum quæstionem. Notat Baleus in vita Alani quinti prioris Montis Carmeli (1) « Tanta aliquando quorumdam nostratum fuit inertia et tanta scribendi penuria ut omiserint plurium virorum illustrium non solum origines sed et egregia facinora, quæ si scriptis demandassent maximo emolumento nobis ac posteris fuissent et honori ». Quidquid sit de inertia alia mihi occurrit ratio penuriæ de qua juste conquerimur.

A tempore quo Carmelitæ partes occidentales adierunt omne ingenii acumen in herculeum ne dicam tantaleum laborem dirigebant adstruendi, inquam, antiquitatem perpetuamque successionem Ordinis a diebus sancti prophetæ Eliæ et scholæ prophetarum a Samuele conditæ et ab Elia et Eliseo auctæ. Primum hujus laboris vestigium habes in Rubrica prima Constitutionum (2) incipiente « Cum quidam fratres » quæ vicissim S. Brocardo, Petro Raimundi, Johanni Balistario et Johanni de Veneta (3) adscribitur, cum tamen

(1) MS. Selden 41 supra, in fine, in supplemento ad Trissæ catalogum.

(2) Supra P. 20.

(3) De S. Brocardo cf. Speculum Carmel. I, 121, n. 522. De Petro Raimundi MS. Bodley 73, fol. 3a. De Johanne de Veneta cf. Spec. Carmel. I, 202, n. 870. Lezana, Annales, IV, 663. Textus vero qui in Spec. Carmel. Brocardo attribuitur omnium postremus est uti ex additionibus et interpolationibus eruitur. Ibi etiam prima vice citatur opus aliunde omnino incognitum cui titulus *Speculum perfectæ militiæ primitivæ ecclesiæ*, cuidam Josepho diacono Antiocheno adscriptum qui circa a. 1300 vixisse videtur. Nescio qua ratione Possevinus (edit. 1606, II, 277) ipsum a. 130 floruisse autumet cum optime scire debuisset talem auctorem inter patres apostolicos prorsus inauditum esse.

per nescio quod capitulum generale post annum 1247 et ante annum 1274 lata sit. Quod enim anno 1247 posterior sit ex eo eruitur quod bis « Fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmeli » nominentur qui titulus dicto anno primo in diplomatibus pontificiis invenitur ; quod autem anno 1274 antiquior sit, liquet ex eo quod quamvis confirmatio Ordinis et regulæ per bullas et apostolica privilegia in numero plurali exprimatur (qualia annis 1226, 1247, 1256 et 1262 erogata fuerunt), tamen approbatio Concilii Lugdunensis secundi, omnium pretiosissima, adhuc taceatur. Notandum etiam est in illa rubrica ne verbum quidem haberi de regula quam Johannes patriarcha Hierosolymitanus quadragesimus quartus, seu accuratius quadragesimus secundus, dicitur tulisse.

Auctores vero sæculi decimi tertii et decimi quarti fere omnes in eo laborarunt ut prædictam antiquitatem probarent. Argumentum sumentes ex illo loco regulæ ubi dicitur «ut juxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam quam tenere in posterum debeatis » postposita historia sui temporis unusquisque quæ apud varios auctores, utpote Fl. Josephum, Plinium et Eusebium de Essenis, apud Philonem de Therapeutis, apud Tacitum de oraculo in monte Carmeli, apud Jamblicum de Pythagoræ in Carmelum ascensione, apud scriptores ecclesiasticos de Eliæ et Elisei vita et virtutibus religiosis aliaque id genus multa invenerunt ad tuendam sententiam suam in unum collegerunt. Quamvis enim nonnulli medii ævi scriptores hanc Carmelitarum thesim amplexati sint, alii tamen iique non despiciendi eam infitias ibant, ita ut numquam Ordo in pacifica assertionis suæ possessione constitutus fuerit. Hinc factum est ut quasi omne historiographorum nostrorum studium a sæculo decimo quarto usque ad recentiora tempora in exarandis operibus apologeticis consumeretur. Hujusmodi sunt Johannes

de Hildesheim, Johannes de Bacone, Bernardus de Olerio, Johannes de Hornebio, Thomas Bradley, Petrus Bruyne, Johannes de Malinis, aliique non pauci.

Ista circa antiquitatem solertia causa fuit cur auctores nostri multa præterierint quæ nobis scitu dignissima viderentur. Primus tamen qui aliquod scribendæ historiæ initium fecit fuit Johannes Trissa in suis Capitulorum generalium, Priorum generalium et Magistrorum Parisiensium catalogis. Attamem ipse Trissa septem antiquiores Priores Generales, Johannes vero Grossi quatuor sub silentio prætermisit. Sed post conscriptum primum catalogum quem supra edidi ad Johannis Grossi notitiam pervenit liber Philippi Riboti *De peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum*, ex quo sumpsit inter alia ea quæ in libro qui *Viridarium* inscribitur de S. Bertholdo et de S. Brocardo enarrat. Vitam vero S. Cyrilli e legenda breviarii excerpsit, cum festum dicti S. Cyrilli anno 1399, i. e. post conscriptum primum catalogum, sed ante compositionem *Viridarii* institutum fuerit.

Tandem circa annum 1480 renascentibus studiis et scientiis complures auctores præsertim in provincia Alemanniæ inferioris historiæ Ordinis enucleandæ operam dederunt. Sufficit Arnoldum Bostium, Balduinum Leersium, Nicolaum Simonis Harlemensem, Johannem Palæonydorum laudasse. Mirum quantum hi scriptores de antiquitate Ordinis disseruerint. Attamen si inquiras e quibus fontibus hauserint, compellor dicere eos perinde meris conjecturis innixos, sæpe sæpius etiam e proprio ingenio addidisse quæ sibi quidem veri similia videbantur, at certis fundamentis destituebantur. Juvat hic inserere quæ Bostius Palæonydoro scripsit cum *Fasciculus tirmerestus* ad ejus notitiam pervenit : « In eo multa sunt minus placentia ; multa inseruisti quæ meo judicio ex certa scientia fuissent omittenda..... Fratri Nicolao Simonis nimis etiam adhærere videris qui sine fundamento omnes antiquos

monachos et monachas ponit Carmelitas. Utique si ad me venisset ea quæ proponitur ad me epistola Johannis Domini Spanhemensis cum codice tuo (quæ mihi mitti scribitur), multa ejus non probassem, sed consuluissem omittenda esse. Nunc autem correctio omnis est extra tempus (1) ». Ipsemet tamen Bostius plus æquo audax est in asserendo, minus accuratus in probando. Nihilominus tum Lezana tum ceteri qui historiam Ordinis tractarunt Bostium et Palæonydorum fere semper secuti sunt ipsorum auctoritati deficientibus documentis plus æquo confisi. Hinc est quod mihi, quem non minor urget zelus et amor erga Ordinem, gravissimum negotium incumbit a falsis vera et ab incertis certa secernendi, ut futuris saltem Ordinis historiographis viam pandam qua inoffenso pede veram adstruant historiam. De singulis ergo Prioribus a S. Bertholdo usque ad Radulphum de Alemannia breviter dicam quid certi e fontibus erui possit, quidve posteriorum conjecturis attribuendum, quid denique a veritate omnino alienum sit.

I. De S. Bertholdo

Celeberrimam de institutione cœtus eremitarum in Monte Carmelo narrationem habes in libro *De locis sanctis* auctore Johanne Phocæ, monacho græco qui anno 1185 Terram Sanctam perlustravit. Capite XXXI sequentia habet (2):

« Subsequitur mons Carmelus de quo in veteri recentiorique Scriptura plurimus sermo est. Jugatur mons ab ipso maris sinu qui circa Ptolemaidem et Caipham incurvatur, initium ducens et ad Galilææ fines perveniens. In extrema parte jugi qua mare respicit, prophetæ Eliæ spelunca spectatur, in qua angelicam vitæ rationem cum exegisset, mirificus ille vir in

(1) MS. Selden 41 supra, in fine.

(2) Migne, P. G. t. CXXXIII, col. 961. Acta SS. t. I. Aprilis, P. 775. t. I. Maji, P. VIII.

aera sublatus est. Erat eo loci antiquitus habitatio magna ut structurarum vestigia ad hæc usque tempora commonstrant; sed illa tempore quod omnia in senium impellit et gentium variis excursionibus penitus abolita. Verum ante aliquot annos quidam monachus dignitate sacerdos, capillitio albus, e Calabria oriundus (1) ex prophetæ revelatione in montem appellens ea loca, habitationis nempe reliquias, vallo per parvo cinxit et turri exædificata temploque non ingenti extructo fratribusque ferme ad decem collectis etiamnum sanctum illud ambitum colit. »

Μετὰ ταῦτά ἐστι τὸ Καρμήλιον ὄρος, περὶ οὗ πολὺς λόγος παρά τε τῇ παλαιᾷ Γραφῇ καὶ τῇ καινῇ ὑπηγόρευται. Ἔστι δὲ τὸ ὄρος ζυγὸς, ὑπ' αὐτοῦ τοῦ θαλαττίου κόλπου, τοῦ περὶ τὴν Πτολεμαΐδα, καὶ τοῦ Καϊφᾶ κοιλαινομένου ἀρχόμενος, καὶ μέχρι τῶν τῆς Γαλιλαίας διήκει [ἴσ. διήκων] ὁρίων. Περὶ δὲ τὸ ἀκροτελεύτιον τὸ πρὸς τὴν θάλασσαν τοῦ ζυγοῦ, ἔστι τὸ τοῦ προφήτου Ἡλιοῦ σπήλαιον, ἐν ῳ τὴν ἀγγελικὴν πολιτείαν ὁ θαυμαστὸς ἐκεῖνος διατελέσας ἀνὴρ, μετάρσιος γέγονεν. Ἦν μὲν ἐν τῷ τοιούτῳ χώρῳ πάλαι μεγάλη μονὴ, ὡς τὰ νῦν φαινόμενα τῶν κτισμάτων διδάσκουσι λείψανα, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ χρόνου, τοῦ τὰ πάντα γηράσκοντος, καὶ τῆς τῶν ἐχθρῶν ἀλλεπαλλήλου ἐπιδρομῆς, ἠφάνισται τέλεον. Πρὸ δέ τινων χρόνων ἀνὴρ μοναχὸς, ἱερεὺς τὴν ἀξίαν, πολιὸς τὴν τρίχα, Καλαυρηδόθεν ὁρμώμενος, ἐξ ἀποκαλύψεως τοῦ προφήτου τῷ τόπῳ ἐπιδημήσας, ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, ἢ ὡς ἐν τοῖς τῆς μονῆς καταλύμασι θριγγίον πήξας μικρὸν, καὶ πύργον οἰκοδομήσας, καὶ ναὸν ἀνεγείρας μικρὸν, καὶ ἀδελφοὺς ὡσεὶ δέκα συνάξας, νῦν τὸν ἅγιον χῶρον ἐκεῖνον οἰκεῖ.

Nota. Nat. Alex. animadvertit vocem Μονὴ quam Allatius perperam *monasterium* vertit revera *habitationem* significare. Consulas lexica.

Aliud testimonium ejusdem rei idque paullo vetustius invenis in *Itinerario* Rabbi Benjamin de Tudela qui anno 1163 Palæstinam visitavit. « Ex latere uno, ait, Carmel mons immi-

(1) Non sequitur monachum illum e Calabria ortum fuisse sed tantum e partibus occidentalibus advenisse, sicut etiam hodiedum omnes Occidentales in Oriente Franci nuncupantur.

net, ad montisque radices Israelitarum quam plurimorum sepulchra sunt, inque ipso monte prophetæ Eliæ antrum super alta rupe quæ respicit Ptolemaidem contra mare, signum videlicet opportunum navigantibus, juxta quod Christiani sacellum construxerunt sancto Eliæ dictum (1). »

Quo vero anno Bertholdus eremitas prædictos adunaverit, quoque tempore sacellum sancto Eliæ erexerit disputatur. Palæonydorus ex Cyrillo id anno 1121 factum asserit quod tamen omnino rejiciendum est; Lezana cum aliis autumat anno 1141 contigisse, sed neque hoc admitti potest; melius Acta Sanctorum (2), auctor operis *Histoire de l'Ordre* &c et moderni fere omnes annum 1155 assignant, ex eo quod illo anno Aymericus patriarcha Antiochenus, sancti Bertholdi consanguineus Terram sanctam adierit atque Bertholdo in suscepto opere manum auxiliatricem præstiterit.

De quo Aymerico sic legitur in Epistola Cyrilli ad Eusebium: «Erat autem in diebus illis patriarcha Antiochenus et in Terra Sancta Apostolicæ Sedis legatus, vir quidam amabilis Deo et hominibus, nomine Aymericus Malafaida, natione Lemovicensis, de villa appellata Salamiacum... Inter quos (eremitas) ipse fratrem suum habuit, scilicet fratrem Bertholdum perfectum religiosum sanctumque presbyterum, quem de unanimi omnium assensu A. D. MCXXI in primum priorem eis instituit, et cui curam animarum ceterorum injunxit. Et in hoc monte Carmeli in honore beatæ Mariæ Virginis Dei Genitricis (3) monasterium ædificari faciebat, muro alto cir-

(1) Cf. *Histoire de l'Ordre* &c P. 5, n. d. Similiter Radulphus de Coggeshalle, Ord. Cistert. Cf. ibidem P. 5, n. e.

(2) *Histoire de l'Ordre* &c. P. 8.

(3) Nota primum sacellum in honore S. Eliæ dedicatum fuisse, conventum vero a Bertholdo inceptum et per Brocardum completum B. Mariæ Virgini. In litteris Petri Amiliani prioris generalis ad Eduardum I Angliæ regem (A. D. 1282) dicitur: « (Virgo glorio-

culariter circumdatum, in quo quidem includere eos intendebat, sed priusquam hoc monasterium consumasset sustulit eum de mundo Deus... Mortuo primo eorum priore videlicet fratre Bertholdo sub regimine cujus quadraginta quinque annis manserant... (1)». Ea verba mutuantur a Johanne de Veneta (2) et repetuntur a Johanne Grossi (3) ceterisque omnibus. Nihil aliud de S. Bertholdo cognitum est.

Oportet hic aliqua de prælaudato Aymerico addere. Paulo minus clementer quam Cyrillus de ipso judicat Guilelmus Tyrensis. Postquam enim egerat de depositione Radulphi patriarchæ Antiocheni (A. D. 1135-1141) in concilio mensibus Novembri et Decembri A. D. 1141 celebrato (4) addidit : « Clerus vero Antiochenus et maxime qui in depositione domini Radulphi conspiraverunt, instinctu et suggestione principis et maximorum, ut dicitur, munerum elegerunt sibi quemdam ejusdem ecclesiæ subdiaconum, Aimericum nomine, Lemovicensem natione, hominem absque litteris et conversatione non satis honestæ, quem prædictus dominus Radulphus arbitrans eum sibi reddere obligatiorem et fideliorem amplius, in decanum ejusdem ecclesiæ promoverat, spe frustratus. Nam ab ea die cum ejus adversariis dicitur convenisse, et in benefactoris sui, fidelitatis immemor, conspirasse depositionem. Quod autem de ejus promotione factum est, Petrus quidam cognomine Armoinus, ejusdem civitatis castellanus, artibus suis

sa) ad cujus laudem et gloriam Ordo ipse in transmarinis partibus extitit specialiter institutus. » Rymer, Fœdera, t. II. P. 221. Bullarium, t. I. P. 607.

(1) Specul. Carmel. I. 75. n. 300.

(2) Ibid. P. 203, n. 877.

(3) Ibid. P. 133, n. 561.

(4) Reinhold Roehricht, Regesta Regni Hierosolymitani, Œniponti 1899. P. 50, n. 203. Errat Lezana (IV, 25) asserendo Aymericum anno 1137 in patriarcham assumptum fuisse.

et multa munerum profusione dicitur effecisse, et tam clerum quam principem ad id impulisse, eo quod ejus esset consanguineus (1). »

Errat insuper Cyrillus et cum eo quotquot asseruerunt Aymericum fuisse Sedis Apostolicæ in Terra Sancta vel in Syria legatum. Tale munus numquam exercuit, neque de eo sive in diplomatibus pontificiis sive in historiographis contemporaneis (unico Cyrillo excepto) ne verbulum quidem invenitur ; neque credibile est S. Sedem quæ e contra patriarchatui Hierosolymitano ob reverentiam Dominici Sepulchri in detrimentum patriarchatus Antiocheni favebat, totam suam politiam voluisse revocare, quin potius patriarcha Hierosolymitanus cum Aymericus scandalum exortum ob adulterium Boemundi III principis Antiocheni extinguere nequiret Antiochiam se contulit *ne Sedes Apostolica legatum mitteret* (2). Non est igitur verum Aymericum ullam jurisdictionem in Terra Sancta possedisse ; quod si revera Bertholdo consanguineo suo in instituenda congregatione in Monte Carmeli auxilio fuerit, amicitiæ ergo, non vi alicujus juris id egit. Non enim defuit sibi occasio invisendi Bertholdum. Cum Rainaldus de Castellione princeps Antiochiæ viduam Raimundi prædecessoris sui uxorem duceret res displicuit patriarchæ ; inde verba et odia nata sunt : « motus in indignationem princeps patriarchæ violentas injecit manus, ipsumque captum in castellum deduci fecit, quod satis videtur abominabile sacerdotem longævum, Petri apostolorum principis successorem, virum ægrotativum, pene perpetuo infirmantem, nudo capite et melle delibuto per diem æstivum in sole ferventissimo compulit sedere, nemine contra solis importunitatem præbente remedium, vel gratia pietatis mu-

(1) Gulielmus Tyrensis, Migne, P. L. t. CCI, col. 630.
(2) Ibid. col. 852-855.

scas abigente ». Quod cum rex Hierosolymitanus audiret viri dementis admirans insaniam, misit nuntios principi ut Aymericum libertati redderet bonaque ipsi erepta restitueret. Denique patriarcha deserens diœcesim, Hierosolymam se contulit ubi benigne exceptus per aliquot annos remansit (1). Acta sunt hæc anno 1154 et 1155. Anno vero 1157 « quia Hierosolymitanus electus patriarcha consecrationis suæ munus nondum obtinuerat, asciscitur de mandato regio Antiochenus patriarcha Aymericus qui et reginæ unctionis gratiam regiæ conferret et conjugii usitata solemnia celebraret » (2). Sunt qui dicunt ipsum usque ad captivitatem Rainaldi, i. e. usque ad annum 1160 in sancta civitate remansisse, quod non est improbabile (3). Concludo ergo Aymericum inter annos 1155 et 1160 Bertholdum visitasse, eoque tempore ipsi in congregationis institutione auxilio fuisse. Adhuc inter vivos erat mense Septembri anni 1187 quo scripsit ad regem Henricum Angliæ de obsessione civitatis Hierosolymitanæ et de captivitate Balduini V regis (4). Videtur paulo post mortem obiisse.

Quamvis Epistola Cyrillo adscripta de institutione conventus Antiochiæ taceat, Gulielmus de Sanvico affirmat Aymericum « nonnullos eorum (eremitarum) in solitudinem montis Neroi, qui alio nomine Montana nigra appellatur, duxisse, ubi in antris absconsam vitam Domino servabant. » (5) Et alibi: « Antiochiæ professores hujus religionis ædificaverunt solemne monasterium sui Ordinis. » Ac de Monte Neroi: « In hu-

(1) Ibid. Col. 707.

(2) Ibid. Col. 734.

(3) Cf. *Histoire de l'Ordre* &c. P. 8.

(4) Roehricht, Regesta. P. 176, n. 664. Migne, P. L. t. CCI, col. 1403. Cf. Historia chronologica patriarcharum Antiochensium in Act. SS. t. IV Julii, P. 138.

(5) Specul. Carmel. I, 96, n. 402.

jus montis solitudine ædificaverunt fratres nostri Ordinis et habuerunt suæ religionis monasterium » (1). Deinde narrat quomodo hæc monasteria diruta sint. « Qui (Infideles) cum potestate magna contra nobilem civitatem Antiochiæ venientes et eam obsidentes tandem anno Domini 1267 (2) eam vi armorum ceperunt; in qua innumerabilium Christianorum sanguinem effundentes non solum solemne monasterium quod fratres hujus religionis in ea habebant, sed totam civitatem in solitudinem redegerunt. In eadem quoque tempestate perdiderunt fratres hujus religionis monasterium Montanæ nigræ, quod ab infidelibus fuit dirutum » (3).

Hæc vero non modicam parunt difficultatem. Quamvis enim abbatia S. Georgii in Montana Nigra ordinis Cisterciensium frequenter in chartis nominetur (4), de conventu Carmelitarum tum Antiochiæ tum in monte Neroi numquam sermo fit neque in diplomatibus neque apud scriptores illius temporis. E contra Fratres Minores dicuntur ab anno 1210 parvulas cellas ac cavernas e rupe excisas inhabitasse (5). Ceterum non est impossibile Carmelitas in ruinis abbatiæ sibi habitaculum præparasse.

Juniores Ordinis nostri auctores multa de vita et gestis S. Bertholdi narrant quæ tamen certo fundamento carent. Hujusmodi est assertio ipsum Parisiis sacris litteris operam de-

(1) Ibid. P. 97, n. 409.

(2) Rectius 18 Maji 1268. Cf. Roehricht, Regesta, P. 355, n. 1358.

(3) Specul. Carmel. I, 104, n. 447.

(4) Roehricht, Regesta, P. 172, n. 649. Et in additamento, P. 43 sub eodem numero (ubi etiam habetur bibliographia.) Destructa fuit abbatia anno 1188.

(5) Cf. Berlière, *Die alten Benedictinerkloester im hl. Lande* (*Studien und Mittheilungen aus dem Benedictiner-und Cistercienser Orden*,) t. IX, 1888, P. 491 ubi citatur Rey, *Chroniques franques*.

disse ibique lauream doctoratus accepisse, quod est manifestus anachronismus; pariter ipsum usque ad centesimum decimum quintum annum vitæ pervenisse eo minus admitti potest, quod præter affirmationem auctoris Epistolæ Cyrilli quod quadraginta quinque annis conventui montis Carmeli præfuerit, et præter conjecturam secundum quam circa annum 1155 primo eremitas adunaverit, nihil e fontibus hauriendum est unde chronologia determinetur. Neque de ipso ejus nomine consentiunt. Præterquam quod tum Baleus tum antiqua breviaria forma nominis *Bartholdus* utantur, Martinus Personæ Italus (1) eum *Barrolidum* nominat.

Festum S. Bertholdi sub ritu duplici primo invenitur in provincia Angliæ circa annum 1525 (2), probabiliter non vi alicujus decreti sed ex devotione celebrandum; deinde per capitulum generale anni 1564 præscriptum fuit pro 29 Martii, ac denique in reformatione librorum choralium anno 1584 peracta S. Rituum Congregatio cultum approbavit.

2. De S. Brocardo.

Brocardi theutonicum nomen valde usitatum est atque hominem occidentalem designat, unde nullatenus admitti potest (uti recentiores auctores asserunt) eum fuisse Hierosolymis natum, Hebræum genere, Hebræorum doctorem, linguis hebræis et græcis peritissimum &c, quæ omnia per conjecturam eamque parum probabilem, partim omnino improbabilem dicunt. Unicus enim fons unde aliqualem notitiam

(1) MS. Selden 41 supra, in principio, et ibidem in fine in additamento ad Trissæ catalogum.

(2) In MS. Univers. Cantab. Ff. 6. 28. Fol. 19b (dies non assignatur). In additionibus manuscriptis ad Breviarium Venetianum anni 1504 (in exemplari Musæi Britannici) habetur Bertholdus, die 10 Martii; item in Missali Venetiano 1574 et Breviario 1579 Bartholdus ad 29 Martii.

de vita et gestis Brocardi haurire licet, habes in sæpe citata Epistola Cyrillo attributa ubi sequentia invenies :

« Processu autem temporis, mortuo primo eorum priore, videlicet fratre Bertholdo, sub regimine cujus quadraginta quinque annis manserant, perplexitas magna eorum animos invasit de successore ejus instituendo, de cujus institutione nullam certam formam prædictus patriarcha Aymericus morte præventus eis reliquerat. Tandem post lapsum temporis fratrem Brocardum virum perfectum unanimiter præficientes, ei omnes obedientiam promiserunt, sub regimine cujus triginta tribus (1) annis permanserunt. Quo eis præsidente, patriarchæ Jerosolymitano Domino Alberto proposuerunt, quod a tempore quo prædictus Patriarcha Aymericus eos omnes sub cura unius prioris per obedientiæ vinculum colligaverat, ipsi desideraverant vivere inclusi in monasterio sub observantia religiosæ vitæ solitariæ per Eliam prophetam institutæ ; qui licet per eorum institutionem essent certi qualiter unusquisque eorum singulariter degens deberet ad perfectionem et finem vitæ solitariæ tendere : quia tamen proponebant in hoc Carmelo includi in monasterio in quo nequaquam fuerant adhuc inclusi, ideo priusquam in eo includerentur obnixe requirebant a prædicto patriarcha Alberto, ut juxta propositum eorum traderet eis de quibusdam articulis per eos tunc sibi oblatis, conversationi monasterii necessariis, brevem vitæ formulam quam tenere in posterum deberent. (2)»

Deinde sequuntur varia capita super quibus eremitæ certiores reddi postulabant, et ultimo ipsa regula ab Alberto redacta.(3)

Ex dictis eruitur Brocardum fuisse immediatum Bertholdi

(1) Alibi habetur viginti tribus. Cf. Lezana, Annales. IV, 244.

(2) Speculum Carmel. t. I. P. 75, n. 301.

(3) Ibid. P. 78-80. Et in Bullario, I. 2-4. Subscribitur *Ex Ac-*

successorem, ipsumque regulam ab Alberto impetrasse, quæ etiam regula ipsi directa fuit, uti in principio et in fine regulæ explicite dicitur. Albertus Vercellensis in patriarcham Hierosolymitanum per Innocentium III die 17 Februarii 1205 evectus est, sed variis negotiis detentus nonnisi versus finem ejusdem anni transfretavit; dum processioni in festo Exaltationis S. Crucis anno 1214 interesset, a quodam homine quem de suis excessibus correxerat interfectus est. Quo vero præcise anno regulam tulerit non liquet; ob rationes intrinsecas a variis proponitur annus 1210.

Asserunt Thomas Bradley, Bostius et Palæonydorus Brocardum fuisse latorem epistolæ Innocentii III ad Saphadinum (Mâlik al-Muazzam) soldanum Damasci, qua ipsum obsecravit ne propter violentam detentionem Hierosolymæ plus adhuc effunderetur sanguinis, et ut Terram Sanctam Sedi Apostolicæ redderet. Addunt Bostius et Palæonydorus Brocardum soldani proregem in Jordano a lepra curasse, baptizasse et tandem in Carmelum duxisse ibique habitu religionis induisse. At cum nemo eorum qui de legatione illa tractant neque ullus e nostris ante Bradley et Bostium eam Brocardo attribuerint, ac ceterum improbabile sit Albertum pro tali negotio eremitam deputasse, exiguam mihi hæc videntur mereri fidem (1).

Satis probabile est Brocardum circa annum 1200 in priorem Carmeli electum fuisse atque, uti habet epistola Cyrilli,

con, Idibus Januarii 1171, quod saltem quoad annum manifestus est error.

(1) Cf. Roehricht Regesta, P. 232, n. 864, ubi etiam invenies historiam hujus legationis cum bibliographia locupleti. Johannes archiepiscopus Cefaludensis refertur soldanum Damasci visitasse. De Brocardo inter tam frequentes auctores eadem de re altum tenetur silentium. Laudandus quidem est zelus Bostii et aliorum qui quæcumque Ordini honorifica putabant audacter asseruerunt, sed imitandus non est.

triginta tres annos gubernasse. Quod autem Baleus dicit Brocardum per Albertum in sanctorum canonem relatum fuisse figmentum est, tum quia fuisset ultra vires patriarchæ, tum quia Brocardus Alberto superstes remansit. Quod autem ait Nicolaus Simonis Harlemensis Brocardum archiepiscopo Cæsariensi et magistro Templariorum a consiliis fuisse, cum gratis affirmetur gratis negatur. Baleus inter opera Brocardi enumerat statutum *Quoniam ex præcepto* de quo supra egi (1); Canonem sui Ordinis *Multifarie multisque modis* (i. e. ipsam regulam quæ tamen Alberti opus est) : ac exhortationem ad fratres lectum moribundi circumstantes, quæ incipit *Filioli mei vocavit nos Deus* et habetur in legenda breviarii. Alii insuper Brocardo attribuunt capitulum *Cum quidam fratres*, quod supra demonstravi post ejus tempus, nempe post annum 1247 et ante annum 1274 compositum fuisse (2).

Cultum S. Brocardo reddendum esse primo constituit capitulum generale anni 1564, et S. Rituum Congregatio anno 1628 approbavit.

Cum in regula per Albertum lata ne verbulum quidem inveniatur de gubernio aliorum præter Montis Carmeli conventuum, et cum Sanvicus ante Albertum illius tantum memoretur conventus quem Aymericus refertur fundasse in Montana Nigra prope Antiochiam (Epistola Cyrilli etiam de hoc tacente), sequitur ante annum 1210 quo regula scripta fuisse creditur, nullum alium conventum extitisse. « Ex tunc vero juvante munificentia virorum nobilium et largitate hominum fidelium cœperunt dicti religiosi in diversis eremis et urbibus Syriæ monasteria suæ religionis similiter con-

(1) P. 214.
(2) P. 267.

struere apta et commoda ad vitam solitariam in eis observandam » quorum nobiliora deinde pergit enumerare (1). Ludolphus de Suchem qui circa annum 1350 Terram Sanctam visitaverat, affirmat fuisse numero fere quindecim (2) quorum tamen aliqui ne nomine quidem noscuntur.

Imprimis mihi agendum est de conventu in ipso sacro monte constituto. Recolat lector quæ supra ex Johanne Phocæ de S. Bertholdi instituto, et e Benjamin de Tudela circa capellam S. Eliæ tradita sunt (3). Jacobus de Vitriaco « alii, inquit, ad exemplum et imitationem sancti viri et solitarii Eliæ prophetæ in monte Carmelo et maxime in parte illa quæ supereminet civitati Porphyriæ quæ hodie Caiphas appellatur, juxta fontem qui fons Eliæ dicitur, non longe a monasterio beatæ virginis Margaritæ (4), vitam solitariam agebant in alvearibus modicarum cellularum tamquam apes Domini dulcedinem spiritualem mellificantes (5) ». Circa idem tempus, i. e. anno 1211 Willibrandus de Oldendorpa scripsit « Super Caipham urbem directe jacet Carmelus in quo hodie monstratur mansio Eliæ et honoratur ; in quo loco quotidie missarum solemnia celebrantur (6) ». Conventum istum in honorem S. Eliæ tempore Aymerici et S. Bertholdi inceptum, S. Albertus teste Sanvico (7) auxit « secundum formam figuræ in prædicta regula descriptæ », i. e. cum cellulis eremitarum hinc inde sparsis, muro circumdatis, atque oratorio in medio ædificato ; dedicatus vero fuit B. V. Mariæ, atque religiosi qui antea Eremitæ de

(1) Specul. Carmel. I, 97, n. 408.
(2) *Palestine Pilgrims' Text Soc.* (edit. angl.) P. 63.
(3) P. 269.
(4) Monachorum græcorum.
(5) Hist. Or. cap. 52.
(6) *Histoire de l'Ordre*, P. 19, n. p.
(7) Specul. Carmel. l. c.

Monte Carmeli dicebantur, exinde Eremitæ Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli nuncupantur (1). In opere *Citez de Jherusalem* sequentia invenis :

« Prope abbatiam S. Margaritæ in latere ejusdem montis (Carmeli) delectabilis locus invenitur ubi eremitæ latini habitant qui dicuntur Fratres de Carmelo ; ibi est parva ecclesia Beatissimæ Virginis ; in illo territorio superabundat aqua bona scaturiens e rupibus. Abbatia Græcorum ab eremitis latinis distat per unam leucam cum dimidia » (2).

Anno 1226 prior et fratres eremitæ de Monte Carmelo impetrarunt ab Honorio III approbationem regulæ per S. Albertum latæ (3), et similiter anno sequenti facultatem dispensandi super apostasia et irregularitate ante ingressionem religionis contracta (4). Die 6 Aprilis 1229 Gregorius IX prohibet « ne in proprietatem de cetero eremi vestræ loca vel possessiones seu domos aut redditus alios recipiatis ullo modo, vel præsumatis habere, præter asinos masculos et aliquod animalium seu volatilium nutrimentum (5) ».

Johannes de Veneta (6) refert miraculum (quod postea B. Baptista Mantuanus versibus exornavit) de fonte S. Eliæ quem dicit fratribus absentibus exsiccari, ipsis revertentibus de novo stillare consuetum. Infidelibus civitatem Accon ob-

(1) *Histoire de l'Ordre*, P. 5. Bullarium, I, 4.

(2) Secunda pars operis « *Citez de Jherusalem* » conscripta circa annum 1220. *Palestine Pilgrims' Text Soc.* (edit. angl.) P. 31.

(3) Bullarium, I. 1. Festum Commemorationis solemnis B. V. M. post annum 1376 et ante 1386 institutum fuit in gratiarum actionem pro hac approbatione.Cf. legendam breviarii « Inviolabilis antiquitatis » et opusculum meum « *The Origin of the Scapular* » P. 36.

(4) Ibid. P. 4.

(5) l. c.

(6) Speculum Carmel. I. 204, n. 882. Mantuani Fastorum libr. 8.

sidentibus ac ceteros fontes vel obstruentibus vel venenantibus Christiani eremitas in Montem Carmeli unde fugerant reduxerunt ac statim fons scaturire incepit, et sic exercitus antea in summo vitæ discrimine constitutus periculo ereptus fuit. « Quod multi Christiani diversarum nationum videntes propter miraculum quod Christo placuit facere ad preces fratrum Genitricis suæ, in diversas mundi partes secum adduxerunt, fundantes eis mansiones in honore suæ advocatæ Virginis Mariæ ». Tacente Johanne fontem unde hanc relationem hauserat mihi videtur magnam fiduciam non mereri, tum quia temporum circumstantiis parum convenit, tum quia Gulielmus de Sanvico unicus testis quasi contemporaneus eam ignorat.

In fine Aprilis anni 1241 Ricardus comes Cornubiæ cum baronibus Ricardo Grey et Johanne de Vescy ac multis equitibus Carmelum petierunt et aliquos anglicæ nationis fratres secum in Europam duxerunt. Hac de re postea in vita S. Simonis Stock acturus sum.

« Vinea domus S. Eliæ de Carmelo » memoratur in diplomate Garciæ Alvarez anni 1250 (1).

Paulo post, i. e. anno 1254 S. Ludovicus Francorum rex sex fratres secum e Monte Carmeli Lutetiam Parisiorum duxit. Sanvicus testis oculatus sic rem narrat : « Postmodum vero audita morte reginæ matris suæ baronum suorum consilio redire in Franciam acquievit. Et dum esset in mari tertia nocte prope diluculum navis deferens regem retrocedendo ad Biralassum, juxta montem Carmeli bina impulsione tam fortiter est collisa, quod a nautis et aliis fracta et protinus submergenda credebatur. Tanta ergo concussione excitati et perterriti clerici et alii sanctum regem genibus flexis

(1) Roehricht, Regesta, P. 313, n. 1189. *Histoire de l'Ordre*, P. 46.

Deum devote orantem invenerunt; cumque omnes submergi indubitanter crederent, campanam monasterii fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli pro matutinis dicendis sonantem in auribus suis resonare senserunt. Qua audita pius rex cujus loci campana esset navarchum diligenter interrogans, eam esse monasterii fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli ex navarchi responso percepit. In devotione ergo Genitricis Dei accensus rex ejus monasterium tunc visitare promisit, si ipsa ab illa gravi tempestate eum cum aliis liberaret. Tranquillitate ergo ejus meritis et precibus in mari subito facta Beata Maria eos a prædicto mortis periculo liberante, mox mitis rex in montem Carmelum ascendens matutinas fratrum magna cum devotione audivit.

« Quibus dictis pius rex locum illum humiliter contemplans ac prædictorum fratrum titulo beatæ Mariæ Virginis in toto orbe terrarum quoad ordines approbatos singulariter insignitorum fama laudabili et religiositate permotus quosdam eorum natione gallicos a priore (1) dicti monasterii postulavit, qui ideo desiderabant sanctum regem sequi et fugere de loco illo ante faciem persequentium paganorum, quia propter graves paganorum incursus frequenter oportuerat eos hactenus monasterium illud deserere et se interdum in saltu montis Carmeli abscondere, interdum vero in civitate Cayphas se includere. Quos numero sex a priore sibi concessos rex secum in Franciam duxit, et eis in civitate sua Parisius monasterium ædificavit (2). Qui alios ad suam religio-

(1) « G. prior Carmeli » memoratur in diplomate 1 Junii 1254. Cf. Roehricht, Additamentum, P. 74, n. 1215 a.

(2) Joinville narrat S. Ludovicum fratribus Carmelitis providisse, ac habitationem prope Sequanam in regione dicta Charenton emisse, domum construxisse ac vestimenta, calices et cetera omnia ad cultum Dei necessaria donasse (L. I. P. 381). Magister Robertus de Duaco per testamentum (18 Maji 1258) legavit fratribus de

nem recipientes in diversis Franciæ et Alemanniæ partibus monasteria sui Ordinis paulatim construxerunt. » (1)

Anno 1261 plures ecclesiæ Ordinis in Palæstina (Syria) et Cypro de novo ædificatæ vel saltem renovatæ dedicandæ erant, quamobrem Alexander IV indulgentiam unius anni et duarum quadragenarum iis omnibus concessit qui in ipsa dedicationis die prædictas ecclesias devotionis causa visitaverint. (2) Mandavit etiam patriarchæ Hierosolymitano ut fratres Carmelitas in ejus patriarchatu constitutos non permittat indebite molestari. (3) Die vero 19 Februarii 1263 Urbanus IV centum dies Indulgentiæ ad quinquennium concessit Christifidelibus qui eleemosynas erogaverint pro monasterio in Monte Carmeli ædificando, « quod cum opus sumptuosum

Monte Carmelo centum solidos (Denifle, Cartular. Univ. Paris I, 374.) Mense Februarii 1260 Johannes prior S. Eligii Parisiis concessit fratribus Ord. B. Mariæ de Monte Carmeli ut domum quamdam in parochia S. Pauli a Philippo Buketyn emptam libere possiderent. (Ibid. P. 409) Sed cum etiam locus iste in Campo dicto *au Plâter* nimis distans a ceteris collegiis esset, frater Symon de Corbeia provincialis Franciæ obtinuit anno 1309 domum quamdam in platea *Maubert* a Philippo IV, et aliam anno 1317 a Philippo le Long, quo, accedente concessione Summi Pontificis, sese anno 1318 vel sequenti receperunt (Cf. Denifle in *Archiv fuer Literatur- & Kirchengeschichte*, V, 367). Inde controversia cum abbate S. Genovefæ orta est quam Johannes XXII decano, archidiacono et cantori ecclesiæ Parisiensis decidendam remisit (6 Junii 1321. Cf. Bullarium, I. 548). Demum Clemens VII concessit Carmelitis ut emerent domum conventui contiguam pertinentem ad abbatem S. Genovefæ ac olim collegio regni Daciæ traditam (7 Maji 1383. Denifle, Cartular. III, 317).

(1) Specul. Carmel, I, 102, n. 438 sqq.

(2) Bullarium, I. 21.

(3) Ibid. P. 22.

esset ad ipsius consummationem fratrum facultates non suffecerunt. » (1)

Concilium Lugdunense anno 1274 Carmelitarum Ordinem « in solito statu permanere » indulsit, sed cum hæc ipsa expressio ambiguitatis notam præseferret prælati quidam Terræ Sanctæ necnon magistri Hospitaliorum ac Templariorum Summum Pontificem supplicavere quatenus omni vacillatione remota Ordinem simpliciter approbare dignaretur ut fratres dona uberius suscipiant solitæ charitatis (2).

Anno 1283 monasterium Saiadj et Mar Elias cum pluribus casalibus in Carmelo sitis memorantur in treuga inter soldanum Ægypti et principes Christianos (3).

Eodem anno frater Burcardus Ordinis Prædicatorum sacrum montem visitavit sicut ipse refert : « illic est fons ubi prophetarum filii habitabant : nunc autem inhabitant fratres Ordinis Carmelitarum, fuique cum eis ibidem » (4).

Paulo post tota Palæstina Carmelo nequaquam excepto in manus infidelium incidit. Sanvicus destructionem conventus nostri primarii et fratrum excidium hisce verbis refert : « De qua (i. e. civitate Accon) egredientes et ad sanctum montem Carmeli qui ab ea non longe distat ascendentes, monasterium Ordinis fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli ibidem commorantium, de quo ego nuper ad Accon perrexeram (quod frequenter invaserant sed numquam destruxerant) tunc igne cremaverunt et omnes fratres ibidem repertos et *Salve Regina* cantantes gladio trucidaverunt. Et sic religio ista fuit de

(1) Ibid. P. 28.
(2) Specul. Carmel. I, 115, n. 500 sqq.
(3) Roehricht, Regesta, P. 379, n. 1450.
(4) *Palestine Pilgrims' Text Soc.* (edit. angl.) XII, 94.

provincia Phœniciæ et per consequens de tota Terra Sancta prorsus eradicata » (1).

Decursu sequentium temporum semel tantum videtur Ordo operam dedisse ad recuperandum Carmelum. Ita enim legi apud Baleum qui tamen fontem narrationis non exprimit : « Quidam religiosi montis Syon retulerant quod quatuor vel quinque fratres Carmelitæ Itali supplicabant soldano pro reparatione Montis Carmeli, sed non potuerunt in hoc proficere » (2). Non dicit quo anno contigit.

Plures vero devotionis causa Terram Sanctam adierunt, ex quibus sequentes ad meam notitiam pervenerunt.

Johannes Beroensis vel Andegavensis Cardinalis S. Marcelli, protector Ordinis, (3) qui capitulo generali obedientiæ Clementistarum anno 1384 præsidebat, relicta Curia dicitur Carmelum accessisse ibidemque demum quievisse.

Frater Jordanus de Mantua Terram Sanctam visitavit (4).

Nicolaus Huen, Normannus, de conventu Pontis Audomari, doctor theologiæ Rhotomagensis, reginæ Franciæ Carolæ quondam confessor ac capellanus, vir tam in divinis quam

(1) Specul. Carmel. I, 105, n. 448. Ecclesia vero non videtur incendio destructa fuisse cum anno 1489 Gulielmus cives Harlemensis eam adhuc viderit ; testudinem ejus interiorem retulit esse opere mosaico depictam ; dixit non vidisse se majorem. Specul. Carmel. I, 261, n. 1079.

(2) MS. Bodley 73, fol. 17 b.

(3) MS. Harley 1819, fol. 87 b. « Et quidam alius (Cardinalis) qui tempore schismatis accessit ad Carmelum et ibi obiit. » Ibidem (fol. 81 b) eum Raimundum Burcensem vocat et Ordinis Carmelitarum fuisse asserit ; probabiliter erat confrater Ordinis. MS. Harley 3838, fol. 190 a.

(4) MS. Bodley 73, fol. 120 b. Bibliotheca Carmelitana (II, 150) asserit eum anno 1486 cum Johanne Fritag de Dusseldorpa et Petro Fabri Palæstinam visitasse. Cf. Speculum Carmel. I. 261, n. 1079.

humanis scientiis eruditus, ingenio probus, eloquio disertus, cosmographus et historicus præcipuus, terram Palæstinæ adjunctis sibi comitibus propriis calcavit pedibus; Mag. frater Galfridus Reclus venerabilis prior conventus supradicti et doctor in s. pagina associatis sibi quibusdam fratribus præfatum magistrum Nicolaum tria milliaria conduxit 20 die Aprilis anno 1487. Nicolaus in Franciam reversus scripsit ad nobilissimam tunc Galliæ reginam Margaretam libros duos cum imaginibus et picturis :

1. Itinerarium Terræ Sanctæ. Incip. Sancta ac salutaris progressio necnon meritoria peregrinatio.

2. De monte Sinai. Incip. Historiis sacris revolutis, quos apud Jacobum Herenberck alemannum imprimi fecit, ac etiam in gallicum vertit. (1).

Johannes Fritag ex Dusseldorpa oriundus, doctor Coloniensis, prior Moguntinus (1470), Coloniensis (1472), Trevirensis (1474) ac demum Argentinensis. Obiit Argentoraci anno 1494. Scripsit

Itinerarium Terræ Sanctæ, incip. In terra promissionis, non minus suave quam utile dum personaliter eadem loca devote visitavit. (2).

Petrus Faber, Hollandus, lector Schonhoviensis, scripsit Itinerarium Palæstinæ. Claruit circa 1480. (3)

Non debet prætermitti Johannes de Paesch (Paschasius), doctor Lovaniensis, prior Mechlinensis per quadraginta annos et amplius, qui obiisse fertur anno 1538. Quamvis ipsemet Terram Sanctam numquam visitasset tamen libro

(1) MS. Harley 3838, fol. 219 a. Bodley 73, fol. 20b. Bibliotheca Carmel. II, 492. Cf. Ulysse Chevalier, *Notre Dame de Lorette*, Paris, 1906 P. 70.

(2) MS. Harley 3838, fol. 220 b. Biblioth. Carmel. I, 848.

(3) MS. Harley 3838, fol. 225 a.

Een devote maniere om gheestelyck Pelgrimagie te trecken (post mortem auctoris anno 1563 per Petrum Calentyn Lovaniæ edito) hodiernam Viæ Crucis seriem stationum primus adumbravit (1).

Denique addendum Carmeli montem anno 1631 a Carmelitis Discalceatis recuperatum adhuc ab ipsis inhabitari. (2)

In civitate Acconensi (Ptolemais) teste Sanvico (3) « ædificaverunt Carmelitæ solemne monasterium. » In capitulo Messanensi anni 1259 recordantur quamplures fratres Terræ Sanctæ, specialiter conventus Acconensis (4). Alexander IV (25 Martii 1261) eos contra molestationem episcopi Acconensis munivit ipsisque indulsit ut haberent oratorium cum ecclesia, campanili et unica campana, necnon cœmeterium, et ut divina celebrarent (5). Anno 1264 Saliba cives Acconensis fratribus Carmeli (inter multos alios) quinque bisantios legavit (6). Anno 1273 fratres Jacobus et Dominicus Carmelitæ Acconenses testes adhibentur in aliqua transactione inter Thomam thesaurarium Hospitalis Acconensis et Ricardum anglicum ejusdem oppidi civem (7). Demum anno 1291 Saraceni civitatem istam cum conventu Carmelitarum devastaverunt, fratres vero inter quos erat Gulielmus de Sanvico, per mare evaserunt (8).

Tyrensis conventûs fundationem Sanvicus hisce refert ver-

(1) Ibid. fol. 241 a. Biblioth. Carmel. II, 67. Cf. Herbert Thurston, S. J. *The Stations of the Cross*. London. 1906.

(2) Ludovicus a S. Theresia. *Annales des Carmes Déchaussés de France* (nova edit. Laval, 1891) II, 584 sqq.

(3) Specul. Carmel. I. 204 sqq. n. 882 sqq.

(4) Supra P. 203.

(5) Bullarium, I. 23.

(6) Roehricht, Regesta, P. 349, n. 1334.

(7) Ibid. P. 362, n. 1391.

(8) Specul. Carmel. I, 105, n. 448.

bis : « In hac civitate ædificaverunt etiam dicti fratres et habuerunt monasterium suæ religionis » (1). Quo vero pacto conventus fundatus fuerit liquet ex bulla Urbani IV (5 Augusti 1262) qua Carmelitas patriarchæ Hierosolymitano tunc temporis Tyri residenti subjecit « non obstante conventione inter vos et bonæ memoriæ Tyrensem archiepiscopum super vestra subjectione habita, in qua promisisse noscimini nullam impetrare exemptionem, vel uti ab aliquo impetrata, sub apposita pœna, videlicet quod idem archiepiscopus si secus per vos fieret, posset locum in quo in Tyrensi civitate degitis, recipere, ac vos exire teneremini locum ipsum, aut confirmatione super hoc a Sede Apostolica impetrata, quas penitus revocamus » (2). Sanvicus refert destructionem conventus Tyrensis per infideles ad annum 1289, biennio ante expugnationem civitatis Acconensis, at in hoc errat. Eodem nempe die quo Accon capta fuit Tyrus expugnata est (3). « Proinde, ait, contra Tyrum ascendentes (Saraceni) munitissimam civitatem illam eodem anno (i. e. ac Tripolim de qua tractaverat) cœperunt, in qua multorum Christianorum sanguinem effundentes civitatem illam cum monasterio hujus religionis quod in ea erat, destruxerunt » (4).

Ex eo quod Sanvicus dicit ante portam civitatis Sareptæ, quondam gloriosæ nunc autem vix octo domos habentis, Carmelitas olim ædificasse capellam ad honorem Virginis Mariæ quæ adhuc extat in eodem loco quo Elias obviavit mulieri viduæ apud quam in Sarepta mansit et cujus filium

(1) Ibid. P. 97, n. 408.

(2) Bullarium, I. 523.

(3) Roehricht, Regesta, P. 393, n. 1512. *Histoire de l'Ordre*, P. 91, n. zzz.

(4) Speculum Carmel. I, 105, n. 447.

Jonam (1) a mortuis resuscitavit, quidam opinati sunt ibidem fuisse conventum Ordinis (2). At neque ex ipsius verbis neque aliunde id erui potest. Turriculum S. Eliæ ibi extructum, ait Hieronymus Paulam ingressam fuisse quasi locum devotionis (3), atque de eo frequens est sermo in relationibus peregrinorum et Crucesignatorum (4).

In civitate Tripoli « habuerunt monasterium suæ religionis prædicti fratres, et aliud ad tres leucas inde distans versus Orientem prope montem Libani quod propter pulchritudinem loci *Belli loci* nomen adeptum est » (5). De neutro aliquid amplius ad nostram pervenit notitiam nisi quod anno 1289 per infideles diruta fuerunt. In capitulo anni 1318 frater Nicolaus de Tripoli egit provincialem Terræ Sanctæ, i. e. Cypri.

Idem Sanvicus deinde agit de conventu Hierosolymitano. « Verumtamen juvantibus devotis peregrinis Christianis Sepulchrum Domini visitantibus ædificaverunt sibi in eadem provincia (Palæstina) in regione Judææ et habuerunt monasterium suæ religionis in civitate sancta Jerusalem, quæ a monte Carmeli distat per triginta duas leucas versus Austrum ». Et infra : « in diebus autem illis (scilicet post cladem apud Gazam anno 1244) nulla audebat fieri peregrinatio Christianorum ad Sepulchrum Domini, propter quod fratres

(1) Teste S. Hieronymo (Præfat. in Jonam) juxta traditionem Hebræorum filius viduæ Sareptanæ erat propheta Jonas, quod tamen improbatur ex eo quod Jonas fuit Hebræus, mulier vero illa gentilis. Cf. Cornelium a Lapide ad III Regum XVII, 17.

(2) *Histoire de l'Ordre*, P. 28.

(3) Migne, P. L. t. XXII, col. 882.

(4) Fulcher. Carnot. P. L. t. CLV, col. 850. Fretellus, ibid. col. 1041. Guilel. Tyr. t. CCI, col. 400 &c.

(5) Specul. Carmel. I, 105, n. 448.

hujus religionis qui in monasterio Hierosolymitano solebant de eleemosynis peregrinorum sustentari tunc fame periclitabantur ; ea igitur necessitate compulsi monasterium illud Hierosolymitanum dereliquerunt et se ad monasteria Phœniciæ transtulerunt, dimissis monasteriis Palæstinis, et sic religio ista fuit de Palæstina prorsus eradicata (1) ». Cum omnia hæc monasteria post regulam latam, i. e. post annum 1210 fundata sint, ut ex Sanvici verbis constat, fundatio ista ad annum 1230 referenda est. Etenim Hierosolyma anno 1187 per Saladinum capta fuit et omnia instituta religiosa e civitate ac locis circumvicinis pulsa sunt, monasteria vero, conventus, ecclesiæ &c aut diruta aut profanata, unico S. Sepulchro excepto (2). Die vero 18 Februarii 1229 pace ad decem annos inter imperatorem Fridericum II et soldanum Ægypti Mâlik al-Kâmil composita (3) religiosi cum ceteris Christianis Hierosolymam redire passi sunt. In hunc ergo vel sequentem annum fundatio conventus Carmelitarum ponenda est ; quo vero anno derelictus fuerit habes supra in Sanvici relatione. Dolendum tamen est auctorem nostrum de situ conventus tacuisse cum nec aliunde quæstio ista solvi possit. Si tamen fas sit ut mentem meam caute aperiam, dicam mihi non improbabile videri conventum eo loco extitisse ubi ante conquestum civitatis per Saladinum abbatia S. Annæ prope Portam auream fuerat. Etenim plures Ordinis nostri scriptores tradunt ex quodam spurio chronico Romano Carmelitas tempore prædicationis Christi in Hierosolymam accessisse et anno septimo post

(1) Ibid. P. 104, n. 446.
(2) *Revue de l'Orient Latin*, Paris, t. VIII (1900-1901) P. 446.
(3) Roehricht, Regesta, P. 262, n. 997.

Passionem ejus in Porta aurea religiose consedisse (1), atque in illo loco ubi olim fuerat habitatio Joachim et Annæ conventum instituisse cujus ecclesiam Helena postea renovavit et auxit. Hæc quidem manifeste erronea sunt, at posterior habitatio facile potuit ansam præbere ad fingendam priorem. Ecclesia S. Annæ non modo non erat Helenæ constructio sed ante medium sextum sæculum numquam nominatur, neque fuerat ibi conventus ante primam Crucesignatorum expeditionem. Post vero conquestum « erant ibi tres vel quatuor pauperes mulierculæ vitam sanctimonialem professæ » quibus Arda uxor regis Balduini I a marito repudiata sese conjunxit, quamobrem rex possessiones monasterii ampliavit (2). Ibidem etiam Judith filia Balduini II vitam religiosam anno 1130 professa est, at postea abbatiam Bethaniæ gubernandam suscepit. Ecclesia sat pulchra constructa fuit anno 1150. Anno vero 1157 Sibylla abbatiam rexisse e diplomatibus (3) constat. Demum tempore conquestus civitatis per Saladinum (1187) sanctimoniales postquam sese mutilaverunt fugerunt, monasterium vero in scholam Saracenorum conversum est sub nomine Salahieh (4). Redeuntibus vero Christianis anno 1229, sat probabile mihi videtur conventum Carmelitis traditum fuisse. Hæc vero non intelligentes plures e nostris autumarunt Car-

(1) Inter alios Johannes de Hildesheim (Specul. Carmel. I, 153, n. 687, 690); Johannes de Veneta (ibid. 203, n. 874); Johannes Grossi (ibid. 132, n. 555); Thomas Bradley (ibid. 176, n. 772.sqq.) Circa ecclesiam S. Annæ cf. Tobler, *Topographie* (Berlin, 1853) II, 426; Dom Cabrol, *Dictionnaire d'Archéologie Chrétienne et de Liturgie*, Paris, 1905, I. col. 2162 sqq.

(2) Guilel. Tyrens. Migne, P. L. CCI, col. 485.

(3) Roehricht, Regesta, P. 84, n. 327; et in additamento P. 31, n. 517 c; P. 34, n. 554c.

(4) Dom Ursmer Berlière, l. c. P. 483.

melitas semper ipsum inhabitasse, cum e contra ab eo tempore quo primo apud auctores sermo de eo fit sanctimonialium abbatia fuerit; Lezana vero confusionem animadvertens opinatus est præter istum etiam alium conventum S. Annæ prope Portam auream et Portam Josaphat extitisse eumque Fratrum Carmelitarum fuisse.

Corroboratur sententia ista ex eo quod cultus S. Annæ apud nos satis antiquus sit; festum enim ipsius sub ritu duplici in Ordinali Siberti de Beka (1) præscribitur; a quanto vero tempore institutum fuerit mihi incompertum est.

Jacobus de Vitriaco agens de Christianis qui vitam solitariam elegerunt, sic scribit de Deserto Quarantenæ inter Galgalam et Jericho prope fontem Elisæi (2): « Alii exemplo Domini specialiter ducti desertum illud desiderabile in quo Dominus noster post baptismum quadraginta diebus solitarius jejunavit, quod Quarantena appellatur, ut vītam ducerent eremiticam præeligentes, in modicis cellulis Domino devotissime militabant ». Eadem fere habentur apud Martinum Sanutum (3). Totum territorium Quarantenæ per Guilelmum I, patriarcham Hierosolymitanum canonicis S. Sepulchri datum et concessum fuerat (4), ideoque Carmelitæ conventum ibi non fundaverunt, sed quidam solitarii ibidem degentes institutionem et regulam a monasterio Montis Carmeli sum-

(1) Supra P. 25, n. 2. Non me latet festum S. Annæ jam in Psalterio Saxonico (Cotton, Vitell. E. XVIII, circa 1031) memorari, secunda quidem manu; refert Joh. Wirceburgensis a. 1160 (Pez, Thes. anec. nov. III, 529) fuisse celebratum a monialibus ecclesiæ S. Annæ Hierosolymis.

(2) Jacobus de Vitriaco, Histor. Or. cap. 52.

(3) De Secretis Crucis, l. III, p. VII, c. 3.

(4) Roehricht, Regesta, P. 38, n. 152.

pserunt et fuerunt subjecti dicto monasterio et ejus priori (1). Fere eodem tempore quo religio ista « incœpit de Terra Sancta ad cis-marinas partes transplantari, cœpit etiam in Terra Sancta eradicari; propter quidem frequentes incursus quos in Christianos Saraceni et Christiani in Saracenos exercebant, aliqui ex fratribus hujus religionis fuerunt a paganis interfecti in monasteriis eremorum, et maxime in monasteriis Quarantenæ et Valini. Idcirco oportuit fratres totaliter illa monasteria deserere quia non poterant ibi secure habitare, quæ postmodum ab infidelibus penitus diruta fuere » (2). Hinc liquet conventum Quarantenæ post annum 1210 Carmelitis unitum circa annum 1237 destructum fuisse.

Postremo memoratur Sanvicus conventus Valini. « In eadem provincia in regione Galilææ ad duodecim leucas de Monte Carmeli contra Orientem est eremus illa in qua Christus frequenter prædicavit, ubi prædicti religiosi ædificaverunt et habuerunt monasterium sui Ordinis, quod fuit appellatum monasterium Valini (3), quia fuit constructum sumptibus cujusdam nobilis viri qui dicebatur Valinus ». Non liquet quo præcise loco situm fuerit; quantum vero ad tempus fundationis et destructionis eadem valent quæ supra de conventu Quarantenæ dicta sunt.

(1) Specul. Carmel. I, 98, n. 410. Etiam hic dicit Sanvicus Carmelitas ædificasse et habuisse monasterium; fundatio vero videtur independenter ab eis peracta. Nisi forte dicas pulsis per Saracenos canonicis (anno 1188) Carmelitas post annum 1210 conventum extruxisse. Cf. *Histoire de l'Ordre*, P. 29.

(2) Speculum Carmel. I, 104, n. 446.

(3) Impressa habent *monasterium Valim*, et similiter *viri qui dicebatur Valim*, sed omnino legendum est uti supra posui. Valinus memoratur apud Roehricht, Regesta, P. 256, n. 973: Pandulfus, gener domini Valini (dat. Accon, 24 Dec. 1225). Idem Pandulfus sine alia indicatione invenitur ibidem, P. 278, n. 1067 (anni 1235 sine die).

3. De S. Cyrillo.

Notat Sanvicus in chronico *De multiplicatione religionis Carmelitarum :* « Propterea quidem voluit Deus, sicut revelavit beato Cyrillo eremitæ montis Carmeli, quod in novissimis diebus istis viri diversarum nationum profiterentur sacram hanc religionem, ut cum adveniret persecutio propter quam oporteret eos de Terra Sancta fugere, tanto patientius tolerarent religionem istam de terra illa eradicari, quanto amplius ex hoc viderent eam in diversis mundi regionibus et maxime in suis propriis nationibus copiosius multiplicari, sicut per beatum Cyrillum eis prophetice prædixit. » (1)

Nihil aliud de S. Cyrillo autentice notum est, neque cujus patriæ et generis fuerit, neque quot annis Ordinem gubernaverit vel quo tempore mortuus sit. Quia vero secundum probabiliorem temporum rationem S. Brocardus circa annum 1233 vita functus creditur, eodem vel sequenti anno videtur Cyrillus in priorem montis Carmeli assumptus ; et cum, teste eodem Sanvico, capitulum quo aliquibus fratribus licentia alio transmigrandi concessa fuit, (quarum migrationum prima in annum 1235 ponenda est) (2) « post mortem Cyrilli » celebratum fuerit, videtur solummodo per unum vel alterum annum priorem egisse. Secundum vero legendam breviarii in ejus festo viginti septem annos Ordinem rexit, secundum autem Palæonydorum, Lezanam et alios per tres. Verum omnia hæc non ex quodam documento (quod abest) sed ex calculo plus minus accurato hauriuntur.

(1) Specul. Carmel. I, 98, n. 416.
(2) Supra P. 213.

De Oraculo Angelico.

Prodiit circa annum 1287 liber cui titulus *Oraculum angelicum* (1) de quo primo sermo fit in libello Arnaldi de Villanova, medici Catalonensis, contra Bartholomæum de Podio Certoso fratrem Prædicatorem ante annum 1299 episcopo Gerundensi porrecto, ubi sequentia habentur : « Ultimo vero per beatum Cyrillum cujus revelatio cunctis Scripturis Sacris est pretiosior, quoniam scriptam de cœlo attulit ei angelus. » (2)

Ibi enim agitur de prævia annuntiatione persecutionis servis suis superveniendæ, quam Christus dicitur fecisse tum

(1) *Divinum oraculum S. Cyrillo Carmelitæ Constantinopolitano solemni legatione Angeli missum.* Cui adjungitur commentarius R. P. Philippi a Ss. Trinitate Carmelitæ Discalceati. Lugduni, sumptibus Christophori Fovrmy. 1663. Auctor operis *Histoire de l'Ordre* (P. 30, n. z) notat versionem italicam Venetiis 1589 opera Anselmi episcopi editam fuisse atque etiam aliam anno 1646 ; neutram vidi. Philippus a SS. Trinitate quatuor manuscripta pro editione sua adhibuit, primum, omnium antiquissimum cujus originem non aperit, alterum e bibliotheca abbatiæ S. Victoris Parisiis, et duo e bibliotheca Vaticana. Cl. P. Franciscus Ehrle S. J. (cf. notam proxime sequentem) quatuor manuscripta ejusdem Vaticanæ bibliothecæ laudavit. Egomet adhuc aliud in bibliotheca quondam domini Philips apud Cheltenham in Anglia inveni (N. 3119), S. XIV exaratum, ac ex aliquo conventu fratrum Minorum in Anglia oriundum.

(2) *Arch. f. Literatur-& Kirchengeschichte des Mittelalters*, Berlin 1886, II, 327 sqq : *Ueber Cyrill's Oraculum Angelicum*, auctore cl. P. Francisco Ehrle, S. J. sub-bibliothecario S. Romanæ Ecclesiæ. — J.-Ph. Bègne, *Exégèse et Astrologie* (*Extrait de la Revue des Sciences ecclésiastiques*) Lille, 1906. O. Holder-Egger *Italienische Prophetieen des 13. Jahrhunderts* in ephemeride germanica *Neues Archiv d. Gesellschaft f. aeltere deutsche Geschichtskunde* (Societatis editorum Monumentorum Germaniæ), XV, 141 sqq. (Hannover, 1889).

per sacram Scripturam, cum per « illam virginem evangelicam Eritheam, cujus omnia dicta beatus Augustinus XVIII. de Civitate Dei eximie approbat, et e cujus etiam prophetia colligit signa judicii ; iterum per beatum Ciprianum. Ultimo vero per beatum Cyrillum » &c ut supra. (1) Contra hanc propositionem die 6 Novembris 1316 Inquisitores tulerunt judicium hujus tenoris : « Item damnamus libellum qui intitulatur *Denuntiatio facta* &c. Ibi enim dicit quod revelatio facta Cyrillo est pretiosior cunctis Scripturis Sacris, quod est error in fide, cum fides dependeat ex Sacra Scriptura et non ex illa revelatione (2) ».

Quæ vero hæc persecutio fuerit quam Christus dicitur annuntiasse per prophetiam pseudo-Erythream et Cyrillianam colliges ex *Historia tribulationum Ordinis Minorum* (3). « Nam et abbas Floricensis (i. e. abbas Joachim) de ipso (nempe de Petro Johanne Olivi) prophetavit, et prævisum eum fuisse etiam ab antiquis, et aliis qui prophetiæ spiritum habuerunt ante ipsum. Denique tota prima pars prophetiæ sancti Cyrilli quam abbas Joachim immensis laudibus effert, fratrem Petrum Johannem principalissime tangit et suæ nativitatis locum et ordinem quem erat assumpturus, et persecutiones omnes quas erat cum suis sequacibus ab æmulis passurus, et annos et tempora et modos et loca partim ænigmatice partim historice terminat et prædicit...... Quis enim infidelium faciliter suscipiet, quod innumera futura in

(1) S. Augustinus, De Civit. Dei, XVIII, 23. Legenti patet versus græcos quos Augustinus ibi latine reddit, et pauca verba quæ ex Lactantio colligit toto cœlo distare a prophetia Sibyllæ Erithreæ adscripta qua auctor anonymus medii sæculi XIII vehementissime in Fridericum II imperatorem invehit.

(2) Ehrle, l. c.

(3) Ibid. P. 289 sqq. Composita fuit circa 1323.

ecclesia et bona et mala etiam usque ad ea quæ videntur hominibus minima, ante Christi adventum annis mille Sibylla Heritea prædixit?.... Prophetia enim illa quæ sancto Cirillo per angelum delata est fratrem Petrum Johannem vocat *solem* propter virtutum clarissimam et perpetuam incorruptibilitatem et propter splendidissimam sapientiæ et scientiæ sibi divinitus infusæ multiformitatem et propter ardentissimæ et christiformis charitatis in Deum et ad proximum veritatem » &c.

Similiter Angelus de Clarino, Cola Rienzi, Johannes de Rupescissa interpretantur oraculum de persecutione in eam sectam Fratrum Minorum qui sese Spirituales vocitabant; Bartholomæus autem de Pisa de Ordine Minorum in generali (1) et Robertus de Licio de S. Francisco (2).

Antequam plura de Cyrilli oraculo dicam exempli gratia breve heic (nempe nonum) capitulum inseram ut lector di-

(1) Ibid. P. 330.

(2) « Duæ tabulæ [S. Cyrillo per angelum delatæ] in quibus multa ventura continebantur de beato Francisco, prout refert dominus Robertus de Licio in secundo sermone de eodem sancto ». MS. Harley 1819, fol. 133 b. Cf. Sermones de Laudibus Sanctorum [Venetiis 1485?], sermo XLV de tribus excellentiis S. Francisci, in prima probatione primæ excellentiæ, ubi etiam multa e prædicta Sibylla et ex abbate Joachim mutuatur. Circa annum 1490 Johannes Erghom ordinis eremitarum S. Augustini Oraculum interpretatus est in opere *Compilationes Vaticiniorum*, quo vero sensu mihi incompertum est. Secundum glossam marginalem MS Vatic. 3819 quidam « Frater Gilbertus Anglicus magnus ille theologus » Oraculum fortuito in bibliotheca Cluniacensi invenit ac deinde publici juris fecit. Quis vero ille Gilbertus fuerit incertum est. Sæculo nempe XIII nullus Gilbertus theologus, sive magnus sive non, cognitus est, unde P. Ehrle recte concludit hoc nomen non minus legendarium esse quam totum Oraculum. L. c. P. 329.

scat cujus indolis sit. «Grandis aquila nigra pennas ocius expergiscere, tende alas, et rostrum impinge et punge. Tortuosus coluber, mentosusque tibi ex latere congregetur, quoniam plurium conventu procul dubio fortunaberis. Nec obliviscaris filios spurcificos et collates petræ oleo litæ indifluæ cum aliis plectere, ne peperceris; sed dissectos non totaliter atterrabis: Ceteri jactentur prorsus lapides in coccito. Quid siccitas amplius arescit? Pellatur cauma Ophitis, quo jugiter concremaris: Turgesce, comare, diademare, ne torpeas, tonsos seplassiarios floccipende, turturos aspernare. Hiulci quidem omnes sunt, distoli morantur interna, suppetias venabuntur regales redimiculis virginalibus assentabuntur sceptris, ut illorum nanciscantur applausis in odium tui diadematis violenti. Talia tamen aspernaberis: quoniam in te oderunt tibi denuo conquiescent, a regalibus deficito suppetiis» (1). Et sic per totum.

Paulo ante medium sæculum XIII, ait Holder-Egger (2), inter fratres Ordinis Minorum italicos sententia exorta est post ævum Dei Patris quod Veteri Testamento respondet, atque post ævum Dei Filii quod in Novo Testamento prædicatur, ævum Spiritus Sancti venturum esse quo Evangelium æternum per abbatem Joachim adumbratum, per Gerardum a Burgo S. Donnini vero transmutatum ac scriptis redactum, plenam auctoritatem adepturum esset. Erant qui adventum Evangelii æterni in annum 1200 reponerent, i. e. circa illud tempus quo dictus abbas obiit (accuratius anno 1202) et quo duo Mendicantium Ordines orti sunt, sed alii eo tempore quo Antichristus nasciturus erat (i. e. anno 1260 juxta Apocal. XII, 3) veram etiam hominum salutem per illud Evangelium prædicatam iri opinabantur.

(1) Divinum Oraculum, edit. Philippi a SS. Trinitate, P. 25. Primum capitulum totum et sextum partim edidit cl. P. Ehrle l. c.

(2) Neues Archiv, l. c. P. 143.

Inter Minores abbatis Joachim sequaces mos erat libros propheticos tum Veteris tum Novi Testamenti interpretandi de eventibus temporis tunc currentis; sed cum libri Joachim autentici vix ac ne vix quidem ansam præberent, nova opera sub ejus nomine scripta sunt quibus loci utriusque Scripturæ ad libidinem scribentium de personis ac eventibus contemporaneis interpretabantur. Talium operum longam seriem auctor noster texit (1). *Oraculum angelicum* de quo nunc agitur his scriptis adnumerandum esse pluribus persuadetur. Primo enim eodem ipso tempore conscriptum est uti ex primo et secundo capite liquet. « Tempore annorum Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto Februarii Kalendas octavo, Sol orietur inter muros perjurii lymphis vallatos in ora Leonis zizaniorum et veprium, et crescet Altissimo dedicatus (2). » Deinde pergit in temporis calculo usque dum ad annum 1287 perveniat. Circa hoc ergo tempus videtur compositum. Secundo, per epistolam præviam abbati Joachim directam, quæ incipit: « Domui totius Divinæ sapientiæ, septiformi columnæ Sancti Spiritus, qui a Patre luminum ineffabiliter promanat suffultæ Abbati Joachim (3). » Tertio ex epistola responsiva ex nomine Joachim scripta, qua de se ipso sic loquitur: « Joachim abbas solo nomine sed scurra et ethnicus opere. » Quarto ex stylo. Quamvis Oraculum obscuris ac phantasticis locutionibus scateat tamen plerumque in ideis et expressionibus cum Prophetia Sibyllæ Erythreæ convenit. Verba græca vel sermonem græcum redolentia sane inserta sunt ut Oraculum appareat ex illa lingua versum esse. Quinto et principaliter ex eo quod sicut dixi Oraculum primo et præcipue inter Minores Spirituales et alios

(1) Ibid. et Pp. seqq.
(2) Divinum Oraculum, P. 15.
(3) L. c. P. 13.

sequaces Evangelii æterni teritur, ab eis de semetipsis et doctrinis suis necnon de universo Ordine Minorum et de ipso S. Francisco interpretatur. Inter dictos Spirituales locum præcipuum occupabatur Frater Petrus Johannes Olivi, natus 1247 defunctus 1298. Nonnulla loca oraculi specialiter de ipso dicta videntur, e. g. retractatio errorum suorum anno 1283 facta hisce verbis exprimi videtur: « Et adeo stimulabant Solem delitescentem ut in millesimo ducentesimo octuagesimo tertio Kalendis ejusdem fugere compellatur. Quem mox venenati filii assequentes apprehendent potenter quasi per mediam horam; et inventum specu, imo tricamerato seris vectibusque prægrandibus communito illico mancipabunt &c. » (1) Ceterum ex Historia Tribulationum habes non modicam partem Oraculi de Fratre Olivi tractare.

Attamen mea non interest sive istam sive alias interpretationes amplius prosequi; judicet lector ex iis quæ jam relationi huic interserui utrum tale opus hominis sanæ mentis (ne dicam angeli) dignum sit. Constat Oraculum undecim capitulis longitudinis inæqualis, seu circa ter millibus quingentis verbis quæ dicuntur duabus tabulis argenteis scripta fuisse quas angelus Cyrillo dum missam celebraret attulit (2).

(1) Ibid. P. 15. Cf. Eminentissimi Cardinalis Hergenrœther *Handbuch der Kirchengeschichte*, 1879, I, 930.

(2) Duæ tabulæ argenteæ sine dubio tabulas illas lapideas in memoriam vocant in quibus decalogus conscriptus erat. Advertatur tamen legem illam in Vulgata editione circa 250 verbis constare, Oraculum vero quatuordecies eo numero repetito. Nec sine ratione in antiqua legenda breviarii (anno 1480) dicitur: « Nec dubium est tantum hominem summæ capacitatis existere cum occupatus missalibus studiis quæ totius hominis totalem curam exigunt et requirunt, tamen tanta et tam varia et tam subtilia in tam parva morula memoriæ commendaverit, tamque curiose descripserit, nec eo minus processerit in ministerio ».

Quæritur nunc quis ille Cyrillus fuerit. Videtur mihi fuisse S. Cyrillus Hierosolymitanus († A. D. 386). Etenim Arnaldus de Villanova enumerat Sibyllam Erythream, Cyprianum (i. e. Pseudo-Cyprianum) et Cyrillum, ac si hi omnes prophetice de persecutione contra Spirituales locuti essent. Verum Cyrillus Carmelita circa annum 1235 defunctus est et proinde si revera de persecutione illa locutus esset id non nisi prophetice fecisset; sed nemo est qui non videt talem prophetiam paulo ante eventum factam fere nullius momenti fore, præsertim si eodem contextu Sibylla quæ dicitur mille ante Christum annos vixisse, ac Cyprianus nominentur. Telesphorus presbyter eremita Cusentinus in libro a. 1386 conscripto oraculum explicite Cyrillo Hierosolymitano attribuit ac de schismate occidentali (1378-1417) interpretatur (1), contra quem Henricus de Hassia senior Carthusiensis insurgit, probans neque Cyrilli Hieros. opus esse neque pro autentico habendum (2). Secunda ratio quæ adhuc plus urget desumitur e codice Cheltenhamiensi ubi Oraculum cum duabus epistolis, Cyrilli scilicet et Joachim, una cum fictitia alia invenitur quam dicitur Cyrillus Hierosolymitanus S. Augustino scripsisse de apparitione S. Hieronymi (qui tamen ipsi triginta quatuor annos supervixit !). Incipit « Venerabili viro episcoporum eximio ». Desinit: « Cyrillus Jerosolymitarum pontifex laudes maxime persolvantur. Amen, amen, amen ». (3)

Tertio me movet locus ille epistolæ Cyrilli ad Joachim ubi fatetur se « cum pro veneranda celebritate beati Hilario-

(1) Vide infra.

(2) Cf. Pez, Thes. anecd. nov. II. 507-564. Tractatus iste compositus fuit a. 1392.

(3) Hæ epistolæ Cyrilli ad Augustinum et Augustini ad Cyrillum quas refert Bostius (Spec. historiale, V, cap. 64) extant apud Migne, P. L. XXXIII, 1120 sqq.

nis Coëremitæ nostri quondam sacrarum missarum solemnia inchoasset » visionem illam angelicam habuisse. (1) S. Hilarion ex Tabatha prope Gazam oriundus anno 371 octoginta annos natus obiit, cui Cyrillus Hierosolymitanus per quindecim annos supervixit.

Quando et quomodo Oraculum Angelicum Carmelitis primo innotuerit difficile est dictu. Forsan anno 1318 cum Frater Guido de Perpiniano, Generalis, cum Simone Wickingham itidem Carmelita et pluribus aliorum Ordinum in s. theologia magistris Parisiis accersiti fuerunt ad examinandam Postillam Petri Johannis Olivi super Apocalypsim, condemnaruntque sexaginta propositiones inde excerptas. Paulo post idem Guido adhuc aliud opus, nempe librum catalonice scriptum *De statibus ecclesiæ secundum expositionem Apocalypseos* perquisivit (2). Vix fieri potuit ut eos principalia Spiritualium opera examinantes Oraculum angelicum effugeret.

(1) L. c. P. 14. Notandum festum S. Hilarionis non haberi in ritu S. Sepulchri, in Carmelitano vero tantum ab anno 1490. Si quis diceret Cyrillum utpote græcum festum Hilarionis solemnisasse quamvis apud Latinos in Monte Carmelo celebrari non consueverit, respondeo neque in missa græca illum locum canonis « Hanc igitur » quo angelus apparuisse dicitur inveniri, unde vel in uno vel in altero auctor erravit. Johannes Grossi vero deprehendens confusionem inter varios Cyrillos novum quemdam eumque inauditum Hilarionem invenit: « S. Hilarion martyr, provincialis provinciæ Terræ Sanctæ, cujus corpus in regno Cypri in quodam castro seu oppido quod a S. Hilarione nomine suo gaudet, in tumba solemni quiescit sub custodia regis Cypri qui ipsius tumbæ claves fideliter possidet et custodit » (*Viridar.* in Spec. Carmel. I, 138, n. 596). At S. Hilarion in Cypro sepultus non est ille fictitius Hilarion co-eremita Cyrilli Carmelitani, sed abbas antiquus. Johannem Grossi tamen sequuntur recentiores, e. g. Lezana (IV, 363).

(2) Denifle, Cartularium, II, 239.

Certum est primum e Carmelitarum Ordine qui demonstrari possit Oraculum cognovisse, fuisse Petrum Maymeti (1) qui anno 1348 Parisiis obiit. Baleus de ipso testatur « Cyrilli prophetiam pravis scriptoribus corruptam lucidiorem et emaculatiorem reddidit. (2) »

E ceteris auctoribus Ordinis ejusdem sæculi decimi quarti solum Johannem de Hildesheim inveni qui Oraculum afferat. (3) At anno 1386 prodiit liber Telesphori de Cusentia eremitæ *De devotione religionis et ecclesiæ militantis* Incip. « Tertia die Septembris in heremo agri Herculani prope Thebas » (4), in quo abunde de S. Cyrillo et Oraculo agit, cujus verba semper sub ista formula adhibet: Hæc dicit Spiritus Sanctus. Ex tunc videtur Ordo Cyrillum in magno honore habuisse. Quamvis enim Johannes Grossi anno 1390 quo primum catalogum Priorum generalium composuit de Cyrillo adhuc taceat, paucos post annos Capitulum generale A. D. 1399 celebratum decrevit « Item ordinarunt quod eodem modo (i. e. ac festum S. Elisæi) fiat omni anno officium de S. Cyrillo doctore Montis Carmeli et confessore, cujus festum celebratur septimo Idus Martii scilicet die sexta ejusdem mensis, mandantes prioribus provincialibus quatenus dicta festa faciant inseri in Kalendariis suarum provinciarum (5). » Officium componendum Fratri Conrado de Aldendorp demandatum

(1) De ipso infra inter magistros Parisienses.

(2) MS. Harley, 3838, fol. 172 b.

(3) Specul. Carmel. I, 148, n. 656.

(4) MS Bodley 73, fol. 41 a sqq. Ehrle l. c. P. 331 n. 4. Expositio magni prophetæ Joachim in librum Cyrilli de magnis tribulationibus et statu ecclesiæ cum compilatione Theolosphori de Cusentia. Venetiis, Soardis 1516. Hanc ego quidem non vidi, sed versionem gallicam : *Livre merveilleux contenant en bref la fleur et substance de plusieurs traitez.* etc Paris, 1565.

(5) Lezana IV, 255.

fuit; is priorem Marianauensem egerat anno 1361, Casselensem anno 1373, Boppardensem 1385, Trevirensem 1387 et tandem Argentinensem anno 1391 quo episcopus Azotensis et suffraganeus Trevirensis creatus fuit. Obiit tandem 1416 « theologus absolutissimus » (1) et sepultus est Treviris. Officium autem quod composuit extat in breviario Andegavensi anno 1425-1430 conscripto (2), necnon in quodam codice Cantabrigiensi anno 1525 manu ipsius Balei exarato, mutatis tamen lectionibus. Hymnos, antiphonas et responsoria hic omittam cum ea alias editurus sim, at lectiones auctore Aldendorpio inserendas censeo cum maximi momenti sint ad intelligendam legendam S. Cyrilli. Quasi enim non suffecisset Petro Maymeti atque aliis scriptoribus Cyrillum Carmelitam cum Hierosolymitano confudisse Aldendorpium ipsum insuper cum Cyrillo Alexandrino confudit.

Nova hæc confusio aliqualiter excusari potest, quia ex una parte de Cyrillo Carmelita nihil notum erat nisi nomen, officium prioris et spiritus prophetiæ, et ex altera plures scriptores Ordinis (3) jam antea assueruerant Cyrillum patriarcham Alexandrinum (†444) fuisse Carmelitam.

Accipe nunc lectiones per Aldendorpium conscriptas :

Lect. I. Anno Domini quadringentesimo, tempore Conrardi hujus nominis primi imperatoris, clarescente eximio doctore sacræ theologiæ Joachim, fuit vir datus scientiis sacrarum litterarum eruditus, Deo Genitricique ejus multum devotus, et nomine Cyrillus. Iste in Terra Sancta a Christianis

(1) Cf. Koch, l. c. passim. Lezana, IV, 1046.

(2) In bibliotheca Domini Philips, Cheltenham, N. 6985. Univ. Cantabr. Ff, 6, 28.

(3) Johannes Hildesheimensis (Speculum Carmel, I. 155, n.686); Bernardus Olerius (ibid. P. 168. n. 742) ; Johannes de Veneta (ibid. P. 203, n. 877).

possessa sancte et pie conversatus in ordine sacro presbyterii ordinatus est.

Lect. II. Hic quidem Cyrillus sanctus ob contemplationem miræ sanctitatis et vitæ puritatis fratrum heremitarum in monte Carmeli commorantium omnipotenti Deo ejusque gloriosæ genitrici Mariæ gratum famulatum die noctuque in pœnitentiæ austeritate et proprietatis abdicatione præstantium eundem montem affectuosus et cum devotione adiit.

Lect. III. Montem itaque amœnissimum germinosum pascuis uberrimum, fonte scaturiente irriguum, quem olim sanctus pater Elias et Eliseus atque alii quamplures prophetæ et prophetarum filii inhabitasse leguntur. Devotis namque fratribus ibidem in cara fraternitate et dulci convictu commorantibus juxta eorum vivendi modum extitit beatus Cyrillus associatus.

Lect. IV. Vitam insuper cœlibem ita duxit beatus Cyrillus ut sæpius angelico aspectu consolatus et divinis revelationibus crebro fuerit illustratus. Fuit vero hic doctissimus vir Cyrillus tunc patriarcha Alexandrinus a Domno Celestino primo sub anno Domini quadringentesimo octavo in generali concilio Epheso loco sui ducentis ibidem episcopis astantibus præsidens ordinatus.

Lect. V. Beatus namque patriarcha Cyrillus in dicto concilio contra Nestorium hæreticum disputans qui beatissimam virginem obnoxiam peccati fuisse et non esse matrem Dei sed puri hominis dicebat, ipsum hæreticum confutavit. Et quamplurimis rationibus oculatis beatam Virginem Mariam a peccati macula omnino immunem conclusit.

Lect. VI. Conscripsit præterea vir sanctus idem Cyrillus librum quindecim capitulis distinctum contra Nestorium, diffiniensque in prædicto concilio temerarium dicere beatam Virginem alicujus peccati macula obnoxiam, et esse Dei matrem. Quod ab omnibus approbatum est.

Lect. VII. (super homiliam feriæ)

Lect. VIII. Et idcirco quia audacter et scientifice beatus Cyrillus pro ipsa gloriosa Virgine contra Nestorium disputavit in eodem concilio statutum fuit, quod fratres sui Ordinis specialiter titulo Dei Genitricis Mariæ merito debeant perpetuo insigniri, veluti veri pugiles pro ejus puritate cum hostibus dimicaturi. Præstante Domino nostro Jesu Christo cum ejus matre, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Lect. IX. Cum semel pro veneranda celebritate beati Hilarionis quondam eremitæ sui in eodem monte Carmeli in oratorio ibidem per devotos fratres ad fidem per beatam Virginem Dei genitricem conversos primo post Assumptionem ejusdem Virginis Mariæ in ejus honore dedicato, sacrarum missarum solemnia cum fratre Eusebio comite suo carissimo inchoasset et ad illum locum canonis pervenisset ubi dicitur *Hanc igitur oblationem* &c. quædam nubecula sibi revelata astitit et angelus per eum in ipsa protinus visus est. Hic inquam angelus attulit virgam liliatam et tabulam argenteam pendentem in dextra et aliam tabulam argenteam in sinistra litteris græcis aureis descriptas, et dixit: Has tabulas misit tibi Deus omnipotens tamquam familiari suo amico et præconi fideli. Et dum sacramenta compleveris has scripturas transcribe in membrana. Post hæc conflabis tabulas et conformabis in calicem et thuribulum ad libenda et adolenda in ara (in hora?) sacrificii matutini. Et post hæc angelus disparuit.

Iteratam hanc confusionem deprehendit Johannes Grossi qui in *Viridario* circa annum 1430 edito optime distinguit inter Cyrillum Carmelitam, de quo ea tantum refert quæ Oraculum respiciunt, et Cyrillum Alexandrinum de quo

speciatim agit (1). Similiter in breviariis Ordinis tum manu scriptis tum impressis annis 1480, 1490, 1495, 1504 &c. legenda tota circa Oraculum versatur.

Remansit tamen titulus Doctoris Ecclesiæ quo Capitulum generale eum decoravit. Quamvis enim in missalibus Ordinis usque ad editionem anno 1574 factam missa *Os justi* ejus festo assignetur, tamen Kalendaria sicut et rubrica missalis Cyrillo Doctoris titulum attribuunt, qui etiam in Officio exprimitur, e. g. in hymno ad Vesperas:

Doctor Cyrillus floruit
Magno vivente Joachim,
Cujus ætas non corruit
Sed bonis crevit diætim.

Ad justificandum titulum istum plures auctores vitam S. Cyrilli scribendam susceperunt, scilicet Johannes Kenton anglus († 1468) qui « scripsit vitam S. Cyrilli 1. l.» Nicolaus Simonis Harlemensis († 1511): « Scripsit Divi Cyrilli vitam 1. l. Incip. Græcia septem habet provincias. » Bostius qui per quinque capitula de ejus vita tractat (2) ac insuper carmen in honorem ejus composuit incipiens: « Inter Christicolos ». Similiter beatus Baptista Mantuanus in Fastorum libro tertio; Palæonydorus, Lezana, Philippus a SS. Trinitate aliique non pauci Bostium ac Simonem secuti sunt. Hi vero nullo nisi fundamento, nulloque documento adhibito e proprio ingenio asseruerunt quodcumque Cyrillo honorificum putabant.

Johannes Grossi primus fuit qui Cyrillum græcum diceret (quod quidem minime improbabile est); prælaudati auctores Megarensem asserunt, ac quibus parentibus natus sit, sub quibus magistris edoctus, ubinam, nempe Con-

(1) Specul. Carmel. I, 138, n. 598; 137, n. 590.
(2) Specul. Carmel. II, 285 sqq.

stantinopoli, studuerit docuerunt. Gravius erraverunt cum, nulla auctoritate fulti, Cyrillum ab Imperatore Manuele Comneno anno 1170 Romam missum fuisse affirmarunt. Ex actis Alexandri III (1) eruitur apocrisiarium (nomine non expresso) missum fuisse; sed cum nullatenus probetur Cyrillum umquam Constantinopoli degisse, vel munere apocrisiarii insignitum, multo minus asseri debuit ipsum hanc legationem obiisse. Adhuc severius improbanda est alia assertio auctoritate æque destituta scilicet Cyrillum soldanum Iconii visitasse, ad fidem convertisse, tandem baptizasse ac denique Armeniam evangelizasse. Soldanus ille revera a matre moribunda persuasus Christianus factus est et pro instructione fidei litteras ad Alexandrum III misit, a quo plenam fidei expositionem necnon aliquos catechistas accepit, attamen Cyrilli nomen nullibi legitur neque verisimile est ipsum adivisse soldanum, præsertim cum anno 1169 quo hæc acta sunt adhuc juvenis fuerit (2).

Præterea Bostius tradit dissensionem exortam esse Cyrillum inter ac patriarcham Constantinopolitanum de Spiritus Sancti processione, atque Cyrillum ne Græcorum errori assentire videretur a beata Virgine Maria admonitus, sese in Montem Carmeli recepisse ubi habitum religiosum induerit. Lezana quidem notat patriarcham Michaelem (de quo agitur) a nemine hujus erroris accusatum fuisse, nihilominus ob auctoritatem qualem Bostio perperam attribuit quasi is antiqua documenta præ manibus habuisset, conjicit præfatam historiam veritatem continere. (3) Sed cum de tali dissensione in historia ecclesiastica ne vestigium quidem inveniatur, mihi

(1) Baronius ad annum 1170 n. 54.

(2) Ibid. ad annum 1169, n. 42. Roehricht, Regesta, P. 145. n. 544 nota.

(3) Annales, IV, 73.

persuasum est Bostium explosa confusione inter Cyrillum Carmelitam et Alexandrinum, dissensionem istam loco controversiæ Nestorianæ finxisse. Similiter altera confusio inter nostrum Cyrillum et Hierosolymitanum ansam videtur dedisse assertioni Bostii, nempe Cœlestinum III Cyrillo patriarchatum Hierosolymitanum obtulisse quam dignitatem humilitatis causa recusavisset. Cum enim de institutione patriarcharum Hierosolymitanorum tum per diplomata cum per scriptores Belli sacri apprime edocti simus, etiam istam legendam plane rejiciendam censeo.

Baleus Bostii vestigiis inhærendo sequentia opera Cyrillo adscribit (1), quorum aliqua quidem supersunt, quamvis non sint genuinus Cyrilli fœtus, cetera vero quæ numquam videntur extitisse tamquam fictitia habenda sunt:

1. De Oraculo angelico. Incip. Domui totius divinæ sapientiæ (i. e. epistola ad abbatem Joachim, de qua supra).

2. Oraculum angelicum. Incip. Tempore annorum Christi, de quo supra egi (2).

3. De processu sui Ordinis. Incip. Sacræ hujus religionis. Extat apud Philippum Riboti in Speculo Carmelitano, lib. VIII capp. 1-3. Liber iste non diu post mortem S. Brocardi conscriptus fuit et quidem per hominem latinum, ni fallor gallicæ nationis, si liceat conjecturari ex eo quod in locutione « vir quidem amabilis Deo, nomine Aymericus » istud nomen a verbo *aimer* videatur derivare. Alium locum qui habetur apud Riboti lib. VII cap. 6 supra ostendi esse interpolatum (3).

(1) MS. Harley 3838, fol. 158 a.

(2) Baleus ex Joachim abbate (qui tamen ea de re nihil habet) et Hasart asserit *Oraculum* per quemdam Eartum græcum (alias inauditum) quem eremitam ac S. Brocardi discipulum fuisse tradit, e græco sermone in latinum translatum esse. MS. Harley 3838, fol. 158 b.

(3) P. 224.

4. Epistolæ ad diversos. Incip. Beatissimo patri Cœlestino, i. e. de patriarchatu Hierosolymitano quem Bostius Cyrillo oblatum ab ipso tamen recusatum asserit.
5. Contra Græcos de Spiritu Sancto. Cyrillus tale opus numquam composuit.
6. Homiliæ ad populum.

His ergo expositis aliisque levioris momenti prætermissis concludo iisdem quibus incepi verbis, nempe de S. Cyrilli vita et gestis nihil autentice notum esse præter pauca verba quæ e Sanvico attuli.

4. De Bertholdo juniore.

Refert Sanvicus (1) ob frequentes Saracenorum in Terram Sanctam incursus dissidium ortum fuisse inter eremitas Montis Carmeli utrum liceret fratribus Palæstina relicta Occidentem versus migrare atque Ordinem in Europam transplantare ; qua occasione congregatum fuit capitulum de quo supra egi (2). « Prior itaque monasterii Montis Carmeli attentis rationibus istis et considerata persecutione quam in Terra Sancta pagani inferebant huic religioni assidue, admonitus a Christo et a beata Maria Virgine ejus genitrice in somnis, licentiam aliquibus fratribus concessit Terram Sanctam deserendi et ad proprias regiones redeundi, illicque monasteria hujus religionis ædificandi. »

Quisnam hic prior fuerit cujus nomen Sanvicus tacet non liquet. Arnoldus de Trenka (a 1351 usque 1362 procurator generalis, anno vero 1362 prior Tolosanus) in parvo chronico conventus Tolosani capitulum illud sub Alano celebratum fuisse asserit. « Anno 1237 sub Reverendissimo Patre

(1) Specul. Carmel. I, 99, n. 417.
(2) Supra P. 210 sqq.

Alano generali celebratum est capitulum generale in Monte Carmelo et concessum religiosis in Europam transire ut persecutionem Saracenorum vitarent in Oriente. (1) » Neque Johannes Trissa, neque Johannes Grossi in primo catalogo (2) de Bertholdo mentionem faciunt ; in secundo vero catalogo anno 1430 compilato Grossi ait : « Quartus prior generalis fuit frater Bertholdus natione Lombardus qui Ordinem laudabiliter rexit. (3) » Unde hæc hauserit non liquet. Neque de nomine constat cum perinde Bertholdus, alias Barthelmus nuncupetur.

Palæonydorus (4) vero, Bostius (5) et Baleus (6) quos sequitur Lezana (7) multa de Bertholdo referunt nulla auctoritate freti. Cum intercapedo duodecim annorum inter mortem S. Cyrilli et electionem S. Simonis Stock inter duos priores generales dividenda esset, Palæonydorus et alii uni quinque alteri septem annos generalatus tribuunt. Quæ omnia nullo antiquo documento fulta tamquam incerta relinquo.

5. De Alano Britone.

De Alano Britone quinto priore generali haud amplior existit memoria quam de Bertholdo juniori. Sub ipsius regimine fratres Tolosam adiisse refert Arnoldus de Trenka ; alios Angliam appulisse in sequentibus ostendetur. Anno 1247 in

(1) Baurens de Molinier, *Histoire de la Vie et du Culte de S^te^ Jeanne de Toulouse.* Tournai et Toulouse, 1895. P. 176. Chronicon in apographo S. XVIII habetur.

(2) Supra P. 236.

(3) Specul. Carmel. I, 133, n. 562.

(4) ibid. I, 254, n. 1047 sqq.

(5) Speculum historiale. VII, cap. 10.

(6) MS. Selden 41 supra, in fine, in supplemento ad Trissam.

(7) Annales, IV, 256, 259, 264, 274.

capitulo Aylesfordiensi S. Simonem Stock successorem in generalatu accepit, sed utrum causa renuntiationis an obitus ignoratur, aliis unum aliis alterum affirmantibus. Ex eo quod obitus Alani in Kalendario Coloniensi ad diem 12 Novembris memoretur (anno non expresso) plures auctores autumarunt ipsum Coloniæ defunctum fuisse, quod mihi non probabile videtur cum iste conventus longo tempore post capitulum Aylesfordiæ fundatus sit, nempe circa a. 1256. In Actibus Sanctorum (1) Alanus inter prætermissos enumeratur, attamen nullum vestigium inveni de cultu ipsi præstito.

6. De S. Simone Stock.

Vita S. Simonis Stock, sexti in ordine Priorum Generalium, omnium celeberrimi, non semel conscripta fuit. Præter brevem notitiam quæ supra in catalogo Priorum auctore Iohanne Grossi habetur, idem auctor alias duas edidit, quæ in Speculo Carmelitano (2) reperiuntur. Similiter Palæonydorus plura de isto sancto scripsit. (3)

Inter ea vero, quæ typis numquam mandata fuere, sed adhuc in bibliothecis delitescunt, sequentia ad meam notitiam pervenerunt:

A. Vita desumpta e Chronico Egidii Fabri. Incip. Symon Stock rexit annis L. (4)

B. Vita S. Simonis Stock, quam composuit frater Menal-

(1) T. II Aug. p. 123.

(2) I. 133, n. 563. P. 138. n. 598, 599. Quamvis Bertholdi junioris existentia non tam indubitata sit, Simoni secundum consuetudinem sextum locum attribuo.

(3) Ibidem, I. 255 sqq. nn. 1049 sqq.

(4) MS. Bodley 73, fol. 111a. Egidius Fabri S. Th. doctor et prior Bruxellensis obiit 25 Februarii 1506 postquam 57 annos in Ordine vixerat.

dus de Rosariis anno ætatis suæ quadragesimo, qui fuit annus 1500. Incip. Dilectissimi patres in Christo. (1)

C. Legenda S. Patris nostri Symonis Stock abbreviata per fratrem Rolandum Bouchier. Incip. Absit me pudeat. Fere verbatim e præcedenti vita desumpta. (2)

D. Legenda S. Symonis Stock anglici, confessoris non episcopi Ordinis Carmeli XVI die mensis Maji. Incip. Fuit in Anglia quidam solitarius. Adlegat Johannem Grossi et suppresso nomine Palæonydorum. (3)

E. De S. Simone Stock anglico Ordinis Carmeli. Incip. Habuit olim sub tribus archiepiscopis. Adlegat Johannem Soreth, ac multa ex Bostio mutuat. (4)

F. Johannis Balei vita S. Simonis Stock in supplemento ad Trissæ catalogum Priorum generalium. Incip. Simon Stock anglicus ab arboris trunco. (5). Præter istam notitiam et aliam quam supra in catalogo Balei edidi, habentur etiam quædam brevissimæ notulæ per ipsius manuscripta sparsæ, quæ cum levioris sint momenti hic omittuntur.

Prædictis addenda sunt quæ de S. Simone habentur in operibus Arnoldi Bostii (6), Segeri Pauli (7) aliorumque recentiorum.

(1) MS. Harley 1819, fol. 129a. Menaldus vel Monaldus de Rosariis doctor Parisiensis, provincialis Vasconiæ, obiit Burdegalis 18 Junii 1508. Vide infra in catalogo Barret n. 57.

(2) MS. Bodley 73, fol. 92a. Rolandus Bouchier ex Valencenis oriundus obiit Antwerpiæ 29 Octobris 1540.

(3) MS. Selden 41 supra. Circa medium librum (qui partim paginatione caret).

(4) Ibidem in fine, fol. 130a.

(5) Ibidem, in fine.

(6) Specul. Carmel. II, 414, n. 1480 sqq.

(7) Vinea Carmeli (cf. supra P. 218 n. 2) Specul. Carmel. II, 424, n. 1502 sqq.

Quæritur hic quid censendum sit de Vita S. Simonis quam Petrus Swanyngton ipsius secretarius et comes fertur scripsisse. Breviter respondeo (posthac fusius de ipsa tractaturus) eam interpolationibus nequaquam carere, nihilominus præsertim in prima parte quoad substantiam veridicam videri.

Hinc sequitur antiquissimam omnium Vitam S. Simonis Stock illam esse quam Johannes Grossi fere ducentis annis post ejus mortem conscripsit. (1) Posteriores vero auctores illis quæ apud Johannem Grossi invenerant nonnulla addiderunt, pro quibus nullam afferunt auctoritatem.

Teste prædicto Johanne Grossi S. Simon mortuus est Burdegalis 16 Maji 1265 centesimo ætatis anno, unde circa annum 1166 natus colligitur; quem vero anno 1247 in generalem Ordinis electum supra ostendi (2). De ceteris vitæ ipsius eventibus ob penuriam veterum auctorum non modicus datur ambigendi locus.

Menaldus (B), Bouchier (C) et Baleus (F) notant Simonem e Kantia ortum, sed quibus parentibus non constat; habuisse fratrem natu majorem Ricardum nomine, qui mortuo patre administrationem bonorum paternorum suscepit («erat illi rusticana domus non parum a mendicitate distans; erat enim solitus manibus victum quærere», ait Menaldus), ac Simonem septimum vitæ annum agentem (Bouchier, Baleus) litteris imbuendum curavit. Quinquennio elapso (Menaldus: biennio) Simon solitudinen petens in concavo trunco arbo-

(1) Specul. Carmel, I, 138, n. 598. sqq. Eadem habetur in Act. SS. III Maji P. 654; in codice Vaticano 3813 (sæculi decimi quinti exeuntis) fol. 12b.-13b. cf. Analecta Bollandiana, XVII 315.

(2) P. 216.

ris, unde cognomen dicitur mutuasse (1) (prope Hulne: Bouchier et Menaldus), vitam anachoreticam egit (Menaldus: per duodecim; Segerus Pauli per quindecim, moderni: per viginti annos); quo tempore canum ministerio divinitus enutritus fuit (sic Segerus Pauli et moderni, sed Grossi, anonymus quem supra littera E designavi, Bouchier, Menaldus et Baleus quosdam homines ipsi ministrasse tradunt). Legenda breviarii (D), anonymus (E) et Segerus Pauli insuper referunt Simonem Verbum Dei prædicaturus Angliam perlustrasse non sine ingenti audientium profectu. Denique cum intellexisset (per nuntios: ut aiunt Johannes Grossi, Egidius Fabri, anonymus E, Segerus Pauli; vel ex revelatione, ut dicunt Legenda D, Menaldus, Bouchier et Baleus) Carmelitas Angliam appulisse sese ipsis adjunxit (et quidem Aylesfordiæ aiunt Bouchier, Menaldus et Baleus). Postea Oxoniam studiorum causa missus fuit (Menaldus et Bouchier) ubi renuens quidem (Bouchier) sed magistris Oxoniensibus compellentibus (auctores moderni) baccalaureatum suscepit. Addunt Menaldus et Baleus ipsum invitum circa ætatis annum quadragesimum ad presbyteratus ordinem evectum fuisse. Denique Aylesfordiæ in Generalem electus (miraculose aiunt Johannes Grossi et anonymus E), Ordinis regulam per Summum Pontificem approbari curavit. Ordine ob persecutionem periclitante Scapulare e manibus B. V. Mariæ accepit (juxta omnes auctores præter fragmentum Swanyngtonii quod promissionem habitui qualicumque annexam refert) ac pluribus miraculis claruit, inter quæ duo enumerantur, nempe cum missam celebrare vellet ac utrumque urceolum aqua plenum esset (dæmonis astutia, secundum Segerum Pauli et recentiores) aquam

(1) Quod mihi quidem nequaquam persuasum est.

in vinum se convertisse (1); similiter cum Ricardus frater ejus germanus Simoni secum prandenti piscem coctum offerret, piscem in aquam projectum vitæ restituisse. Addit anonymus (E) Simonem perinde pisces nuda manu e flumine Tamisi sustulisse, quos (ait Baleus) deinde iterum aquæ restituit. Tandem quinquagesimo sui regiminis anno (Baleus habet vigesimo) Burdigalis diem ultimum clausit. De his ergo dicam breviter quid sentiam.

Satis probabile videtur revera S. Simonem e Kantia oriundum per aliquod temporis spatium vitæ anachoreticæ operam dedisse; insuper probabile est ipsum sive divinitus sive humanitus admonitum fuisse ut Ordini B. V. Mariæ nomen daret. Errant tamen omnes auctores asserentes eum anno 1212 Carmelitis Angliam ingredientibus sese adjunxisse; eo enim anno Carmelitæ nondum de migratione in Europam egerant; attamen mihi arridet opinio Balei et Segeri Pauli asserentium S. Simonem per septem (immo per multo plures) annos in ipso Monte Carmeli habitasse. (2) Istam vero peregrinationem nequaquam tempore generalatus sui, ut vult

(1) Mihi nullatenus constat aquam in vinum conversam fore certam materiam sacrificii missæ, quippe quod *genimen vitis* requirat. Præterea quod dicit Monaldus « cum igitur non posset vinum haberi a locis circumvicinis, erat enim in silva monasterium longe distans a suburbiis usque adeo quod illa die impossibile factum erat ut vinum haberetur », erroneum est. Tribus enim kilometris (ut egomet sæpius expertus sum) a conventu Holnensi erat abbatia Alnevicensis ordinis Præmonstratensium necnon ecclesia parochialis S. Michaelis, unde si revera oportuerit celebrare sine ullo incommodo vinum ab una vel altera quæri potuisset.

(2) Roboratur præterea hæc opinio ex relatione apparitionis B. Jordani, Generalis Prædicatorum, factæ cuidam novitio Ordinis nostri, quam postea S. Simon Prædicatoribus narravit. Cf. Lezana, IV, 279. Acta SS. II Februarii, P. 731.

Segerus (1), sed longe antea locum habuisse opinor. Vix enim credi potest, S. Simonem ætatis anno septuagesimo sexto Ordinem ingressum jam quatuor vel quinque annis elapsis in Generalem electum fuisse; nihil tamen obstat quin per multos annos in Carmelo degisse ac tandem cum Yvone, Radulpho ac ceteris in Angliam rediisse credatur. Utut sit nullatenus admittenda censeo quæ aliqui auctores de suscepto gradu baccalaureatus affirmant. Sæculo decimo quinto exeunte, quo hæc primum propalantur, nullus quidem patebat aditus ad prioratum, saltem solemniorum conventuum, ad provincialatum et multo minus ad generalatum nisi ope laureæ magistralis. Sæculo vero decimo tertio longe aliter res se habebat; eo enim tempore gradus academici nondum erant ad instar tituli honorifici, sed præcise confeberant licentiam ad docendum in ipsa universitate. Primus autem e nostris Oxoniæ promotus fuit Petrus Swanyngton, circa annum 1259; secundus Gulielmus Hanaberg; primus Cantabrigiæ lauream suscipiens fuit Humfridus Necton. Quod vero recentiores addunt de precibus magistrorum Oxoniensium quibus permotus S. Simon tandem invitus gradum acceperit, prorsus incredibile est, ut ii norunt qui de systematica oppositione magistrorum erga regulares vel modicam habent notitiam (2).

(1) Auctor operis *Histoire de l'Ordre* (P. 64) ex eo quod bulla Alexandri IV diei 8 Martii 1261 (Bullar. I, 22) « Generali et provincialibus in Terra Sancta constitutis » dirigatur autumat S. Simonem eo anno cum aliquibus provincialibus conventum Montis Carmeli canonice visitasse; probabilius est Pontificem petitioni sibi per capitulum generale porrectæ satisfecisse et eisdem Generali et provincialibus rescripsisse qui sibi scripserant. Quod vero in margine bullarii habetur, nempe eo tempore plures fuisse provincias in patriarchatu Hierosolymitano a veritate alienum est.

(2) Cf. Munimenta academica (ed. Henry Anstey, Rolls' Series), 1868, *passim*.

S. Simon e Carmelo redux circa annum 1242 in Kantia patria sua conventum Aylesfordiensem munificentia domini Ricardi de Grey erexit, cui etiam probabiliter præfuit donec a. 1247 in generalem electus fuerit. Quomodo novis Ordinis necessitatibus providerit, ac regulam temporum atque locorum circumstantiis adaptari curaverit, in quibus punctis prospere processerit, in quibus aliis frustratus fuerit, discere licet ex Siberti de Beka opusculo *De consideratis super Carmelitarum regula* (1), ubi inter alia explicatur qua ratione clausulæ quæ dicit « Et promissam (obedientiam) studeant operis veritate servare » adjecta fuerint illa verba « cum castitate et abdicatione proprietatis ». Item, qua ratione cum fratribus grave esset cibum separatim in cellulis sumere, quia propter distributionis moram sæpe refrigeraretur, clausula de communi refectorio addita sit; similiter quo nomine cum regula circa officium divinum ambigua esset, deleta illa clausula nova composita sit. Domestico sæculari qui ad victum et vestitum necessaria distribuere consueverat, ordinatione commissariorum papalium substitutus fuit frater, qui etiam non omnibus æqualiter sed inspectis ætatibus et necessitatibus singulorum, singulis provideret. Insuper concesserunt usum animalium, tum ob laborem cum ad nutrimentum. A perpetua tamen abstinentia dispensare renuerunt, quamvis eis constiterit Eliam prophetam carnes comedisse (quippe quæ materia sacrificii essent, cum e contra vinum numquam biberet quod in Novo fœdere nedum licitum sed ob missæ sacrificium necessarium evasit), sed loco *nimiæ debilitatis* propter quam hucusque licuerat abstinentiam solvere, scripserunt tantum *debilitatis*, ad vitandos scrupulos. Cum itinerantibus tamen dispensarunt super pulmentis coctis cum carnibus, et cum constitutis in

(1) Specul. Carmel. I. 83 sqq. Supra P. 216.

mari etiam super esum carnium. Denique silentium regulare hucusque a Vesperis usque ad Tertiam sequentis diei perdurans declararunt tenendum a Completorio usque ad Primam dictam. De licentia recipiendi loca non solum in eremis sed etiam in civitatibus postea disserturus sum.

S. Simon imprimis sudavit in stabiliendis conventibus in locis ubi studia generalia habebantur tum ut fratribus profectum in scientiis procuraret, tum ut scholares ibi existentes Ordini associaret. Cantabrigiæ anno 1249 conventum instituit (1), Oxoniæ anno 1253 (2), Parisiis (3) et Bononiæ anno 1260.

Quantas vero ærumnas hisce laboribus perpessus sit, difficile est dictu. Ex una parte Ordinem e Terra Sancta in Europam transplantatum stabilire ac dilatare curavit; cœtum eremitarum in religionem Mendicantium transmutatum, organizavit, ac legibus munivit. Ex alia parte contra prælatorum ac ecclesiarum rectorum impugnationes strenue egit; et insuper suos vel tædio affectos vel desperationi deditos, vel etiam in seipsum insurgentes (4) erexit consolavitque. Nec sibi defuit auxilium de Sancto; Beatissima enim Virgo Maria mirifice servum suum roboravit, sicut infra videbitur.

S. Simon tandem centesimo ætatis anno provinciam Vasconiæ visitavit, et Tolosam ad capitulum celebrandum migraturus Burdigalis morbo correptus die 16 Maji 1265 quievit. Narrat Menaldus (ac ex eo Bouchier et Baleus) ab ipsius sepulchro tantum fulgorem tantamque lucem emicuisse de

(1) Cf. B. Zimmerman. *Die englischen Karmelitenkloester* (in periodico germanico *Stimmen vom Berge Karmel,*) Graz, 1901-2, P. 122.

(2) Ibid. P. 123.

(3) Supra P. 283.

(4) Vide infra elenchum bullarum.

nocte ut videretur ibi lucem esse meridianam. « Territi fratres ad archiepiscopum civitatis introeunt, qui stupefactus ex novitate miraculi clerum et populum vocat. Jam enim lux illa quindecim diebus fratres terruerat. Veniens itaque archiepiscopus processionaliter comitatus religiosa pompa, auferri jubet lapidem superpositum, flagrat odor nimius, et ossa rutilant velut aurum. Archiepiscopus vero religiosissimus corpus sacrum in capellam ponit, jubens ut tantus thesaurus cum omni diligentia servaretur (1). Fiunt interim miracula quæ propter legentium tædium omitto. Hoc autem factum mihi retulerunt duo venerandi patres nostri Burdegalensis cœnobii, quorum alter erat centum annorum et amplius, dictus frater Petrus Comitis, alter vero nonaginta vel circiter annorum, dictus frater Johannes Fortis. Isto vero anno qui est millesimus quingentesimus, frater Augerius de Vineis s. theologiæ doctor honestiorem sibi capellam et sacellum ædificavit in eodem Burdegalensi cœnobio. »

Anno 1430 quo Johannes Grossi *Viridarium* composuit, Simon Stock nondum cultu ecclesiastico venerabatur, quamvis per totum Ordinem sanctus reputatus fuerit. At paucos post annos, scilicet 1435, teste Lezana (2) ejus festum in li-

(1) MS. Harley 1819, fol. 132 a. Alias corpus S. Simonis dicitur « piperatum » i. e. quasi aromatibus conditum. Relatio ista quam Menaldus ab illis fratribus accepit manifeste exaggerata est.

(2) Annal. IV, 386 Specul. Carmel. I, 139, n. 599. Cf. quæ Johannes Grossi dicit de S. Alberto (ibid. I, 140, n. 602) cujus festum, quamvis canonizatus nondum esset, ab anno 1411 « ex devotione » agebatur. Officium Burdigalense extat apud Daniel, *Vinea Carmeli*, P. 431, sed editor reprehendendus est eo quod loco lectionum antiquarum, quas supra littera D designavi, vel quas Rolandus Bouchier ex Menaldo de Rosariis confecit, modernas substituerit. Idem officium habetur in MS. Harley 1819, fol. 98 b. Hymni ad Vesperas (Incip. Voce serena resonemus omnes)

bris choralibus conventus Burdigalensis ponitur. In Hibernia — et proinde dubio procul etiam in Anglia — ante annum 1458 instituitur, (1) ac in universum Ordinem invehitur vi decreti Capituli Generalis anni 1564.

Baleus, Trithemius aliique scriptores plures referunt librorum titulos quos S. Simon fertur scripsisse. Ex his antiphonæ ad B. V. Mariam *Flos Carmeli* et *Ave stella matutina* quæ habentur in breviario Carmelitarum Calceatorum sunt omni dubio remoto ejus opera. *Epistola* vero vel *epistolæ* quibus initium *Frater Simon Generalis* jam tempore Balei, forsitan immo tempore Johannis Grossi deperditæ erant. *Canones cultus divini* probabiliter erant constitutiones in capitulo Messanensi anno 1259 factæ (2); *Homiliæ* vero ad populum ac *liber de Christiana pœnitentia* videntur perperam Simoni Stock adscripta, cum fuerint potius opus alterius Simonis, forte Simonis Anglici qui anno 1318 Parisiis degebat (3).

et ad matutinum (Incip. Æterno regi Domino) auctore prælaudato Menaldo de Rosariis habentur in eodem MS. fol. 132 a sqq. Publici juris feci in appendice operis *L'Ordinal de Sibert de Beka*, vol. XII bibliothecæ liturgicæ Canonici Ulyxis Chevalier. Aliud officium composuit Robertus Baleus anglus circa annum 1500 (Incip. Ave Simon pater inclyte) quod nondum reperi.

(1) *The Kilcormic Missal*, edit. Hugh Jackson Lawlor, in *Transactions of the Royal Irish Academy*, Dublin 1900. XXXI, 393 sqq. Ibidem habetur sub 16 Martii (sane ex errore pro 16 Maji) *S. Simionis confessoris Ordinis Carmelitarum. IX lect.* Cf. opusculum meum *Le Cérémonial de Maître Sibert de Beka* in periodico belgico *Les Chroniques du Carmel* (Soignies) 1903-5.

(2) Supra P. 203.

(3) Supra P. 303.

De sacro Scapulari

Dum de sacro Scapulari disserere incipio benevolum lectorem monitum volo me tantummodo historiographi munere fungi, ac proinde documenta quibus difficillima ista materia fulcitur collecturum, de eorum valore critico judicaturum et conclusionem circa historicam piæ opinionis probationem adlaturum; apologetæ alia via procedent. Iterum atque iterum quæstionem de Visione S. Simonis Stock ad trutinam revocavi (1), neque ullo peperci labori ut tandem aliquando quantulamcumque lucem rei inferrem obscuræ.

Refert Sanvicus (2) « Interea dum hæc prædicta (fundatio conventuum in Europa) a fratribus agerentur, invidens dia-

(1) Cf. dissertationes meas *Chroniques du Carmel*. Soignies 1901, P. 374, 405; 1902, P. 5: *Etude historique sur le S. Scapulaire*. — *Stimmen v. Berg Karmel*, Graz, 1902, Pp. 189, 212. — *Revue du Clergé français*. XXXVI, 634 : *La vision de S. Simon Stock*, cum responsione cl. A. Boudinhon. Opusculum meum *The Origin of the Scapular* in periodico *The Irish Ecclesiastical Record*. Dublini, 1901, P. 385 sqq (mensis Maji), 1904, Pp. 142, 206, 331, (mensibus Febr., Mart. Apr.), cum responsione cl. Herberti Thurston, S. J. ibidem, P. 59 (mense Julio) et responsiuncula mea, ib. P. 259 (mense Sept.). Prædictum opusculum prodiit etiam italice in periodico *Il Carmelo*, Mediolani 1904, P. 217 sqq. et (quamvis non ex integro) hispanice in periodico *El Monte Carmelo*, Burgis, 1905, P. 15 sqq. Cf. etiam opus cui titulus *Catalogus brevis auctorum qui de B. V. Maria de Monte Carmelo ejusque sacro Scapulari tractarunt*, auct. Fr. Rocho Alberto Faci, O. C. C. Cæsaraugustæ 1752. Cum auctor omnem criticam missam fecerit, saltem quoad scriptores sæculo decimo septimo antiquiores nullius valoris est.

(2) Spec. Carmel. I, 101 sqq.

bolus bono eorum operi, et hujus religionis multiplicationi, nisus fuit eam impedire. Quamobrem incitavit rectores et curatos parochialium ecclesiarum adversus fratres prædictos. Qui fratribus non permittebant in eorum monasteriis divina celebrare nec sepulturam fratribus sui Ordinis habere. Cumque fratres ad dominos diœcesanos pro compescendis rectoribus et curatis a gravaminibus prædictis recurrerent, supplicantes eisdem ut de licentia eorum et gratia possent in locis suæ religionis divina celebrare et sepulturam fratrum sui Ordinis habere, responderunt prælati, quod cum hæc religio esset eis ignota, gratiam postulatam fratribus non concederent donec super præmissis intentionem summi pontificis scirent. Eapropter dicti fratres iterum ad summum pontificem Innocentium IV accesserunt, cui humiliter supplicaverunt ut dignaretur prælatis scribere, sibi non esse displicibile sed placibile si licentiam fratribus concederent celebrandi divina in eorum locis et habendi liberam sepulturam fratrum sui Ordinis. Pontifex autem prædictus humili fratrum petitioni annuens super præmissas scripsit.... » Sequitur bulla 27 Julii 1247 incipiens *Paganorum incursus* (1). Pergit Sanvicus : « Cum autem prædictas summi pontificis litteras fratres dominis diœcesanis ostenderent, quidam prælatorum renuerunt eis concedere licentiam celebrandi divina in locis quæ habebant in ipsorum diœcesibus, et habendi in dictis locis sepulturam fratrum sui Ordinis. Alii autem ex prælatis compatientes fratribus hujusmodi licentiam celebrandi divina in locis de quibus erat fratribus provisum in ipsorum diœcesibus

(1) Bullar. Carmel. I, 8. Cum bulla ista data fuerit « Lugduni, VI Kal. Augusti, pontificatus nostri anno quinto » liquet eam 27 Julii 1247 concessam esse, et quidem post capitulum Aylesfordiense (supra P. 216) non vero a. 1246, uti habet Sanvicus l. c. neque 1248 ut scribit bullarium.

et habendi in dictis locis liberam sepulturam fratrum sui Ordinis eis favorabiliter concedebant. »

Sequenti capitulo Sanvicus refert qualiter S. Ludovicus (a. 1254) naufragus montem Carmeli adierit (1) indeque sex fratres secum Parisios duxerit. Deinde addit :

« Videns itaque diabolus quod quanto plus multiplicationem hujus religionis impedire conabatur, tanto magis ipsa in diversis mundi regionibus multiplicabatur, sæviens ille acrius adversus eam concitavit fortius rectores et curatos parochialium ecclesiarum contra ipsam. Aliqui enim ex dictis curatis non permittebant quod in eorum parochiis fratres ædificarent ecclesiam nec haberent campanam, neque cœmeterium ad opus ipsorum. Alii autem ex curatis qui præmissa non poterant fratribus vetare, exigebant ab eis et ab eorum monasteriis servitutes graves et insupportabiles, quas numquam fratres in monasterio Montis Carmeli nec etiam in aliis Terræ Sanctæ monasteriis consueverant exhibere. Cum fratres ad dominos diœcesanos recurrerent, ut a prædictis gravaminibus curatos compescerent, e contra plures diœcesani partem rectorum foventes quasdam sophisticas rationes allegabant, quibus curatos ducere causam justam adversus fratres asserebant.

« Videntes ergo fratres quod super præmissis non poterant cum prælatis favorem invenire, Virginem Mariam eorum patronam humiliter deprecabantur, ut quæ ipsos ad regiones illas pervenire fecerat a præmissis diabolicis tentationibus eos eriperet. Virgo itaque Maria priori eorum revelavit ut ad summum pontificem Innocentium intrepide fratres sui accederent; quia ab eo salubre remedium contra præmissa gravamina reportarent. Ad ipsum ergo tunc Perusii commorantem accedentes, fratres ipsi exposuerunt grava-

(1) Supra P. 282.

mina quæ curati eis inferebant, et favorem modicum quem super præmissis prælati eis impendebant. Pontifex autem prædictus fratribus compatiens scripsit prælatis Idibus Januarii A. D. 1252, mandans eis ut super præmissis pium favorem fratribus impenderent et molestatores eorum per censuram ecclesiasticam apellatione postposita compescerent. » Sequitur prædicta bulla, quæ incipit « Ex parte dilectorum. » (1)

Resumit Sanvicus narrationem hoc modo :

« Dum autem fratres Innocentii papæ quarti litteras dominis prælatis præsentabant, prælati illi qui fratribus fuerant prius favorabiles multo magis tunc se eis favorabiles reddebant, et subditos suos qui præstabant fratribus impedimentum ædificandi in eorum parochiis ecclesiam, et habendi campanam et cœmeterium ad opus fratrum, dicti prælati a præmissis gravaminibus efficaciter compescebant; cohibebant etiam curatos illos qui a fratribus et ab eorum monasteriis servitutes graves et insupportabiles exigebant. Similiter prælati qui fuerunt prius fratribus duri, visis prædictis litteris summi pontificis, subditos suos a præmissis gravaminibus cessare faciebant. Propter quod fratres a prædictis diabolicis tentationibus liberati in monasteriis quæ jam receperant, divina in pace celebrabant, et nihilominus nova monasteria sparsim hinc inde facientes, recipiebant. Sicque paulatim hanc religionem in diversis fidelium regionibus per Europam multiplicabant ».

Relationem istam Sanvicus composuit post a. 1291, et quidem in regione longinqua, unde non est mirum ipsum citra rerum ordinem vagasse. Etenim adventus S. Ludovici in Carmelo bullam Innocentii IV a. 1252 subsecutus est,

(1) Bulla exstat in Registro Innocentii IV ed. Elie Berger, III, 24, n. 5563, ubi tamen aliquæ clausulæ desunt.

non vero præcessit ut ex Sanvico appareret. Facile ergo fieri potuit, ut etiam de visione S. Simonis erraverit, loquendo solummodo de admonitione B. V. ut Summum Pontificem adiret, non vero de promissione quam eadem vel alia occasione fratribus in Ordine perseverantibus largita esse creditur. Inspiciamus ergo seriem eventuum. Et primo notandum tunc temporis centrum gravitatis, — ut ita dicam, — in Anglia situm fuisse.

A primo adventu Carmelitarum in Angliam usque ad regulæ approbationem quatuor tantum conventus fundati fuerunt, nempe Hulnensis et Aylesfordiensis de quibus infra disserturus sum, tertius in loco Bradmer in littore Nordvolgiæ, qui postea ad locum Burnham-Norton translatus est, et quartus in loco Newenden in parochia Losenham in littore comitatus Kantiæ. Hi omnes cum extra civitates, in locis solitariis extiterint, nulla lis inter Carmelitas et parochos oriri potuit, vel si quæ orta esset per bullam 27 Julii 1247 sopita fuit.

Eodem anno 1247 regula non solum approbata sed in pluribus etiam correcta fuit, inter alia per insertionem capituli de receptione locorum (1). Insuper monuit pontifex Christifideles ut fratres benigne reciperent eisque de opportunis locis providerent. (2)

« Deinceps, ait Horneby (3), urbes, civitates, villas et oppidula, sicut et antea in horum secessibus ac extra populi frequentiam [cœperunt Carmelitæ] agere ; tunc Londini, tunc Cantabrigiæ, tunc Eboraci, Oxoniæ, Bristollis, Nordvici, et in plerisque aliis Angliæ civitatibus cœpere loca ». Fundatio Londinensis extra civitatem versus Westmonasterium incerto quidem anno sed ante 1254 facta fuit ; Cantabrigiensis in

(1) Supra P. 13.
(2) Bullar. I, 522.
(3) MS. Harley 3838, fol. 16.

loco dicto Chesterton ab urbe paulo remoto, anno 1249; Oxoniensis, 1253 vel sequenti anno, Eboracensis 1255 et tandem Norvicensis 1256. Deinceps nulla fundatio memoratur usque ad annum 1267, si excipias conventum Bridportensem in comitatu Dorsetensi, qui circa annum 1263 erectus, sed 1268 iterum derelictus fuit. Quod ergo ad fundationes conventuum attinet, anni 1247 usque 1256 satis prosperi erant, 1256 usque 1267 vero macilenti.

Interim diversæ exortæ sunt difficultates quarum memoria in diplomatibus pontificiis habetur. Innocentius IV per bullam datam Anagniæ 26 Augusti 1254 rescribit episcopo Eliensi in cujus diœcesi, nempe Cantabrigiæ, capitulum Carmelitarum celebratum fuisse videtur, se confirmare concessionem locorum Aylesfordiæ et Londini factam per dominum Ricardum Grey et uxorem ejus, « quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsos (i. e. eremitas de monte Carmeli) non permittas contra confirmationis tenorem super iis ab aliquibus indebite molestari. Molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo (1) ». Nota hic ipsos terminos quos Sanvicus ait papam adhibuisse.

Idem pontifex 9 Sept. ejusdem anni rescripsit episcopo Londinensi, ut Carmelitas ad ipsius diœcesim divertere cupientes, ut ibidem insistant divinis laudibus, ab incursibus quorumlibet malefactorum protegat et defendat (2).

Præter pericula ab extrinseco aderant etiam discordiæ ab intrinseco. Argumentum sumo e litteris pontificiis.

Idem Innocentius 27 Sept. 1250 concessit Carmelitis ut

(1) Bullar. I, 13. Ibidem erronee dicitur dat. 24 Augusti.

(2) L. c. I. 14.

tempore interdicti possint divina celebrare januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa (1).

Eodem die Ordinem, personas, loca et bona fratrum sub sua protectione suscipit (2).

Die 26 Sept. 1253 indulsit priori generali, ut possit postulantes habitum a censuris ecclesiasticis absolvere et ad Ordinem admittere (3), necnon absolvere a censura dicta Canonis ob manuum injectionem in se invicem (4). Inhibet ne quis de hortis et virgultis ad Ordinem spectantibus decimas exigere præsumat (5), et permittit ut prior generalis fratribus idoneis licentiam concedere valeat Verbum Dei prædicandi et confessiones fidelium excipiendi (6).

Alexander IV die 15 Jan. 1256 indulsit ut generalis et provinciales possint libere sua officia exercere, fratres mutare, visitare et corrigere, necnon recipere novitios (7). Item prohibet omnibus ecclesiarum prælatis ne contra tenorem privilegiorum a fratribus obedientiam exigere præsumant (8). Die 3 Febr. ejusdem anni confirmat regulam per Innocentium IV mitigatam et approbatam (9). Die 9 Febr. renovat facultatem celebrandi tempore interdicti (10). Eodem die commendat fratres per S. Ludovicum in Galliam ductos benignitati Christifidelium (11). Die 24 Febr. ejusdem anni confirmat

(1) L. c. I. 13. Erronee dat. 26 Sept. 1251.
(2) Bullar. Carmel. 11.
(3) Ibid. 12.
(4) Ibid.
(5) Ibid.
(6) Ibid. 13.
(7) Ibid. 14.
(8) Ibid. 15.
(9) Ibid.
(10) Ibid. 16.
(11) Ibid.

electionem prioris generalis in capitulis generalibus pro tempore faciendam, et tribuit facultatem officii exercendi cum animarum cura (1). Die 3 Martii ejusdem anni concedit facultatem ministrandi sacramenta nostris familiaribus eosque sepulturæ tradendi (2). Die 13 Feb. 1259 idem pontifex mandat patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ut a molestiis desistentes nullatenus impediant Carmelitas, quominus in suis oratoriis divina officia possint celebrare (3); eadem die prohibet Carmelitas ne in alio Ordine paris vel minoris arctitudinis absque prioris generalis licentia recipiantur (4).

Die 18 Martii 1259 constituit ut Generalis et ceteri superiores possint fratres apostatas et inobedientes excommunicare et in carcerem detrudere (5). Die 7 Martii 1261 rescribit quod Carmelitæ nequeant compelli ad recipienda officia inquisitoris vel executoris causarum, nec ad suscipiendam curam monialium absque speciali mandato Sedis apostolicæ (6). Sequenti die affirmat eos posse habere oratoria, ecclesias et cœmeteria in locis ubi habitant de assensu diœcesanorum (7). Item suscipit fratres sub Sedis apostolicæ protectione, iterumque prohibet ne decimæ &c. ab eis exigantur (8). Concedit etiam quasdam indulgentias et alia moderatur Terram Sanctam respicientia (9). Die 11 ejusdem mensis et anni concedit, ut generalis et provinciales possint absolvere fratres si se-

(1) Bullar. Carmel. I, 16.
(2) Ibid. 17.
(3) Ibid. 18.
(4) Ibid. 19.
(5) Ibid.
(6) Ibid. 20.
(7) Ibid.
(8) Ibid. 20 et 21.
(9) Ibid. 21 et 22. Vide supra P. 284.

ipsum percusserint, nisi casus sit enormis (1). Deinde providet ecclesiæ Carmelitarum Acconensi (2). Die 30 Martii 1261 superioribus Ordinis facultatem tribuit ut possint absolvere a censuris eos qui in religione nostra professionem emittunt (3).

Urbanus IV. die 16 Sept. 1261 concedit Carmelitis jus compositionis de bonis injustis et incertis (4). Providet ecclesiis Ordinis Pisanæ et Senensi (5); die 17 Maji 1262 renovat facultatem recipiendi loca de assensu diœcesanorum in quibus ecclesiæ cum campanili extruantur, divina celebrari et sepulturæ haberi valeant (6). Die 22 Febr. 1262 præcipit archiepiscopis et episcopis Angliæ ut Carmelitis licentiam concedant ecclesias construendi, divina celebrandi, necnon liberam sepulturam habendi (7). Die 15 Martii ejusdem anni mandat archiepiscopo Cantuariensi, ut Carmelitas in Anglia constitutos opportuno favore prosequatur eosque non permittat indebite molestari, molestatoresque per censuram ecclesiasticam compescendo (8). Die 8 Maji ejusdem anni renovat facultatem audiendi confessiones Christifidelium et maxime familiarium (9). Paucis abhinc diebus regulam iterum confirmat (10). Die 28 Augusti ejusdem anni confirmat facultatem superiorum absolvendi fratres a censura canonis, sive

(1) Ibid. 22.
(2) Ibid. 23. Vide supra P. 288.
(3) Ibid.
(4) Ibid. 24.
(5) Ibid. 24 et 26 25.
(6) Ibid. 25.
(7) Ibid. 26.
(8) Ibid.
(9) Ibid. 27. In registro W. Giffard (Surtees Soc. CIX, 304 dat. Idib. Maji.)
(10) Ibid.

ante sive post religionis ingressum (1). Demum indulgentiam concedit pro ædificatione monasterii in monte Carmeli (2).

Die 22 Sept. 1262 rescripsit S. Bonaventuræ prohibens ne recipiat Carmelitas in Ordine Minorum (3).

Clemens IV. 9 Maji 1265 constituit quod fratres Carmelitæ nequeant ultra duas dietas in judicium trahi (4). Die 23 Maji ejusdem anni mandat prælatis ut eos in propriis ecclesiis divina celebrantes non impediant (5). Deinde 2 Junii concedit ut in locis propriis possent missas celebrare cum altari portatili (6). Facta confirmatione donationis cujusdam conventum Tolosanum respicientis (7) die 5 Augusti eximit Carmelitas a canonica portione et quarta funerali (8). Die 26 Sept. ejusdem anni 1265 iterum suscipit fratres sub protectione Sedis apostolicæ, eosque a solutione decimarum eximit (9); Bullam Innocentii IV. 13 Januarii 1251 quam Sanvicus dixit fuisse instrumentum quo omnis oppositio prælatorum sopita fuerit et Ordo sibi favorem prælatorum conciliaverit, dictus Clemens IV. die 31 Octobris 1265 de verbo ad verbum repetit (10). Constituit insuper 3 Apr. 1267 quod Carmelitæ possint ædificare monasteria et ecclesias, ac in

(1) Ibid. 28.
(2) Ibid. Vide supra P. 284.
(3) Bullar. Francisc. II, 423. Cf. *Histoire de l'Ordre.* P. 68, n. aaa. Ibid. P. 77 de capit. gen. Cisterc. a. 1274.
(4) Bullar. Carmel. I. 29.
(5) Ibid.
(6) Ibid. 30.
(7) Ibid.
(8) Ibid. 31.
(9) Ibid. 32.
(10) Ibid.

eis divina celebrare non obstante privilegio distantiæ trecentarum cannarum (1).

Hisce expositis nemo est qui non videt quot et quantæ difficultates Ordinis progressum retardaverint, atque etiam quomodo Innocens IV ejusque successores non semel tantum fratribus favorem apostolicum ostenderint. Sedule tamen notetur tempus; etenim a. 1252 quo Innocens IV prima vice prætensionem parochorum compescuit vix oppositio nata erat; decursu vero temporis præsertim a. 1256 et deinceps eædem quæstiones iterum atque iterum exortæ sunt: insuper intra Ordinem perplexitas usque adeo crevit, ut complures fratres habitu relicto ad alios Ordines sese contulerint. Tempore obitus S.Simonis difficultates nondum sopitæ erant, cum adhuc duobus fere annis postea quædam bulla super ista materia concessa fuerit.

Constans traditio Ordinis habet Beatissimam Virginem S. Simoni in tali constituto discrimine apparuisse, eique pro se suisque habitum Ordinis gestantibus vitæ æternæ mercedem promisisse. Verum, si quæras quænam hujus rei documenta præsto sint, respondeo præter *Viridarium* a Johanne Grossi a. 1430 conscriptum unum tantum ad nos usque pervenisse, idque neque indubitatum neque interpolationis expers.

Cum a. 1642 Johannes Chéron prior (2) Carmelitarum Calceatorum Burdigalæ ederet opus cui titulus *Privilegii Scapularis et Visionis S. Simonis Stock Vindiciæ* publici juris fecit fragmentum *Vitæ ejusdem sancti a Petro Swanyngton* (quem Simonis secretarium et comitem fuisse asserit) *conscriptæ*, et a se in archivio Burdigalensi repertæ, nemini ta-

(1) Ibid. 33.

(2) Cf. Ant. de Lantenayt *Le P. Jean Chéron* (n. 1596, obiit 20 Febr. 1673) in ephemeride gallica *Revue catholique de Bordeaux*, 1884, P. 557 sqq.

men eousque cognitæ. Postea vero cum ad instantiam P. Lezanæ diffuse de antiquitate conventus prædicti tractaret, altum de prælaudata Vita tenuit silentium (1), neque umquam sive amicorum sive adversariorum importunis precibus induci potuit, ut eam in lucem ederet vel saltem manuscriptum originale ostenderet, quin potius per triginta et amplius annos usque ad finem vitæ abscondit; tandem codex Vitam illam continens irreparabiliter deperditus est. Non ergo ex argumentis ab extrinseco judicanda est, sed tantum rationibus intrinsecis.

In favorem autenticitatis facit nomen Petri Swanyngton de cujus vitæ eventibus Chéron adhuc modicam habere potuit cognitionem, vix enim conjecturare ausus fuisset ipsum S. Simonis socium egisse, nisi illius nomen in prædicto documento scriptum invenisset; secundo quod relatio de qua agitur promissionem B. Virginis non quidem specialiter Scapulare, sed generatim habitum Carmelitarum gestantibus factam narret.

Contra vero autenticitatem militant plura quæ circumstantiis temporum omnino repugnant. Hujusmodi est subscriptio *Datum Cantabrigiæ in crastinum Divisionis Apostolorum 1251 decimo septimo Kalendas Augusti.* Festum Divisionis Apostolorum ante a. 1480 tantummodo in Alemannia Inferiori celebrabatur, nequaquam autem in Anglia vel Gallia meridionali, sive apud sæculares sive in Ordine nostro. Cum vero prædicto anno 1480 breviarium Ordinis Bruxellis imprimeretur ad cujus normam cetera breviaria Venetiis (1490, 1495, 1504 &c) typis deinceps vulganda essent plura festa territorialia in universum Ordinem irrepserunt, e. g. Divisionis Apostolorum, de quo agitur, S. Longini, S. Alexii et S. Joseph,

(1) Annales IV, 621.

cujus festum deinde a. 1498 per capitulum generale autorizatum fuit.

Similiter dies 16 Julii « crastinus Divisionis App. et XVII Kal. Augusti » quo nunc celebratur festum Commemorationis solemnis B. V. Mariæ, tamquam festivus agi cœpit tantummodo post annum 1376 et ante a. 1386, et quidem nullatenus in gratitudinem collati Scapularis, sed ut « festum confratrum » ob protectionem qua B. V. a. 1374 et sequentibus Ordinem contra impugnantes et vexantes muniverat. In lectionibus ad matutinum incipientibus *Inviolabilis antiquitatis*, quæ habentur in antiquis breviariis ab ipsa festi institutione, agitur exclusive de approbatione Ordinis per Honorium III a. 1226, non vero de apparitione S. Simoni Stock factæ, nec de Scapulari.

Tertio recolat lector a. 1251 persecutionem Ordinis vix inchoatam fuisse, et Sanvicum, qui de apparitione B. V. quidem loquitur, promissionem Scapulare vel habitum gestantibus factam omnino silere.

Hisce secundum rei veritatem expositis videtur mihi prælaudatum documentum *quoad substantiam* quidem (saltem pro prima parte) veridicum, attamen vehementer suspicor ab ipso Chéron interpolatum ; quoad vero secundam et tertiam partem non eandem videtur mihi fidem mereri, ut infra patebit.

Accipe nunc celebrem illam relationem :

« Beatus Simon grandæva senectute gravatus et rigorosa pœnitentia fractus, omnium fratrum dolores in corde suo sustinendo, assidue pernoctabat in oratione usque auroram : dum autem sic oraret venit ei consolatio de cœlo, quam nobis insimul congregatis narrabat sic : Fratres charissimi, benedictus Deus qui non dereliquit sperantes in se, et non sprevit preces servorum suorum ; benedicta in idipsum

sanctissima Mater Domini nostri Jesu Christi, quæ memor dierum antiquorum et tribulationum, quæ multos vestrum invenerunt nimis, non attendentes quod omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutiones patientur, mittit vobis verbum quod suscipietis cum gaudio Spiritus Sancti: Ipse me regat ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. Cum effunderem animam meam in conspectu Domini, quamvis sim pulvis et cinis, et in omni fiducia Dominam meam Virginem Mariam deprecarer, quod sicut volebat nos appellari Fratres suos, monstraret se matrem, eripiendo nos de casu tentationum, et aliquo signo gratiæ nos recommendando erga ipsos qui nos persequebantur, dicendo illi cum suspiriis:

Flos Carmeli, Vitis florigera,
Splendor cœli, Virgo puerpera,
Singularis:
Mater mitis, Sed viri nescia,
Carmelitis Da privilegia,
Stella maris,

apparuit mihi cum grandi comitatu, et tenendo habitum Ordinis dixit: « Hoc erit tibi et cunctis Carmelitis privilegium. In hoc moriens æternum non patietur incendium ». Et quia sua gloriosa præsentia me lætificabat ultra captum, nec ego miser majestatem ejus sustinere poteram, disparendo dixit, quod mitterem ad dominum Innocentium, benedicti Filii sui vicarium, qui de gravaminibus remedium præstaret. Fratres, conservando verbum istud in cordibus vestris, satagite electionem vestram certam facere per bona opera et numquam deficere. Vigilate in gratiarum actione pro tanta misericordia, orantes sine intermissione; ut sermo mihi factus clarificetur ad laudem Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Jesu Christi, Spiritus Sancti, et Virginis Mariæ semper benedictæ. Idem verbum mittebat ad fratres qui erant in aliis

locis valde tristes, per consolatoriam, quam ego immeritus, homine Dei dictante, scribebam, ut similiter gratias agerent, orando et perseverando. [Cantabrigiæ in crastinum Divisionis Apostolorum 1251, decimo septimo Kalendas Augusti (1).]

« Dum prædictus beatus Simon pergeret Wintoniam, me itineris comite, ad impetrandum formatas pro domino Innocentio IV. pontifice a domino præsule Wintonensi, qui religioni nostræ favorabilis erat, occurrit nobis celeri vectura dominus Petrus de Lintonia decanus ecclesiæ S. Helenæ obsecrando beatum patrem ut festinaret adjuvare germanum suum, qui moriebatur desperatus. Erat ille Walterus nomine homo inverecundus ad ausus improbos, rixosus et magicis sacrilegiis deditus, sacramentorum contemptor et vicinorum fatigator, qui rixando cum alio nobili fuerat letaliter vulneratus ab illo, et videndo se citari ad divinum judicium diabolo commissa crimina ante oculos ponente, nolebat audire loqui de Deo nec de sacramentis, sed blasphemando quamdiu potuit loqui vociferabat: Sum damnatus, diabole, vindica me de interfectore meo. Venientes in domum invenimus hominem spumosum, stridentem dentibus et rotantem oculos, tamquam canem rabiosum; cumque videretur mori nec haberet usum sensuum corporis sui, beatus pater Simon facto crucis signo, et injecto habitu super languentem elevatis oculis petebat inducias a Deo, ut pretium Christi non esset præda diaboli; et repente ægrotus qui moriebatur, resumptis viribus bono sensu et loquela, signando se signo salutari, objurgabat dæmones, et cum quæstu lacrimabili dicebat: Heu me miserum! quantus mihi tremor damnationis æternæ? iniquitates meæ creverunt super numerum arenæ maris. Mi-

(1) Quæ uncinis inclusi esse interpolationem supra demonstravi.

serere mei Deus, cujus misericordia superexaltat justitiam. Pater, adjuva me, volo confiteri. Recedente me in angulo domus, narrabat mihi dictus dominus Petrus decanus, quod videndo impœnitens cor fratris orabat solitarius in cubiculo, et facta erat ad eum hæc vox : Surge, Petre, quære dilectum servum meum Simonem, qui est in via, ut veniat in hunc locum, et circumspiciendo ubi esset qui hæc verba effunderet, secundo et tertio eadem vox insonuit. Quare prudenter credens quod cœleste oraculum erat, festinans ascenderat equum ut venerandum patrem interciperet itinere, et agebat gratias, quod tam opportunum inveniret. Post confessionem Walterus ille publice renuntiavit diabolicis pactis, et recepit sacramenta ecclesiæ, edendo signa magna pœnitentiæ, fecit testamentum, et accepta juratoria cautione fratris sui decani ordinavit restitui male ablata, et reparari injurias quas fecerat, et circa horam octavam noctis pacifice exhalavit animam, quæ fratri suo hæsitanti de salute ejus apparuit, significando bene secum agi, et quod per potentissimam reginam angelorum per habitum beati viri tamquam per clipeum evaserat insidias diaboli.

« Fama istius facti volavit per totam urbem. Dictus dominus Petrus de Lintonia confestim venerabili episcopo Wintoniensi cuncta per ordinem scripto insinuans, ejus in re tam inusitata sententiam expectabat. Domino vero episcopo stupente super hoc et habente tractatum cum suis, judicatum est beatum Simonem debere interrogari de virtute habitus. Qui coram domino episcopo comparens et mandatis ejus obtemperando nihil celavit, domino episcopo mandante cuncta scribi sub sigillo authentico. Et prædictus Petrus dominus decanus propter miraculum sibi per gloriosam Virginem Mariam in fratre suo ostensum fratres Wintoniæ fundavit, dando eis locum, et ædificando monasterium nostræ religionis valde commodum et amplum. Sermone vero per Angliam et extra

currente multæ civitates offerebant nobis loca ad inhabitandum, et multi proceres petebant affiliari huic sacræ religioni pro participio gratiarum, desiderantes mori in habitu sancto Ordinis, ut per merita gloriosæ Virginis Mariæ haberent exitum vitæ bonum ; atque ita paulatim religio beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo cœpit præstante Domino nostro Jesu Christo et Maria matre ejus, in partibus occidentalibus multiplicari in multas provincias, provincias in domos, domus in personas sufficientes et idoneas, quæ multum fructum afferunt ad augmentum fidei catholicæ (1). »

Secundum testimonium in ordine chronologico desumitur ex Johannis Grossi *Viridario*, a. 1430 composito, quod est hujus tenoris :

« Sæpius vero (S. Simon Stock) Virginem gloriosam Dei Genitricem patronam Ordinis deprecabatur, ut suo titulo insignitos communiret privilegio, dicens quotidie voce devotissima in suis orationibus :

Flos Carmeli &c.

Quodam vero tempore dum hanc orationem devote oraret, Virgo gloriosa Maria Mater Dei cum multitudine angelorum ei apparuit, Scapulare Ordinis in manu tenens, et dicens : « Hoc erit tibi et cunctis Carmelitis privilegium, in hoc habitu moriens salvabitur. » Et ei Scapulare tradidit. Unde versus :

Si Ordinis in signo moritur quis, jure benigno
Solvitur a pœnis, fruiturque locis peramœnis.
Hoc impetravit Simon a Virgine cara,
Postea migravit scandens ad gaudia clara.

Ratione ergo hujus magni privilegii diversi proceres regni Angliæ, utpote Eduardus rex Angliæ secundus post conque-

(1) Specul. Carmel. I, 518.

stum, qui fratres prædictos fundavit Oxoniis dans ipsis proprium palatium pro conventu (1), similiter dominus Henricus dux Lancastriæ, qui miraculis multis dicitur claruisse, et etiam multi alii nobiles illius regni prædicti, Scapulare Ordinis clam portaverunt, in quo postea obierunt (2). »

Aliud antiquum documentum non superest. Auctor quidem Speculi Carmelitani citat Gulielmum Coventriensem, qui floruit circa a. 1340 vel 1360, sed inspicienti liquet quæ ex ipsius opere sumpta dicuntur, esse revera Thomæ Bradley qui circa a. 1440 scripsit tractatum de Ordine. Locus sic habet :

« S. Simon de Anglia generalis Ordinis sextus, qui Dei gloriosissimam Genitricem jugiter deprecabatur, ut Carmelitarum Ordinem, qui speciali gaudet ipsius Virginis titulo, aliquo muniret privilegio, dicens voce devotissima :

Flos Carmeli &c.

Cui beatissima Virgo cum multitudine angelorum apparuit, scapulare Ordinis in benedictis manibus suis tenens, et dicens : « Hoc erit tibi et cunctis Carmelitis privilegium, quod in hoc moriens æternum non patietur incendium » (3).

(1) Concessit Carmelitis jam ab a. 1253 Oxoniæ commorantibus manerium suum extra muros prope portam septemtrionalem situm, pro duodecim (postea pro viginti quatuor) fratribus. Cujus possessionem acceperunt 29 Junii 1317 ; prima missa celebrata fuit 25 Martii 1318, confirmatio papalis obtenta 18 Maji ejusdem anni, cœmeterium consecratum 10 Novembris 1320.

(2) Specul. Carmel. I, 139.

(3) Gulielmus Coventriensis, qui et Claudus Conversus dicitur quia cum vulnere sagitta venenata inflicto claudus redderetur ad Deum conversus est. Floruit in conventu Cestrensi. Textus supracitatus habetur in Spec. Carmel. I, 521, ubi etiam Lezana citatur, IV, 331. Thomas Bradley seu Scrope, primo reclusus, deinde Carmelita, postea episcopus (titularis) Dromorensis in Hibernia et Sedis Apostolicæ legatus ad Rhodum. Specul. Carmel. I, 191.

Baleus in opere *Anglorum Heliades* fuse de Scapulari tractat. Capitulum XVIII sic inscribitur :

« A Virgine Deipara monitus Simon adversus procerum infestationes ab Innocentio remedia sumpsit. Ex Siberto de Beka ». Accuratius tamen legenti patet relationem istam saltem ab eis verbis « qua sæpius replicata » usque in finem non esse Siberti, qui initio sæculi decimi quarti floruisse noscitur, sed esse de verbo ad verbum ex Menaldo de Rosariis et Rolando Bouchier desumpta, quorum prior a. 1500 scripsit, alter vero paulo post.

Accipe hic totum caput :

« Tunc nova sunt coacti Carmelitæ implorare diplomata. Sed primum quo prælatorum et curatorum effervescentes compescerent animas convocato patrum conventu triduanum Simon cum oratione jejunium statuit universis. Atque ceu alter Moyses in suæ plebis medio constitutus monuit eorum mentis aciem ad Deum et Virginem matrem omnino dirigendam. Nec desiit ipse piam solicitare patronam, ut suo peculiari populo suppetias ferat in hæc prorumpens verba :

Flos Carmeli &c.

Qua sæpius replicata finito jejunio cum lucifer oriri videretur, polorum regina Maria copiosis angelorum virginumque agminibus stipata ac lucentissimo circumsepta lumine religionis habitum cœlis afferre visa est. Quem Simoni elargiens « Non est quod timeas, inquit. En tibi hoc tui scapulare Ordinis, fraterni amoris pignus, tibi ac tuis omnibus in privilegium. In hoc quisque morietur, modo eo dignus, æternum non sentiet ignem. Habes solatii signum, in adversis clipeum, pacis immolatæ fœdus ». Hæc autem dicebat tum quod infirmioribus facti non pigeret, tum quod detrectatoribus ansam calumniandi subtraheret. Nam sæpius judicarant (seu indicarant) damnandos hos qui aliud indu-

menti genus usurpaverant quam a communi vulgo susceptum fuerat. Et adjecit pia mater: « Quosdam e tuis fratribus ad Romanum pontificem mitte, erit enim vobis in favorem. Nam me procurante privilegiorum vestrorum confirmationi applaudet, prælatorum curatorumque temeritatem compescet ». Nec plura elocuta statim evanuit. Acceptum pignus Simon in humeros posuit, id fratribus deinceps utendum distribuit. Intrepide ex tunc pontificem Innocentium adeunt salutis nostræ anno 1252, nec sunt aliquam passi repulsam, sed pro voto assecuti singula. Ab episcoporum eos exemit auctoritate, rescribens ut hos benigne reciperent, et pro posse eorum necessitatem sublevarent. Deinceps sunt alia munimina, alia privilegia, aliasque tutelas et libertates assecuti. » (1)

A relatione auctorum modernorum supersedendum censeo.

Quæritur nunc quid de his sentiendum sit. Maxima difficultas viget circa fragmentum Petri Swanyngton. Quamvis certe interpolatum sit, videtur mihi tamen quoad substantiam, præsertim primæ partis, veridicum. Quo vero tempore visio S. Simonis locum habuerit, non tam facile erui licet. Si dicerem a. 1251 obstaret tum silentium inexplicabile Sanvici, tum etiam quod paucis annis postquam B. V. Maria remedium gravaminum præstiterat eadem gravamina redierint et usque ad destructionem Ordinis creverint, neque ante S. Simonis mortem sopita fuerint. Si e contra dicerem visionem circa a. 1256 factam, obstaret nomen Innocentii papæ, ad quem Simon nominatim ab ipsa Virgine dirigitur.

Ex alia parte commendatur fragmentum ex eo quod tacito Scapulari promissio habitum in genere respiciat. Etenim multis documentis constat Ordinem per totum sæculum deci-

(1) MS. Harley 3838.

mum tertium et decimum quartum, imo per majorem partem decimi quinti Scapulare haud magni fecisse. Recolat lector quod in Constitutionibus antiquis, et in Actis capitulorum nihil de ipso inveniatur. Præcipitur quidem quod fratres in tunica et scapulari dormiant, sed cum expresse excipiantur infirmi « quorum relinquimus arbitrio ut scapulare induant vel deponant », liquet ibi scapulare non sumi tamquam vehiculum promissionis S. Simoni factæ, sed mere ut partem integralem habitus (1). Similiter prohibitio « ne quis celebret sine scapulari » (2) explicatur ex capitulo a. 1345 ubi memoratur sententia excommunicationis lata in eos qui temere habitum religionis dimittunt (3), et videtur principaliter regiones meridionales respicere. Magis tamen me movet silentium auctorum. Impossibile quidem non est Gulielmum Coventriensem, Sibertum de Beka et alios hac de re scripsisse, quamvis verba ipsis attributa aliorum sint. Poterit insuper excusatio inveniri cur Johannes de Veneta et alii chronistæ miraculum præterierint. Sed admitti nullatenus potest Johannem de Baccone et Johannem de Hildesheim ex professo et satis diffuse de habitu Carmelitarum disserentes (4) rem tam notabilem tacuisse, si revera ad eorum notitiam pervenisset. Ex his infero visionem cum promissione æternæ vitæ factam fuisse in eorum favorem qui habitum Ordinis gestaverint, i. e. fratrum in Ordine usque ad finem vitæ perseverantium. Optime quidem scio salutem non ex gestatione habitus religiosi, sed e Divina prædestinatione et gratia finali (non omissa cooperatione humana) pendere. Unde promissio ista sicut et plures similes conditionate sumenda est; verum inter

(1) Supra P. 31.
(2) Ibid.
(3) Supra P. 146.
(4) Specul. Carmel. I, 150 sqq. 162.

bona opera, quibus secundum apostolum certam debemus facere vocationem et electionem nostram (II Petr. I, 10), devotio erga B. V. Mariam non ultimum tenet locum, et quasi necessario ad vitia extirpanda virtutesque exercendas impellit.

Hinc est quod promissio habitum gestantibus rationi satis consentanea videtur et approbante ecclesia publice laudatur, quamvis unicum documentum indubitatum non sit.

Quæritur nunc quo tempore et qua ratione promissio specificata sit in favorem Scapularis.

In antiquis constitutionibus postulans habitum Ordinis postquam solemniter vestes sæculares exuerat, habitum accipiebat hisce verbis : « Induat te Dominus novum hominem qui secundum Deum creatus est &c » (1). Sub unica ista formula sumebat tum tunicam, cum cingulum, scapulare cum caputio assuto et probabiliter etiam cappam albam. In professione vero novitius jamjam tunica (cum cingulo ?) indutus, sub ista formula : « Accipe hunc habitum in remissionem peccatorum tuorum et nostræ sanctæ religionis augmentum » accipiebat habitum, i. e. scapulare et caputium ; cappam vero sub alia formula, nempe « Accipe hoc signum in remissionem &c » (2). Sic in professione *non quidem tunica sed scapulare* venit sub nomine habitus, et ideo videtur sensim pro parte principali habitus religiosi acceptum fuisse. Non tamen licet sub silentio prætermittere adhuc a. 1462, cum ex institutione B. Johannis Soreth antiquus ritus induitionis et professionis mutaretur, prædictam principalitatem nondum expressam fuisse. Ibi enim sic habetur : « Mox oratione vel orationibus dictis præsidens eum induat habitum Ordinis. Primo imponendo tunicam, faciat signum crucis et dicat : « Induat te Dominus

(1) Supra P. 47.
(2) Supra P. 51.

novum hominem qui secundum Deum creatus est &c ». Deinde det ei cingulum dicendo « Cum esses junior cingebas te et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris alius te cinget et ducet quo tu non vis. In nomine Patris &c ». Imponendo scapulare cum caputio dissuto ad differentiam professorum dicat: « Tolle jugum Christi suave et onus Ejus leve. In nomine &c. » Imponendo cappam dicat: « Qui sequuntur Agnum sine macula ambulabunt cum Eo in albis, ideo semper sint vestimenta tua candida in signum internæ puritatis. In nomine &c ». In professione vero adducebatur novitius in tunica Ordinis absque cingulo et scapulari. Professione facta « prælatus ponat cingulum dicendo: « Cum esses junior &c; » imponendo scapulare cum caputio assuto dicat: « Induat te Dominus novum hominem qui secundum Deum &c ». Ponendo cappam dicat: « Qui sequuntur Agnum &c » (1). « Ex his liquet adhuc a. 1462 formulam ad recipiendum scapulare fluctuasse, nihilque continuisse promissionis significativum.

Nihilominus cum Johannes Grossi referat B. V. Scapulare in manu tenuisse dicendum est, a. 1430 saltem ex vulgari opinione pro vehiculo promissionis habitum fuisse. Decursu autem sæculi decimi quinti legenda sensim crevit usquedum auctores affirmarent B. V. Mariam scapulare aliquod e cœlo attulisse; neque desunt qui asserant Scapulare illud cœlicum hodiedum alicubi in Anglia præservari (2).

Hisce dictis ad secundam fragmenti nostri partem me converto.

Notat Thomas Bradley in Chronico de fundatoribus conventuum Angliæ: « Wintoniæ fundator dominus Petrus de

(1) Constit. a. 1462, P. III, Rubr. 5 et 6.

(2) Plura de ista materia in *Chroniques du Carmel*, Soignies, 1902, P. 12.

Wintonia, præpositus ecclesiæ sanctæ Helenæ Wintoniensis, qui propter miraculum sibi per gloriosam Virginem Mariam ostensum fratres ibidem fundavit. » (1). Habes hic aliqualem confirmationem fragmenti. Cetera vero potius contra authenticitatem faciunt. Et quidem nulla erat Wintoniæ ecclesia S. Helenæ, sed si pro civitate intelligatur diœcesis erat quidem prioratus Cluniacensis istius nominis in insula Vectensi (2), ita ut dictus dominus Petrus de Lintonia seu Wintonia (utrumque nomen traditum est) forte officialis laudati prioratus fuerit. Episcopus vero S. Simoni tam favorabilis dubio procul erat Johannes de Exonia, quondam cancellarius Eboracensis quo tempore Simon conventum Eboracensem fundaverat, deinde per summum pontificem ecclesiæ Wintoniensi mense Julio 1262 præfectus. Nullatenus enim admitti potest Simonem a. 1251 Wintoniam se recepisse ad invisendum Adhemarum de Lezignan, tunc temporis episcopum, quippe qui homo profligatus erat, fere usque ad vitæ finem solo ordine acolytatus insignitus ! (3).

Quod autem dicit prædictum dominum Petrum gratitudinis ergo conventum Wintoniensem fundasse, iterum non modicam gignit difficultatem, si agatur de tempore S. Simonis Stock. Conventus enim ille tantummodo post a. 1273 et ante a. 1278 fundatus fuit. Verum, dominus Petrus forte aliam prius fundationem attemptaverat, nempe Neoporti in insula Vectensi; refert enim anonymus auctor ibi aliquando (minime expresso anno) conventum extitisse, sed ob maris incursum alio translatum fuisse (4).

Similiter dicendum a fundatione Wintoniensi usque ad a.

(1) Specul. Carmel. I, 184.
(2) Isle of Wight.
(3) Cf. *The Origin of the Scapular*, P. 4.
(4) MS. Cotton, Titus, D. X. Pag. 128.

1305 revera multos conventus per Angliam fundatos fuisse, nempe viginti, sed quæri potest sitne tale incrementum prædicto miraculo an potius approbationi Ordinis per concilium Lugdunense attribuendum ?

Superest ut de confratribus disseram. In constitutionibus (1) dicitur de priore generali : « Item poterit litteras de beneficiis seu confraternitatis pro toto Ordine concedere. » Similiter de provinciali quod auctoritatem habeat « litteras confraternitatis concedendi (2). » Ritus recipiendi confratres habetur in antiquo Ordinali, unde sequentia desumenda censeo.

(Fol. 26 b) « Rubr. XLVIII. De modo recipiendi ad beneficia.

« Cum aliquis recipi petit ad nostri Ordinis spiritualia beneficia, si talis sit persona propter quam judicio prælati convocandus sit conventus, provideat prior de aliquo fratre honesto, qui in aliquo loco extra capitulum eam associet, et interim convocetur conventus. Congregatis vero fratribus et priore in capitulo, unus frater cui prior injunxerit, vadat ad adducendum illum qui recipiendus fuerit, et ipso ingrediente capitulum, si sit persona multum excellens, assurgat prior et fratres, ita quod prior procedat aliquantulum obviam ei, fratribus aliis stantibus per ordinem in locis suis. Postmodum, si fuerit rex, episcopus, Cardinalis vel Legatus, aut talis multum excellens persona, et sustinuerit, collocet eam prior in loco suo, et ipse juxta eam remaneat. Tunc si est talis persona, quæ sciat et velit proponere petitionem suam proponat. Si vero non velit proponere, vel ad proponendum non sit idonea, prior proponat conventui vice ejus petitionem suam. Proposita petitione ostendat prior conventui, quantum fratres tenentur ei, exprimendo et quantum salva conscien-

(1) Supra P. 62.
(2) Supra P. 64.

tia poterit, devotionem, affectum et beneficia illius personæ ad Ordinem, et quomodo propter illa et propter fiduciam quam habet in orationibus fratrum merito exaudienda sit in sua petitione. Quo facto prior dirigens sermonem ad personam illam, dicat quod ipse (Fol. 26 c) cum conventu libenter velit annuere petitioni suæ. Deinde surgat prior et fratres, et persona recipienda flexis genibus adoret. Tunc prior incipiat ant. *Suscepimus Deus,* et Ps. *Magnus Dominus,* et conventus alternatim versus ejusdem prosequatur cum *Gloria Patri.* Postea ant. *Suscepimus Deus. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos.* ℣ *Salvum fac.* ℣ *Mitte ei.* ℣ *Nihil proficiat. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Suscipiat te Christus in numero fidelium suorum, et nos, licet indigni, te suscipimus in orationibus nostris; concedat tibi Deus per Unigenitum suum mediatorem Dei et hominum tempus bene vivendi, locum bene agendi, instantiam bene perseverandi, et ad æternæ vitæ hæreditatem feliciter perveniendi, et sicut nos hodie fraterna charitas spiritualiter jungit in terris, ita divina pietas, quæ dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in cælis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre* &c.

« Finita oratione et responso *Amen* dicat prior illi personæ: Ego ex potestate mihi concessa do vobis participationem in omnibus missis, orationibus, jejuniis, abstinentiis, vigiliis, laboribus et quibuscumque bonis, quæ Dominus dederit fieri per fratres istius conventus, et ad prædicta omnia vos recipio. In nomine Patris &c. Et conventus respondeat *Amen.* Deinde prior aspergat illam personam aqua benedicta, et ipsa osculetur primo librum ubi prædicta oratio *Suscipiat te* scribitur, et postea priorem tantum, vel si femina fuerit solum librum.

« Si vero persona recepta fuerit multum excellens, ut Impe-

rator, rex, Cardinalis, episcopus vel hujusmodi, tunc prior poterit ei aliquas speciales missas et orationes offerre, quas vel tunc vel postea prout videbitur fratribus fideliter injungat. Poterit etiam prior post ista, si visum fuerit, secundum conditionem personæ ei regratiari de dilectione quam habet ad fratres, et sibi fratres et Ordinem recommendare, et si sit spiritualis persona poterit ejus orationibus se et fratres recommendare. Si vero judicio prioris pensata conditione personæ non oporteat conventum convocare propter prædictam receptionem, tunc prior assumptis secum tribus vel quatuor honestis fratribus, stando in capitulo vel in ecclesia ante aliquod altare, et proposita petitione dicat illi personæ quod propter devotionem (Fol 26 d) quam habet ad Ordinem, et propter fiduciam quam habet in orationibus fratrum libenter vult ejus desiderio annuere, et tunc illa persona orantē flexis genibus, dicat cum illis fratribus Ps. *Magnus Dominus* &c. sicut prius. Si autem recipiendi fuerint plures simul idem modus servetur, mutato numero singulari in pluralem, tam in versibus quam in oratione. Femina vero quæcumque prædicto modo non recipiatur ad beneficia nisi sit multum excellens, honesta et bene associata, cui bono modo denegari non possit, et tunc astante illius familia cum matura et debita honestate fiant supradicta, et ubi oportebit in aliquibus dictionibus sexus tantummodo mutetur.

« Si vero recipiens sit prior generalis, vel aliquis provincialis, prædicta forma servetur cum tali ampliatione, quod generalis recipiat ad beneficia totius Ordinis, et provincialis ad beneficia suæ provinciæ (1) ».

Lector diligenter notet hic nihil omnino haberi de imponendo Scapulari vel alia parte habitus, quamvis ritus idem

(1) MS. Lambeth 193.

sit quo adhuc secundum Rituale Romanum in collatione Scapularis utimur, dempta forma benedicendi et imponendi Scapulare. Similiter in litteris fraternitatis quarum plura exemplaria adhuc extant gestatio habitus omnino tacetur. Præter hujusmodi litteras pergameno conscriptas et sigillis signatas quas in variis bibliothecis videram, inveni Oxoniæ formulare A. D. 1516 typis impressum (1), cujus tenor, identicus quidem cum manuscriptis si enumerationem indulgentiarum excipias, hic sequitur :

« Fratres Willielmus Brevie (et Johannes) Byrde sacræ theologiæ professores, Ordinis gloriosæ Virginis Mariæ Genitricis Dei de (Monte Ca)rmeli humiles vicarii Reverendissimi patris magistri generalis Baptistæ Mantuani cum plen(itudine p)otestatis ejusdem in provincia Angliæ specialiter deputati. In Christo nobis dilectis...... Salutem et per orationum suffragia regna cœlestia promereri. Devotionem sinceram quam ad no(strum sanctum) Ordinem ob Christi reverentiam et gloriosæ Virginis Mariæ matris Ejus cujus titulo idem Ordo noster speci(aliter insig)nitur diligentius attendentes, et in Domino commendantes, quoad ea præcipue quæ salutem continen(t, qu)antum cum Deo possimus, vobis vicem cupimus refundere salutarem. Ultra indulgentias, peccatorum (remission)nes, relaxationes generales et spirituales nostro Ordini a Romanorum pontificibus co(ncessas ut) in fine harum nostrarum litterarum declarabitur, plenitudinem nobis commissæ auctoritatis et potestatis, intuitum dirigentes ad singularem devotionem quam erga personas et loca nostri Ordinis geritis, enim (sic) missarum, orationum, jejuniorum, vigiliarum, prædicationum, abstinentiarum, in-

(1) Rawlinson 366 (in bibliotheca Bodleiana). Quæ uncinis inclusi desunt in originali valde trito. Cf. Add. Charter 5837 a. 1416 (in Musæo Brit.)

dulgentiarum, laborum, ceterorumque bonorum omnium quæ per fratres nostri Ordinis ubique per orbem universum constitues (sic) misericorditer operari dignabitur clementia Salvatoris, tam in vita quam post mortem participationem perpetuam damus, concedimus ac præsentibus committimus, adjicientes nihilominus et de speciali gratia concedentes, ut cum obituum vestrorum memoria in aliqua domo capitulari nostri Ordinis fuerit recitata, idem pro vobis fiet quoad universa et sin(gula quæ) pro fratribus nostris defunctis communiter ibidem fieri consuevit.

« Sequuntur indulgentiæ et remissiones populares.

« Sciant igitur cuncti Christifideles quod sanctissimi in Christo patres et domini Adrianus II, Stephanus V, Sergius III, Johannes X, Johannes XI, Sergius V, (1) Sixtus IV, Innocentius IV et Julius II divina providentia romani pontifices ob reverentiam Beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ Carmelitarum Ordinis speciales (sic) protectricis et patronæ, omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis litteras confraternitatis prædicti Ordinis recipientibus ac manus adjutrices ad eorum sustentationem et domorum reparationem ac manutentionem porrigentibus tertiam partem omnium peccatorum suorum et triginta annos ac totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis in Domino misericorditer relaxarunt. Item Honorius X (sic) et Nicolaus V, omnibus vere pœnitentibus et confessis litteras confraternitatis recipientibus et manus adjutrices aut eleemosynas prædictorum fratrum domibus largientibus et omnium peccatorum suorum plenariam remissionem misericorditer in Domino relaxunt. Insuper et Julius II et Leo X papa modernus singulas indulgentias a suis præ-

(1) Bullæ istæ de quibus juremerito dubitatur utrum umquam extiterint allegantur in supplemento ad *Mare magnum* (Bullar. I, 347.)

decessoribus (summ)is pontificibus dicto Ordini concessas, confirmaverunt, approbaverunt et innovaverunt, et triginta annos et totidem quadragenas indulgentiarum largiti sunt. Verum etiam Sanctissi(mi patres) in Christo Eugenius IV et Sixtus IV gratiose concesserunt fratribus dicti Ordinis admissis tantam auctoritatem absolvendi con(fratres et con) sorores ejusdem Ordinis quantam habent pœnitentiarii minores in curia Romana. Et ut fides firma ac indubia omnibus (supradictis) adhibeatur, Nos prædicti fratres visitatores generales sigillum quo in nostra visitatione utimur præsentibus imprimi fecimus. (Datum in) visitatione hujus provinciæ. Anno Domini MCCCCCXVI. »

Ergo non solum a. 1312 quo Ordinale confectum fuit, sed adhuc a. 1516 sufficiebat quod quis certas eleemosynas fecisset ut confrater vel consoror eligeretur, sine ulla habitus vel scapularis gestatione.

Nihilominus jam a. 1430 quo *Viridarium* compositum fuit videtur mos inolevisse quod aliqui e confratribus devotionis causa partem habitus *clam* gestarent; secus Johannes Grossi minime eam rem tamquam bene notam tractasset. Unde mihi persuasum est quosdam saltem e sæpe enumeratis confratribus juxta Nicolai Cantilupe et aliorum relationem revera Scapulare indutos fuisse, quamvis de aliis, e. g. de S. Ludovico, id admitti nequeat, cum Joinville ceterique vitæ ejus scriptores rem sub silentio præterierint. Nec mirum. Ex quo tempore Fratres Minores totum orbem, ut ita dicam, sibi subjecissent, innumeri Christifideles sæculo nequaquam renuntiantes tamen circa vitæ finem habitum Minorum induerunt ut in eo obirent. Alios similiter habitum Carmelitarum sumpsisse ex Grossi relatione constat. Si autem certum pro ineunte sæculo decimo quinto, saltem probabile pro decimo quarto, præsertim si motivo generali devotionis erga

Ordinem B. V. Mariæ accederet rumor de salute æterna promissa morientibus in habitu Ordinis.

Animadvertendum est aliud genus confraternitatis extitisse, nempe societatem civium alicui e nostris ecclesiis vicinorum, eo fine coadunatam, ut devotioni erga B. V. Mariam sub directione fratrum satisfacerent. Habes hujusmodi societatem Bononiæ, cujus Ordinationes ab a. 1280 usque 1298 adhuc extant; in quibus tamen de gestatione Scapularis ne vestigium quidem invenitur (1).

Juvat etiam afferre duo documenta hucusque inedita confratres respicientia, quorum primum agit de institutione festi confratrum.

Anno 1374 Johannes Horneby coram universitate Cantabrigiensi vindicaverat titulum Ordinis Beatæ Mariæ Virginis; (2) paulo post in civitate Cestrensi idem titulus miraculose confirmatus fuit. (3) Adveniente Olerio magistro generali in Anglia capitulum Doncastriæ a. 1376 celebratum ordinavit quod deinceps festum Assumptionis tamquam « festum Confratrum » Ordinis celebraretur. Nescio quî factum sit ut ordinatio ista in morem non inolesceret, sed ejus loco invenitur ab a. 1386 (4) FESTUM COMMEMORATIONIS B. V. MARIÆ die 16 Julii celebrandum. Documentum sat mendosum sic habet:

(1) *Libro degli ordinamenti de la compagnia di Santa Maria del Carmine, scritto nel 1280.* Edit. Giulio Piccini. Bologna, 1867 (*Scelta de Curiosità letterarie*, disp. LXXXIX).

(2) Supra P. 215. n. 3. Disputatio habetur in MS. Bodley 86, fol. 176 sqq. Textus decretorum universitatis Specul. Carmel. I, 119.

(3) Specul. Carmel, I, 179. Supra P. 253.

(4) Primo invenitur in calendario Arundel 347 (in Musæo Britannico) a Nicolao de Linne circa a. 1386 exarato. Cf. *Chroniques du Carmel*, Soignies, 1905. P. 19.

« Post hoc decretum (Cantabrigiense a. 1374) venit in Angliam magister frater Bernardus prior generalis, qui præfuit capitulo provinciali Doncastriæ celebrato a. 1376 in festo Assumptionis Virginis gloriosæ et Genitricis Dei. Cum Genitricis Dei stylo etiam dicti Ordinis stylus annexus sit, quod per totum Ordinem servari præcepit, ita ut nunc dicatur Festum confratrum Ordinis Beatæ Mariæ Genitricis Dei de monte Carmeli &c (sic). Tunc temporis degebam ego frater Robertus Ormeskirk procurator Windesoræ in conventu Oxoniarum, sicque Genitricis Dei auxilio devoti ejus Ordinis filii cum gaudio in pace obtinent, quod ab eis malitiose fratres Ordinis Prædicatorum nitebantur auferre, concedente suo Filio Domino nostro Jesu Christo qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto &c (sic) (1). »

Eodem tempore Johannes rex Castellæ, i. e. Johannes e Gandavo, dux Lancastriæ summo pontifici scripsit ut sequitur :

« Pater reverende ! Cum quidam zelo invidiæ moti clam et palam populum Dei super tribus articulis falsis et temerariis nuper informaverunt, nec informare desinunt in magnam jacturam et dispendium Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli, primo scilicet, quod Ordo ille originem non sumpsit a sanctis prophetis Helia et Heliseo in monte Carmeli, nec quod fratres illius Ordinis successores dictorum prophetarum sint dicendi ; 2do, quod idem Ordo non sit specialiter insignitus titulo S. Mariæ Dei Genitricis, sed quod fratres illius Ordinis prædictum titulum noviter usurparunt, ut essent apud populum in reputatione majori ; 3tio quod Ordo prædictus non sit confirmatus a jure communi, nec aliquam regulam approbatam sortitus, sed sub indifferentia ad confirmationem

(1) MS. Bodley 73, fol. 138 b. Procurator Windesoræ vult dicere procurator Ordinis in curia regia.

vel reprobationem permissus et toleratus, unde devotio fidelium a prædicto Ordine subtrahitur, fratresque ejus opprobria et contumelias frequenter patiuntur ad inquietudinem animarum suarum et divinæ contemplationis impedimentum. Supplicat ergo Reverentiæ vestræ ex parte Ordinis prædicti devotus filius vester dominus Johannes rex Castellæ et Leonis, dux Lancastriæ, qui ejusdem Ordinis ob singularem affectionem extitit et existit filius confessionis (1), quatenus dignemini prædictos articulos discernere fore falsos, et ipsorum contrarium fulgere veritate, districtius inhibentes sub metu indignationis vestræ ne aliquis de cetero quemquam prædictorum articulorum clam aut palam asserere seu docere præsumat vel attemptet, et ne prædicti articuli apud populum amplius invalescant, omnibus Christifidelibus quotiescumque prædictos fratres sub titulo Genitricis Dei devote nominaverint aut contra assertionem vel dogmatizationem alicujus prædictorum articulorum se opposuerint, indulgentias salutares dignetur vestra sanctitas misericorditer elargiri perpetuis temporibus valituras, cum aliis clausulis necessariis et opportunis (2) ».

(1) Confessor ducis Lancastriæ et procul dubio auctor hujus epistolæ erat Johannes Kynyngham (Keningham, Cunningham), e Gippesvico oriundus, doctor Oxoniensis, qui a. 1393 provincialis electus fuit, et tandem obiit Eboraci 12 Maji 1399. Primus omnium in nascentem Wicliffi hæresim invexerat.

(2) MS. Bodley 73, fol. 185a. Vide etiam concessionem Urbani VI in Bullar. Carmel. I, 141.

De Indulgentia Sabbatina

Superest ut breviter de Indulgentia Sabbatina disseram. Anno 1483 vel paulo antea prodiit in lucem opus Balduini Leersii Carmelitæ Atrebatensis *Collectaneum exemplorum et miraculorum* inscriptum, in cujus capite sexto sequentia narrantur :

« Qualiter beata Virgo apparens Johanni papæ XXII præceperit ei dare Carmelitis privilegia et eos defendere ab æmulis sicut eum liberatura erat ab inimicis.

« Johannes papa XXII in anxietate cordis constitutus maxima et etiam tribulatione extranea, confidentiam suam statuit in Virgine gloriosa Dei genitrice Maria. Quodam ergo die ante papatum dum innixus orationi devote B. Mariæ auxilium imploraret, apparuit ei beatissima Dei genitrix Virgo semper Maria, vestibus Ordinis Carmelitarum induta, hunc efferens sermonem : o Johannes, o Johannes, vicarie dilecti Filii mei, veluti a tuo te eripiam adversario, sic et coadjuvantibus meis orationibus a dilectissimo Filio meo petitis (al. petens) te papam facio et Filii mei vicarium constituo : vide ergo, sicut ego pro te obtinui gratiam istam amplam, ut etiam illam meo Ordini et peculiaribus meis fratribus vicem rependas, et regulam per Eliam et Eliseum in monte Carmeli inchoatam et per servum meum Albertum patriarcham ordinatam confirmes, ac sicut Innocentius Filii mei vicarius prædecessor tuus eis regulam injunxit in remissionem peccatorum, sic et meo Ordini dabis privilegium ex parte mea et mei Filii : ut quicumque eum intraverit et devote observaverit, salvetur in æternum, et liberabitur a supplicio et a culpa. Et si in purgatorium a die quo a sæculo re-

cedunt, introducantur, ego Mater gratiæ subito (1) post eorum obitum ad purgatorium descendam, et quotquot invenero liberabo, et eos in montem sanctum vitæ æternæ reducam. Postquam beata Virgo hæc et multa alia, plura præcipiendo intulisset, disparuit.

« Et papa in officio constitutus omnia pro posse adimplevit, et Ordini in omnibus favit et promovit, privilegiavit et robore apostolico munivit. Nec fuit aliquis prædecessor qui tot privilegia Ordini contulerit, sicut iste Johannes XXII sicut patet in pluribus bullis Ordinis. Ista autem revelatio et apparitio dicitur fore in bulla plumbea in Anglia, et in conventu Januensi est ejus instrumentum autenticum, et magis amplum quam hic ponitur (2) ».

Nullibi ante Leersium hujus rei memoria habetur, neque in Bostii libro *De Patronatu B. V. Mariæ* a. 1479 edito, in quo tamen auctor ex professo de singulis beneficiis Carmelitarum Ordini a cœlesti sua patrona impertitis tractat. Neque verum est Johannem XXII regulam approbasse, quippe quæ per concilium Lugdunense II sufficienter approbata fuerat. Neque de bulla sub plumbo quæ dicitur fore in Anglia, vel de transumpto authentico Januensi aliqualis habetur notitia. Imo, abest de collectione privilegiorum dicta *Mare magnum indulgentiarum* (cum duabus bullis supplementariis) quas Ordo a. 1476 et sequenti a Sixto IV impetraverat et pro quibus ingentem summam 1850 aureorum de camera expenderat. Similiter in registro Johannis XXII, Alexandri V et Alexandri VI bulla sabbatina vel ejus confirmatio frustra quæritur. Hinc est quod bullam istam *qua bulla* authenticam non censeo.

Anno 1490 Bostius in lucem edidit librum *Speculum Hi-*

(1) Sic etiam in MS. Balei et apud Bostium, alias *Sabbato*.

(2) Specul. Carmel. I, 368.

storiale in quo Leersii narrationem repetiit quin vel verbulum addiderit ad explicandum silentium suum in priori volumine. Similiter Palæonydorus in opere *Fasciculus trimerestus* a. 1497 typis dato eandem relationem saltem ex parte vulgavit.

Deinde a. 1517 capitulum generale Senis congregatum « commisit reverendissimo patri generali quod taxet religionem pro expedienda bulla pro die Sabbati, et aliis indulgentiis secundum quod erit conveniens. » Publicata 12 Augusti 1530 bulla confirmatoria capitulum a. 1532 ordinavit ut sequitur : « Item ordinamus et decernimus quod unusquisque provincialis fideliter et sincere laborabit circa publicationem bullæ confirmationis privilegiorum et indultorum de novo concessorum per S. D. N. papam Clementem VII. Et quicquid eleemosynarum habitum fuerit a primo die publicationis usque ad terminum unius anni completi dividetur in duas partes, quarum una cedet fabricæ conventus nostri Transpontini. Reliqua vero pars cedet conventui ubi publicabitur et executioni demandabitur. Deductis tamen prius solis expensis laborantium a principali summa. Nec aliquis publicabit nisi juxta formam tradendam. »

Cum lis moveretur circa authentiam Sabbatinæ, præsertim annis 1566 et 1609 bulla quidem in generali a Gregorio XIII (1) et per S. Congregationem Sancti Officii (2) confirmata fuit, non autem in forma specifica.

Eodem tempore investigatione Januæ instituta (conventibus anglis ubi secundum Leersium originale extiterat, interim destructis) instrumentum quoddam authenticatum (ex insula Majoricensi oriundum) repertum fuit, ex quo progressu temporis transumpta fere viginti facta sunt, quorum plura egomet vidi. Tria exemplaria habentur in archiviis Vaticanis

(1) Bullar. Carmel. II, 196.
(2) Specul. Carmel. I, 568 sqq.

cum hac nota : « *Falsa* ». Nec immerito. Inspicienti enim patet bullam istam manifestam esse fabricationem.

Tribus constat partibus quarum prima sic incipit :

« Anno Dominicæ Incarnationis 1430, die 6 Augusti, octava Indictione, regnante serenissimo et illustrissimo principe et D. Domino nostro rege Alphonso » &c. Deinde notarius pergit narrare qualiter instrumentum aliquod sibi præsentatum fuerit ad recognoscendum et transcribendum, cujus tenor sic habet :

« In nomine D. N. Jesu Christi. Amen. A. Dominicæ Incarnationis 1421, 2 Jan. Indict. XV regnante &c. Nos Petrus de Terra Nova judex &c. testamur quod ad nostram accedens præsentiam Ven. frater IldeAlfonsus de Theramo de regno Angliæ prior conventus Captunensis, Ordinis S. Mariæ de monte Carmeli, nobis præsentavit et publice legi fecit quandam bullam papalem felic. record. Alexandri papæ IV impetratam per dictum Ordinem &c. » quam in sequentibus se transumpturum asserit. Bulla sic habet :

« Alexander episcopus Servus servorum Dei, universis et singulis Christifidelibus, tam præsentibus quam futuris præsentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Tenore cujusdam privilegii a fel. record. Johannis vigesimi secundi prædecessoris nostri : Dilectis filiis priori generali et fratribus et dilectis in Christo filialibus sororibus, (1) confratribus et confratriæ fratrum dicti Ordinis Carmelitarum concessi, per nos visi et diligenter inspecti, de dicto originali sumpto, ut de ipso imposterum certitudo plenior habeatur, præsentes fecimus annotari qui talis est :

« Johannes episcopus Servus servorum Dei universis et singulis Christifidelibus &c. Sacratissimo uti culmine paradisi,

(1) Nota anachronismum : sorores Carmelitanæ a. 1452 primo institutæ fuerunt !

angelorum tam suavis et dulcis reperitur melodia, mōdulamine visionis, dum Paterno Jesus Numini conspicitur adhumanitus, dicendo Domine Ego et Pater unum sumus, et : qui videt me et meum videt patrem, et angelorum non desinit chorus dicere : Sanctus, sanctus, sanctus ; ita synodus non cessat laudes effundere celsæ Virgini dicendo : Virgo, virgo, virgo, sis speculum nostrum pariter et exemplum (quoniam munere munitur gratiarum, sicut sancta cantat ecclesia : Maria gratia plena et Mater misericordiæ) sit iste ille mons reputatus de Carmelo Ordine cantibus extollendo et hanc gratiarum Genitricem commendando et dicendo : Salve regina, mater misericordiæ et spes nostra, sic mihi flexis genibus supplicanti Virgo visa fuit Carmelita sequentem affata sermonem (1).*

« O Johannes, o Johannes, vicari mei dilecti Filii, veluti a tuo eripiam adversario, te papam facio solemni dono vicarium meis coadjuvationibus dulcissimo Filio meo, petis quod gratiose obtinui, ita gratia apostolica meo sancto ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debes eos præcondere per Heliam et Heliseum in monte Carmeli inchoato, quod unusquisque professionem faciens regulam a meo servo Alberto patriarcha ordinatam observabit et inviolatam obtinebit, et per meum dilectum filium Innocentium approbatam, et vicarium mei Filii debeat in terris assentire quod in cœlis mens statuit de mea et ordinavit Filius, quod qui in sancta

(1) Quæ sequuntur usque ad secundum * desumpsi e Balei MS Harley 1819, fol. 61b, nunc temporis antiquissimo manuscripto bullæ Sabbatinæ. Ibidem inscribitur : « Visio facta domino Johanni XXII tempore suæ persecutionis per beatam Virginem Mariam commendando sibi nostrum Ordinem, ut sequitur ». Non dicit unde sumpserit. Textus corruptus quidem, minus tamen quam vulgatus.

obedientia, paupertate et castitate, vel qui sanctum intrabit Ordinem salvabitur. Et si alii devotionis causa sanctam ingrediantur religionem, sancti habitus signum ferentes, appellantes se confratres vel consorores Ordinis antevocati, liberentur et absolvantur a tertia eorum peccatorum portione a die quo præfatum Ordinem intrabunt, castitatem si vidua est promittendo, virginitatis si virgo est fidem præstando. Si est conjugata inviolati matrimonii observationem adhibendo, ut sancta mater imperat ecclesia, fratres professi a supplicio solvantur et culpa. Et die quo tales quando recedunt ab isto perpetuo gradu accelerant purgatorium : Ego mater gloriosa descendam subito post eorum obitum, et quos inveniam in purgatorio liberabo eos et in montem vitæ æternæ reducam. Verum quod isti confratres et consorores teneantur horas dicere canonicas ut opus fuerit secundum regulam datam ab Alberto. Illi qui ignari sunt debeant vitam jejunam ducere in diebus quibus sancta jubet ecclesia, nisi necessitatis causa aliqui fuerint traditi impedimento, Mercurio et Sabbato debeant se abstinere a carnibus, præterquam in mei Filii Nativitate. Et hoc dicto evanuit ista sancta visio. *

« Istam ergo sanctam indulgentiam accepto, roboro et in terris confirmo, sicut propter merita Virginis matris gratiose Jesus Christus concessit in cœlis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam &c. Datum Avenione 3 die Martii pontificatus nostri a. sexto. Nulli ergo &c. Datum Romæ 7 Decembris apud S. Mariam Majorem pontificatus nostri a. primo ». (1)

Quam corruptus textus sit ipse lector judicet. Gravius adhuc est bullam confirmatoriam Alexandri datam esse Romæ apud S. Mariam Majorem. Alexander V. in concilio Pisano 26 Junii 1409 electus, (utrum legitime an secus mea impræ-

(1) Specul. Carmel. I, 545, cum collatione exemplarium P. 549.

sentiarum non interest) obiit Bononiæ 3 Maji 1410; numquam Romæ fuerat.

Aliter habetur conclusio apud Baleum :

« Hanc confirmavit Alexander in sexto *(prius scripserat:* primo, *quod deinde delevit)* anno sui pontificatus datum in Roma *(prius :* Avinione, *quod postea delevit)* 3. die Martii pontificatus nostri a. sexto. Ipse autem Johannes papa XXII hoc confirmavit in Avinione a. primo sui pontificatus et Alexander prænominatus in Roma confirmavit a. sexto ut dictum est, et maledictionem dederunt Omnipotentis Dei omnibus contravenientibus. Scripsit præfatam visionem de verbo ad verbum, ut fuit in exemplari quod scriptoris primi ignorantia pluribus scatet mendis, attendatque diligens lector ut circumspectus sit in judicio dando &c » (sic).

Hic confirmatio attribuitur non quidem Alexandro V sed Alexandro VI et quidem sub die 3 Martii 1498. Quamvis bulla in registro Alexandri non extet verisimile videtur Alexandrum quandam vivæ vocis confirmationem concessisse, cum eo tempore non solum Leersii opus satis vulgatum (confirmationem tacens) sed etiam Palæonydori liber typis datus fuerit. Et ille « IldeAlphonsus de Theramo, de regno Angliæ, prior conventus Captunensis », quæ omnia barbarica sunt, esset Petrus Terasse, procurator in curia Romana cui ex officio incumbebat privilegia pontificia impetrare.

Pro conclusione dico quamvis bulla Sabbatina evidenter falsa sit, et insuper vehementissime dubitetur de visione Johannis XXII, tamen indulgentiam utpote a pluribus pontificibus confirmata pro vera habendam esse. Medium tenet locum inter plenariam et particularem. Sunt qui pro authentia indulgentiæ citant S. Matrem Theresiam quæ in libro *Vitæ* refert fratrem Didacum a S. Mathia propter ob-

servantiam regulæ prætermisso purgatorio e cella in cœlum transiisse *vi bullarum Ordini concessarum*. (1) At locus iste nullatenus agit de privilegio sabbatino, sed de confirmatione regulæ per Honorium III *in remissionem peccatorum*.

(1) Vita, cap. XXXVIII, n. 40.

De adventu Fratrum in Anglia

Appendicis instar subjungam quædam de adventu fratrum Carmelitarum in Anglia et de Vita B. Johannæ Tolosanæ quæ cum vita S. Simonis intime connectuntur.

De adventu Fratrum in Anglia

Ricardus comes Cornubiæ anno 1236 vovit se Christianis in Terra Sancta cum infidelibus dimicantibus auxilium allaturum, at compluribus negotiis detentus tantummodo mense Junio a. 1240 itineri se accinxit; die 8 Octobris Acconem appulit, inde Ascalonem petiit ubi usque ad 23 Aprilis anni sequentis remansit, deinde Acconem reversus (quo tempore videtur Carmelum visitasse) 3 Maji navem conscendit; ipse quidem in Sicilia remansit, sed itineris comites circa Natale Domini in Angliam reversi sunt. (1)

Adventum fratrum Carmelitarum sic narrat Ricardus Ely (2) partim Johannem de Veneta secutus:

« Inter quos (nobiles Crucesignatos) duo milites anglici fuerant nobilissimi, dominus scilicet Ricardus Grey et dominus Johannes Vescy. Isti secum adduxerunt ad Angliam duos fratres Yvonem et Radulphum quibus et duo loca dederunt, unum in foresta Scotiæ confinia quæ vocatur Holne juxta Alnewycke. Locus ille in foresta remotus est per duo milliaria a qualibet sæcularium habitatione. Alter vero locus dabatur in Kantia frequentiæ sæcularium multum

(1) Cf. Mattheum Parisiensem (Rolls' Series) II, 391 et 437.

(2) Ricardus Ely Cantabrigiensis, anno 1415 ordinatus fuit diaconus et presbyter, anno 1446 vero priorem egit Cantabrigiæ.

dissuetus qui vocatur Aylesford. Hæc autem facta sunt anno Domini 1240 (1) unde metrice dicitur :

Anno milleno ducenteno quadrageno
Olim Carmelitæ capiunt ad tempora vitæ
Carmis concessi primis in borea loca Vescy,
Ricard in claustro Grey primo fixit in austro ;
Quæ loca concessi Carmelitis ego Vescy,
Percy fundavit: Deus huic sibi nos sociavit.

Ubi sanctissima conversatione Deo et Virgini gloriosæ famulantur, crescunt et multiplicantur, atque per diversa loca alia devotissime fundati circa salutem animarum totis cernuntur viribus incessanter laborare (2). »

Sequentia vero habentur in Balei opere *Anglorum Heliades* (3) :

« Præfati tandem nobiles Vesceyus et Greyus in Angliam reversuri antedicto miraculo moti (4) egere cum Alano Carmeli præside uti ex suis quosdam liceat in Angliam secum ducere, pollicentur enim sese cellulas eisdem extructuros et opem allaturos non modicam. Placuit res maxime Alano, acceperuntque duos erudita sanctitate insignes Radulphum cognomento Fresborne Anglum natione, et Yvonem Britonem ejusdem Alani conterraneum, et cum per longum maris circuitum ad patriam tandem venissent A. D. 1239 (5) circa Nativitatem Christi narratis prius quas sibi concesserat Dominus in Palæstina victoriis Henrico regi III, obtulerunt hos patres pro illius anni primitiis. Qui audito miraculo liberam eis concessit in Anglia mansionem. Et hinc regressi Radulphus et

(1) Rectius annis 1241 et sequenti.
(2) MS. Bodley 73 fol. 33 a.
(3) MS. Harley 3838 fol. 13 b.
(4) Supra P. 281.
(5) Rectius 1241.

Yvo quæsierunt per omnes Angliæ solitudines si locum forte reperire possent Carmelo similem. Alnevicum tandem devenientes in Holnensi deserto montem revisunt non dissimilem omnino. Cum vero essent ex longo itinere fessi illico decreverunt defatigata membra modico somno refocillare et facta oratione Radulphus affixo terræ baculo hæc apud sese prophetice dicebat : Dabo somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domini et tabernaculum Deo Jacob. Et cum aliquando temporis intervallo corporis quietem cœpissent denuo surgentes ad orationem limpidissimum puteum ubi Radulphus teretem posuerat Heliæ fonticulo persimilem vident. Qui hoc novo lætificati miraculo in genua procumbentes oculis ac manibus in cœlum erectis miro cordis affectu gratiarum actiones Domino reddebat. Conclusitque Radulphus cum propheta David : Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam (1). »

Dum Radulphus utpote e Northumbria oriundus patriam redux in silva Holnensi tria milliaria ab Alnevico distanti fundamentum conventus Holnensis jaceret, Simon Stock e

(1) Circa conventum Holnensem cujus ruinæ adhuc extant cf. MS. Harley 3897 (cartularium) ; MS. Bodley 73, fol. 55 b (nomina fundatorum). Dugdale, *Monasticum anglicanum* (nova edit.) VI, 1574. Grose, *Antiquities of England and Wales* London, 1775, III. Rev. C. H. Hartshorne *Feudal & Military Antiquities of Northumberland* (vol. II operis *Memoirs illustrative of the History and Antiquities of Northumberland*). W. H. St. John Hope *On the Whitefriars or Carmelites of Hulne, Northumberland* (in *Archæological Journal*) London 1890, XLVII, 105 sqq. B. Zimmerman, *Die englischen Karmelitenkloester* in *Stimmen vom Berge Karmel*, Graz, 1901-2, P. 32. Ejusdem *L'ancien couvent des Carmes à Hulne* in *Chroniques du Carmel* (Soignies) 1902, P. 311, 342, cum imaginibus.

Kantia oriundus sub auspiciis baronis Grey idem fecit Aylesfordiæ (1), ubi primum capitulum generale anno 1247 celebratum fuit uti jam supra dixi. Præter pauca quæ habentur in Bullario (2) juvat hic inserere aliqua documenta conventum istum respicientia e chronico abbatiæ de Ramseye desumpta. (3).

« Anno Domini 1240 (4) in festo Natalis Domini fratres Ordinis beatæ Mariæ genitricis Dei de Monte Carmeli primo venerunt in Angliam cum domino Johanne de Vescy et domino Richardo Grey educti de Monte Carmeli. Et dominus Johannes de Vescy quosdam eduxit ad partes boreales Angliæ in locum vocatum Holim juxta Alnewyk et inhabitare fecit.

« Dominus vero Richardus Grey dedit quibusdam ex prædictis fratribus mansionem apud Eylesfordiam in Kantia.

« Anno Domini 1248 dominus Ricardus Dei gratia Roffensis episcopus dedicavit ecclesiam fratrum Ordinis beatæ Mariæ genitricis Dei de Monte Carmeli de Eylesford pridie Kalendas Septembris in honore Assumptionis Virginis gloriosæ tempore domini Ricardi Grey primi fundatoris nostri. Et concessit omnibus vere pœnitentibus confessis et contritis qui in die dedicationis ecclesiæ prædictæ et per ipsius octavam causa devotionis seu peregrinationis devote accesserint et ad sustentationem domus ejusdem de bonis sibi a

(1) Dugdale, *Monasticum anglicanum*, VI, 1571. *Stimmen vom Berge Karmel*, l. c., 1901-2, P. 62. *Chroniques du Carmel*, l. c. 1902, P. 383 & 404, cum imaginibus ædificiorum adhuc superstitum.

(2) Bullar. Carmel. I, 13. III, 82.

(3) MS. Stowe 938 (in Musæo Britannico), fol. 76. Apographum sæculo decimo septimo confectum.

(4) Rectius 1241.

Deo collatis grata contulerint subsidia caritatis quadraginta dies indulgentiæ.

« Anno Domini 1348 Idibus Septembris scilicet in vigilia Exaltationis S. Crucis fuit cimiterium et locus ille ubi nova ecclesia ædificanda esset dedicatum ab episcopo Landavensi Rev. Fratre Johanne Pascal Ordinis Carmelitarum.

« Anno Domini 1417 quarto Nonas Maji dominus Ricardus Yongge Dei gratia Roffensis episcopus dedicavit ecclesiam fratrum beatæ Mariæ Genitricis Dei de Monte Carmeli de Eylesford in honore Assumptionis Virginis gloriosæ tempore domini Ricardi Grey septimi fundatoris nostri. Et concessit omnibus vere pœnitentibus confessis et contritis qui in die dedicationis ecclesiæ prædictæ et per ipsius octavam causa devotionis seu peregrinationis devote accesserint et ad sustentationem domus ejusdem de bonis sibi a Deo collatis grata contulerint subsidia caritatis quadraginta dies indulgentiæ.

« Idem etiam pontifex consecravit altaria in ecclesia, unum in honore S. Johannis Baptistæ, aliud in honorem S. Thomæ martyris, ac etiam unum juxta chorum in honore apostolorum Petri et Pauli.

« Una copia cujusdam scripti continentis primam inductionem fratrum Ordinis Carmelitarum in conventum Eylesfordiensem et quandam indulgentiam benefactoribus conventus concessam ab episcopo Roffensi sub sigillo suo indultam.

« Omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Ricardus Dei gratia Roffensis episcopus salutem in Domino sempiternam.

« Quum [lacuna] veritati testimonium perhibere et super ambiguis certitudinem facere, universitati vestræ præsentibus duximus intimandum quod cum fratres Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli a Terra Sancta per infinitam multitudinem et oppressionem cujusdam gentis barbaricæ ejecti nobis su-

per Ordinis et religionis suæ confirmatione ac professione litteras apostolicas exhiberent, Nos ad instantiam et præsentationem nobilis viri domini Ricardi de Grey in manerio suo de Eylesford nostræ diœcesis eisdem locum quemdam ad inhabitandum et capellam constituendam concessimus. Cum igitur ad constructionem prædictæ capellæ facultates suæ non sufficiant omnibus parochianis nostris et aliis quorum diœcesani hanc nostram ratam habuerint indulgentiam confessis et vere pœnitentibus qui de bonis suis ad prædictæ capellæ fabricam pia suffragia contulerint triginta dies de injuncta sibi pœnitentia usque ad operis completionem misericorditer relaxamus.

« Datum apud Trottesclive, die Conversionis S. Pauli apostoli. A. D. 1246. »

De B. Johanna Tolosana

Occasione vitæ S. Simonis breviter agendum est de beata Johanna Tolosana, cujus cultum *ab immemorabili* S. R. C. anno 1895 approbavit. Maxima erat difficultas circa acta et gesta Johannæ cujus pauci e nostris scriptoribus memorantur. Palæonydorus hæc tantum habet : « Angela filia regis Bohemiæ quæ Pragam illustrat, Johanna et Anna Tolosanæ sacræ virgines prædignæ regalis Mariæ pedissequæ, Domini Jesu Christi sponsæ, plenis oleo lampadibus, virtutum coruscæ, intraverunt cum eo ad nuptias. » (1) Lezana vero Johannam silentio præterit. In hac fontium penuria postulator causæ plus æquo fisus est operibus Alegrei de Casanate et consimilibus in quibus defectu certæ scientiæ suppletur ex

(1) Speculum Carmel, I, 258, n. 1060. P. 266, n. 1101.

abundantia imaginationis, ita ut multi errores tum in relationem vitæ B. Johannæ tum etiam, quod dolendum est, in lectiones historicas breviarii irrepserint (1). Postquam enim multa de origine et juventute ipsius narravit necnon de adventu fratrum Carmelitarum Tolosæ, pergit dicendum S. Simonem Stock propria manu illi habitum tertii Ordinis imposuisse eo effectu ut ipsa quasi fundatrix dicti tertii Ordinis habita fuerit. Et ut Tolosates contra Judæorum ac hæreticorum insidias firmaret « in piam a sacro Scapulari sodalitatem paulo ante mirabiliter institutam plura hominum millia adlegit ». Postulator insuper prætendit (2) Johannam non modo tertium Ordinem sed secundum professam esse, i. e. sanctimonialem fuisse sub clausura degentem. Demum obitum Johannæ in pridiem Kalendas Aprilis anni 1286 reponit. Hæc omnia cum figmenta Alegrei de Casanate ac posteriorum auctorum sint operæ pretium est hoc loco ea inserere quæ sparsim in Balei manuscriptis habentur:

(MS Harley 1819, fol. 127a) « Sancta Johanna virgo in Navarræ regno (ut fertur et melius etiam quadrare videtur)

(1) Alegrei de Casanate *Paradisus carmelitici decoris*, Lugduni 1639. P. 272. Quoad hunc auctorem audi L. Perez dicentem : « apud nos nullo pretio est, ejusque scriptio urticeti verius quam paradisi nomen meretur ». Cf. opusculum prælaudati postulatoris Baurens de Molinier, supra P. 312, n. 1 citatum. Melius egisset si R. P. Thomam-Michael a SS. Sacramento secutus fuisset qui in opere gallico *Ménologe du Carmel*, (edid. P. Ferdinandus a S. Theresia, Lille, 1879. I, 297) ea tantum retulit quæ e fontibus quantumvis inopibus hauserat.

(2) Cum secundus Ordo, i. e. Monialium Carmelitarum, et tertius Ordo i. e. sæcularium sub regula viventium solummodo anno 1452 instituti fuerint liquet Beatam Johannam institutricem vel etiam membrum neutrius fuisse ; ex infra sequentibus patet eam simpliciter Reclusam fuisse; institutum enim Reclusorum utriusque sexus eo tempore ubique etiam apud Carmelitas viguit.

nata nobilis genere sed nobilior sanctitate, comitem in matrimonio suscipere recusavit, quæque ob Virginis honorem in conventu Carmelitarum Tolosæ reclusa se totam Deo dicavit, et insuperabilem pœnitentiam duxit, noctes insomnes in oratione consumpsit, juvenes Ordinis semper erudivit, ac pro eisdem sæpius oravit, qui postea ex hoc mirabiliter profecerunt, parum aut nihil comedit, in terra prostrata quievit vel super fasciculos dormitionem accepit, lectos, lectisternia quoque sprevit, psalterium integrum quotidie legit, miracula multa fecit vivens adhuc, post mortem vero quasi infinitis claruit signis et prodigiis. De cujus vita et miraculis magnum volumen editum fuit (1) quod quidam a conventu plene abstulit; nec aliquid immunditiæ poterant invenire in camera sua post mortem.

(Ibidem) « Dominus Bernardus de Rosergio archiepiscopus Tolosanus (2) apud Carmelitas propter populi frequentiam et devotionem ad sanctam Johannam præfatam fecit corpus sursum elevari a terra et in decentem capsulam poni ut a populo visitaretur et adoraretur, proposueruntque magistri Ordinis post capitulum generale Neapolis celebratum (3) apud pontificem Romanum ejus canonizationem procurare, sed damnabili furto præventi non poterant perficere.

(Ibidem, fol. 85a) « Sancta Johanna Tolosana virgo et reclusa quondam in conventu fratrum Tolosæ fuit, cujus corpus in altum erigitur in eodem conventu. (Ibidem, fol.

(1) « Frater Bertrandus de Salinis in s. pagina bachalarius et præsentatus in theologia scripsit Vitam S. Johannæ Virginis reclusæ Tolosæ ». Ita Baleus l. c. fol. 127b. inter scriptores s. XV exeuntis ; quo præcise anno dictus Bertrandus floruerit incompertum est.

(2) Bernardus de Rosergio archiepiscopus Tolosanus ab anno 1452 usque ad annum 1474 quo dignitati renuntiavit.

(3) Anno 1510.

117a) Johanna virgo sancta et monialis reclusa Ordinis Carmeli in conventu Tolosæ arctissimam pœnitentiam egit, in quo conventu miraculis clara quievit, cujus corpus in una capella ad devotionem populi elevatur in altum. Et hæc fuit de Vasconia nata, quamvis a quibusdam quia Tolosæ vixit et obiit Tolosana dicatur (1).

(Ibid. fol. 89b) « Imago sanctæ Johannæ Tolosanæ sic depicta est, stellam habet in pectore, in manu dextera palmam et in manu sinistra librum &c. (sic) Vota ad eandem. Ave inclita et sancta Soror Johanna — cujus corpus cernitur in hac capella, — te rogamus, miserorum suscipe vota, — et languentium audito suspiria — deprecantiumque tuo munimine juva — per tua ineffabilia merita, — fac ut collocemur in cœlesti gloria — tecumque Deum laudantes in sæcula. ℣. Ora pro nobis beata Johanna &c. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui sanctorum et electorum tuorum multifarie multisque modis gloriosa merita demonstras ac ostendis ; concede nobis famulis tuis, ut interveniente pro nobis beata sorore Johanna quæ in sancta religione Carmelitarum tibi meruit famulari, et nos quoque Tibi jugiter famulemur nostraque petitio Te donante ejus intercessione Tibi sit accepta et Tuo sanctissimo Numine sit perfusa. Per Dominum. »

(1) « Cum hac et aliam virginem de Vasconia venisse Tolosam dicunt cujus Anna fuit nomen, eundem habitum et professionem quoque fecisse, quæ, ceu ferunt, Hispaniam petiit et postmodum Pampiloniam in Navarra, et hæc quoque quia Tolosæ fuit Tolosana dicitur » MS Harley 1819 fol. 117a. Hæc refertur sibimet oculos eruisse, ne aspectu regis Francorum temptationem pateretur, unde versiculi :

Anna Tolosanes oculos misisse refertur
Francorum regi ne maculetur ei.

(MS. Bodley 73, fol. 26b).

Ex his omnibus sequitur incertum esse quo tempore Johanna prædicta vixerit, probabilius tamen sæculo decimo quarto exeunte vel etiam sæculo decimo quinto ineunte; proinde legenda de suscepto habitu e manibus S. Simonis Stock ac de instituta confraternitate necnon cetera omnia caute recipienda sunt.

---

7. De Beato Nicolao Gallico

Mortuo S. Simone Stock capitulum generale Tolosanum die 24 Maji 1265 elegit in priorem generalem Nicolaum, quem Johannes Grossi ait natione Gallum fuisse. Teste eodem præfuit Ordini per novemdecim annos, nempe per quatuordecim annos provincialem Terræ Sanctæ agens (quidam dicunt Vicarium Generalem per partes Orientales, quod minus accuratum est), per quinque vero vel sex annos generalatus munus explens.

Longe aliter ac S. Simon qui Carmelitas vitæ activæ voluit exercitiis incumbere, Verbum Dei prædicando, confessiones fidelium audiendo, sacris litteris operam dando, Nicolaus vitæ solitariæ ac cœlestibus contemplationibus favebat, magnoque dolore afficiebatur ex eo quod fratres solitudine relicta in oppidis et civitatibus conventus construxerant. Pro tuenda sententia more scholastico interpretatus est clausulam regulæ « loca autem habere poteritis &c » in litteris quibus titulus *Ignea Sagitta*, incip. *Quomodo obscuratum est aurum*. Istam epistolam scripsit « anno Domini 1270 mense Februarii in monte Enatroff (seu Eratroff), hostibus terribili, ibi domus Dei et janua paradisi. » Extabat olim in bibliotheca Carmelitarum Discalceatorum Clarimontis, at jam exe-

unte sæculo XVIII deperdita erat (1). Aliud exemplar habebatur in bibliotheca Cottoniana Londini (2) quod anno 1731 misero incendio periit. Supersunt tamen quædam fragmenta apud Bostium (3), Wastelium (4), Lezanam, (5) et Philippum a SS. Trinitate (6). Cum autem nihil proficeret officio cessit in capitulo Parisiensi 8 Septembris 1271 ac in solitudinem sese recepit. Sepultus fuit in conventu Auriacensi (7) incerto anno die 2 vel 29 Aprilis. In missali Kilcormicensi anno 1458 conscripto festum ejus assignatur diei 2 Aprilis sub ritu IX lectionum ; in psalterio Salmuriensi (8) circa annum 1500 exarato notatur sub ritu duplici, et similiter ad diem 3 Aprilis in breviario quodam ex Alemannia superiori oriundo (9).

---

8. De Radulpho Alemanno.

Post Nicolai renuntiationem capitulum Parisiense anni 1271 Radulphum Alemannum in generalem elegit, forte unum ex iis qui Palæstina relicta in Europam migraverant. Non secus ac Nicolaus contemplativam vitæ activæ anteferebat,

(1) Cf. *Histoire de l'Ordre*, P. 74.

(2) MS. Cotton Vitellius D VI. I. Hodiedum supersunt pauca istius codicis fragmenta incinerata (Cotton App. XXXVII-27).

(3) Specul. Carmel. I, 398, n. 1603 Cf. Biblioth. Carmel. II, 489.

(4) Sect. V. art. 3.

(5) Annal. IV, 402.

(6) Theologia Carmelitana, Romæ, 1665, P. 336.

(7) Oranges.

(8) Saumur. Cf. *Histoire de l'Ordre*, P. 72.

(9) Breviarium Carmelitarum, Venetiis 1504, exemplar Musei Britannici continens plures additiones manuscriptas.

unde elapsis tribus annis generalatus officio Burdegalis renuntiavit, et Holnensem conventum prope Alnevicum adivit, ubi per plures adhuc annos cœlestium contemplationi vacavit. Demum die 18 Decembris 1277 ad superos evolavit. Refert Baleus frequenter cœlestia luminaria super ipsius ac Radulphi Freshburn sepulchra visa fuisse. Quamvis a pluribus auctoribus Beatus vel etiam Sanctus nuncupetur nullum inveni cultus illi præstiti vestigium.

De Magistris Parisiensibus

Tertium catalogum compilavit Johannes Trissa nempe magistrorum Parisiensium quem, collatione prius instituta cum editione cl. P. Henrici Denifle e codice Sorbonico itidem e collectaneis Johannis Balei vulgandum censeo (1). Advertat lector cum audierit Trissam enumerantem magistros, Gerardum primum, Simonem secundum et sic deinceps, ipsos quidem primum, secundum &c. esse, qui ad ejus notitiam pervenerint, non vero absolute primum et secundum qui Parisiis lauream acceperint, cum e contra alii præcesserint, ut infra liquebit. Istum catalogum ineunte sæculo decimo sexto Johannes Barret (de quo supra P. 230) politiori reddidit sermone, atque ad sua usque tempora texuit, nullo tamen servato ordine omnique posthabita criticê. Plures enim enumerat qui nullatenus Parisiis gradus susceperunt, quamvis forte unus vel alter ibidem per aliquod temporis spatium studuerit ; alios pene innumeros prætermittit ; et loco memorabilium de vita eorum, quasdam formulas seu elogia usque ad nauseam repetit. Nullo ego labori peperci ut e notitiis undequaque conquisitis vitam et gesta ipsorum illustrarem et tandem pro posse desiderata supplerem. Attamen neque notulæ neque supplementum meum tamquam omni calculo absoluta habenda sunt, præsertim cum ingens opus, Cartularium Universitatis Parisiensis, post luctuosam P. Denifle mortem videatur truncum mansurum.

Sequentia ergo habentur apud Baleum.

(1) *Archiv f. Litteratur & Kirchengeschichte*, V, 370 sqq.

(MS. Harley 1819, fol. 53b). Magister frater Johannes Trissa scripsit tractatum de primis magistris parisiensibus in facultate theologica Ordinis Carmeli ab anno Domini 1295 usque ad A. D. 1360. Incipit.

Primus fuit frater *Gerardus de Bononia* ejusdem provinciæ bononiensis, qui doctrina et sapientia insignis omnibusque virtutibus fundatus mirabiliter effulsit, unde quamplures libros ad Christianæ religionis defensionem edidit, multosque peccatores suæ prædicationis officio ad Christum verum pastorem convertit. Hic enim vita et conversatione illustris in priorem generalem rite est electus per quem sacer Ordo noster virtuose est gubernatus atque doctrinis et moribus multipliciter illustratus. Tandem in conventu Avinionensi post venerandam senectutem in Dei amore quievit et laudibus perseverans incontaminatum Deo spiritum reddidit anno Domini 1317.

Vide annotationem ibidem. Biblioth. Carmel. I, 548. Lezana Annales, IV passim. Gerardus obiit 17 Aprilis 1317. Interfuerat processui contra Margaritam Porete quæ cremata fuit a. 1310. (Cart. III, 660).

Secundus fuit frater *Symon de Corbeya*, provinciæ Franciæ, conventus Monsteruli (1). Hic enim claruit sapientia et doctrina admirabilique facundia, pulcher erat in corpore sed pulchrior in regimine et pulchrior in mente. Nam ipse fuit provincialis Franciæ annis pluribus quibus temporibus Virgine benedicta cooperante ipse tantum laboravit cum summo Pontifice et domino rege Franciæ quod impetravit nobis locum quem possidemus in platea Mauberti Parisius, antea enim morabamus juxta Sanctam Katerinam. Postmodum vero dictum conventum Parisiensem pluribus libris

(1) Montreuil.

ditavit (1) et sic virtuose vitam decurrendo vocante Domino in Monstreolo sancto fine quievit.

Bibl. Carmel. II, 744. Præfuit capitulo generali anni 1312; vide supra P. 227 et 284.

Tertius fuit frater *Guido de Perpiniano* provinciæ Narbonæ qui omnium studio litterarum adeptus atque sanctorum doctorum imitator factus plures libros ad fidei christianæ defensionem inspirante Domino conscripsit. Nam quatuor evangelistas qui imperitioribus discrepare videntur multum egregie in unum collexit, ideo intitulatur (Fol. 54 a) *Quatuor unum*, qui liber est magni valoris et necessitatis (2). Item edidit unum commentarium super Decretum multi valoris et excellentiæ. Item fecit unum tractatum contra heræticos summæ utilitatis fidei Christianæ, ubi nominat omnes hæreticorum sectas a principio mundi usque ad sua tempora et improbat, et intitulatur *Liber de hæresibus*. Item fecit alium pulcherrimum tractatum qui intitulatur *Liber de perfectione vitæ*, ubi tractat an Christus et apostoli habuerint proprium, et sic de aliis consiliis evangelicis, et an prælati possint aliquid habere in communi (3). Item fecit scripta diversa super Sententias et multa alia quæ brevitatis causa omissa facio. Hic enim suo tempore famosissimus fuit super omnes magistros Parisienses, immo super omnes qui tunc in clero universo florebant. Hic enim in priorem generalem rite et canonice eligitur. Postmodum vero per Sedem apostolicam in episcopum Majoricensem et Elnensem Domino disponente assumitur, sic

(1) Baleus quædam omittit; Sorbonicus sic habet : « videlicet Speculo ystoriali in quatuor pulchris voluminibus cum tabula ejus, Catholicon, Tabula originalium et aliis libris multis ».

(2) Sorb. addit: continet enim bene quatuor viginti sexternos sexaginta punctorum.

(3) Sorb. addit : qui liber est valde utilis.

quod in Avinione cum pontificali honore glorioso fine quievit in pace, A. D. 1342.

Cf. Biblioth. Carmel. I, 581. Cf. supra P. 233 250. Notat Denifle ex Eubel Guidonem 15 Aprilis 1321 in episcopum Majoricensem electum atque 27 Julii 1332 ad sedem Elnensem in provincia Ruscinensi translatum fuisse, et tandem Parisiis mortem obiisse. Secundum Waldensem (de Sacram. c. 64) ad Cardinalatum destinatus erat. Baleus notat ipsum Magistrum sacri Palatii fuisse.

Quartus fuit frater *Sibertus de Colonia* provinciæ Alemanniæ inferioris. Hic eruditione, scientia, conversatione et moribus insignis fuit, Ordinale novum virtuose edens et componens, postmodum Coloniæ in pace diem vitæ hujus feliciter clausit.

De Siberto de Beka vide supra P. 190. Præter opera ibi enumerata Baleus (MS. Harley 3838, fol. 168a) attribuit ei

Epistolas ad diversos lib. I. Incip. Universis Christifidelibus.
Sermones per annum lib. I.

Cf. etiam Biblioth. Carmel. II. 741. quæ ex supradictis corrigenda est.

Quintus fuit frater *Augerius de Spuneto* provinciæ Aquitaniæ qui multum clarus doctrinis et virtutibus in senectute bona quievit in Domino.

Sorbonicus habet: Augerius de Spuento ; Barret: Eugerius ; Baleus (MS. Selden 41 supra): Eugenius de Spineto. Idem (Harley 3838, fol. 166a) addit: « post venerabilem senectutem, fideles et sanctas actiones Tholosæ pie quievit. »

Sextus fuit frater *Johannes de Bachone* provinciæ Angliæ qui magnis virtutibus et optimis studiis præditus fuit. Hic enim a juventute sua quamplurima subtiliter scripsit super philosophiam naturalem atque moralem necnon et super quatuor libros Sententiarum, specialiter super quartum, fecitque optimas postillas super epistolas Pauli et super evangelia, specialiter super Matthæum, fuitque minimus in persona sed maxi-

mus in sapientia et doctrina, unde post multa exercitia virtuosa jugiter cœlo intentus Londoniis migravit a sæculo.

Natus Baconthorpii in comitatu Nordvolgiæ (unde cognomen sumpsit) in conventu Blackeney (alias Snitterley) habitum induit, et Oxoniæ ac Parisiis studiis operam dabat; forsitan idem est ac *Johannes Anglicus Carmelita bachalaureus* qui cum multis aliis interfuit revocationi Johannis de Polliaco 27 Julii 1321 (Cart. IV, 168). « Composuit primum librum Sententiarum Parisiis die Martis ante festum S. Marci 1325 » (Baleus). Ab a. 1329 usque 1333 provincialem Angliæ et vicarium generalem vice Johannis de Alerio egit. Officio cessit ut studiis operam navaret; A. 1346 diem clausit ultimum in conventu Londoniensi. De ejus doctrina cf. Stœckl, *Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, II, 1044. Capitulum generale a. 1416 statuit ut lectores habeant « allegare doctores Ordinis nostri sub suis nominibus propriis ne in oblivionem veniant. » Item capitulum a. 1510 ordinavit « quod opera Bachonis et Michaelis de Bononia super IV libros Sententiarum impressa mandato Rmi Patris Ordinis et impensa magistri Stephani de Bassignana distribuerentur per totum Ordinem, quod tam conventus omnes quam Graduati dent pretium librorum secundum ordinationem Rmi Patris Ordinis, » at sequens capitulum aliter disposuit. Cf. Johannis Bacconis *Super Sententias libri IV*. Quatuor tomi in duobus voluminibus. Mediolani 1510. Cf. Bibl. Carm. I, 743; II, 980.

Septimus fuit frater *Johannes de Alerio* provinciæ Tholosæ. Hic in divinarum eruditionum scholis maxime floruit, nam sine intermissione lectioni aut orationi semper vacabat, fuit enim parvus in supposito sed magnus in virtute et merito. Nam charitate redundans, castitate pollens, viriles dicitur omnino vitasse contactus. Hic enim sic vita et doctrina clarus in priorem generalem rite et canonice eligitur, postmodum vero Tholosæ jubente Domino ad regna siderea feliciter transmigravit, et ..... (sic).

Generalatum resignavit anno 1330, tandem 23 Novembris 1342 Tholosæ obiit. Cf. Biblioth. Carmel. I, 720. Lezana, IV. 576.

(Fol. 54 b) Octavus fuit frater *Bartholomæus de Papia* provinciæ Lumbardiæ. Hic enim sapientia et doctrina claruit, immo omnium virtutum artem sinceriter obtinuit, unde sicut fuit pulcher et decorus in corpore sic fuit virtuosus in mente, specialiter cum fuit pacis et concordiæ amator; ideo sic meritis gloriosus in Mediolano finaliter quievit in pace.

Nihil aliud de ipso ad nostram pervenit notitiam.

Nonus fuit frater *Petrus de Casis* provinciæ Aquitaniæ conventus Lemovicarum. Hic doctrina et sapientia insignis fuit, unde quamplurima scripta super quatuor libros Sententiarum conscripsit atque pulcherrimas collationes ad status (1) edidit. Hic in priorem generalem rite et canonice eligitur, postmodum vero tempore Papæ Johannis pro fide catholica graviter affligitur (2), sed Domino adjuvante tribulatio illico vertitur in gaudium. Nam dominus Papa Benedictus XII attendens in eo doctrinæ catholicæ constantiam eum episcopum Vasionensem creavit. Postmodum vero Papa Clemens sextus in patriarchalem dignitatem Hierosolymitanam salubriter sublimavit, et sic simul et semel claruit dignitate pontificali et patriarchali, in quibus dignitatibus vita, verbo et exemplo multum præclarus extitit. Tandem vocante Domino in sede Vasionensi Deo Patri tradidit spiritum et sic in patriarchali honore ibidem tumulatus glorioso fine quievit A. D. 1348, sepulchro permanente usque hodie.

Sorbonicus habet secunda manu « sepulchro permanente usque hodie 1502. » Petrus de Casis, alias et forte melius de Caesis per capitulum anni 1318 designatur sententiarius Parisiis pro primo anno; anno vero 1341 in episcopum Vasionensem, et sequenti in patriarcham Hierosolymitanum evectus fuit. Sepultus est in ec-

(1) Sic etiam in Sorbonico. Forsan legendum esset Statuta.

(2) Addit Barret « Scripserat enim contra ejus opinionem de statu animarum post mortem. »

clesia Vasionensi. Jos. Maria Suarez qui anno 1633 ep. Vasionensis renuntiatus fuit-ipsi epitaphium sequens posuit :

« *Venerabili Petro de Casa Priori Generali Ordinis Carmelitarum, Patriarchæ Hierosolymitano, hujus episcopatus administratori, qui obiit 1348, die III Nonas Augusti, et miraculis claruit, Josephus Maria episcopus Vasionensis. P. C.* » Cf. Lezana, IV, 593. « Cujus claritatem et gloriam ejusdem mausolii ad septentrionem chori ecclesiæ majoris constructi patriarcharum ornati insigniis monumenta testantur » (Barret) Bibl. Carm. II. 561.

Decimus fuit frater *Johannes de Clarano* (1) provinciæ Narbonæ, conventus Perpinianensis. Hic enim præditus scientia et doctrina mirabili atque facundia incomparabili per Sedem apostolicam episcopus in partibus Sardiniæ ordinatur, qui strenue administrato pontificii culmine ad quod assumptus fuerat regnum cœleste adeptus est atque in sede sua solemni honorifice sepultus A. D. 1340.

Cf. Lezana, IV, 544. Biblioth. Carmel. I, 825 cum nota P. Denifle l. c.

Undecimus fuit frater *Petrus Poligii* provinciæ Narbonæ conventus Perpiniani qui scientia et eloquentia atque virtutibus refulgens in conventu Avinionensi oculos ad cœlum elevans emisit spiritum A. D. MCCC et ... (sic).

In capitulo anni 1318 ordinatur sententiarius Parisiis pro tertio anno. In registro Vat. Comm. Johannis XXII, an. 17, p. I, ep. 1537 (1333, 1 Aug.) nominatur Petrus Pologii. Eo tempore magistratum jam adeptus erat. (Denifle, l. c.) Catalanus genere erat (sicut etiam præcedens) et per aliquod temporis spatium officio Vicarii generalis functus, obiit ante 1 Augusti 1334 (Bull. I. 564).

(1) Sorbon. sicut etiam Baleus habet Claravo. Registr. Ordinis Clarayo. Cf. supra P. 197. A. D. 1327 episcopus Bosæ in Sardinia consecratus. Præfuerat capitulo Montispessulani 1321 (supra P. 229).

Duodecimus fuit frater *Mathias de Colonia* provinciæ Alemaniæ inferioris qui fidei documentis præclarus virtutumque meritis ornatus a Sede apostolica factus est episcopus in partibus Alemaniæ, postmodum Bruxellis vocante Domino quievit A. D. 1359.

Cf. Lezana, IV, 628. Biblioth. Carmel. II, 406, 957. MS. 16492 bibl. Regal. Bruxell. fol. 13 b. Dom Ursmer Berlière in periodico *Revue Bénédictine*, Maredsous, XX (1903), 249. Mathias Sporre de Colonia, natus circa 1295, professus Coloniæ circa 1311, prior et lector Bruxellis 1320, socius Siberti de Beka 1321, baccalaureus theologiæ 1322, 1326-1330 prior et regens Bruxellis, 1330 doctor Parisiis, adhuc pluries prior Bruxellensis. Circa 1344 renuntiatus fuit episcopus Trapezuntinus et suffraganeus Cameracensis. Incertum Germanusne an Belga fuerit.

(Fol. 55a) Tertius decimus fuit frater *Raymundus Durandi* provinciæ Tholosanæ conventus Tholosæ qui non solum verbis sed rebus et virtutibus mirabiliter ornatus extitit, sacrarumque scripturarum amator, unde quamplures libros conscripsit, sicque vitam studiosam diligens in conventu Tholosæ finivit in Domino.

Plures fuerunt hujus nominis Carmelitæ laurea magistrali insigniti. « Duo fratres germani, homines multum devoti, genere nobiles, ob quoddam miraculum Virginis Mariæ Tholosæ in religionem simul suscepti et professi, simul effecti sunt diaconi, sacerdotes, baccalaurei et in theologia magistri, frater Raymundus Durandi et frater Guillermus Durandi, quorum primus obiit 29 Junii 1332, secundus vero obiit VII (? forsan III) Nonas Augusti 1344, et sunt in medio chori satis devote sub magno lapide simul humati (MS. Harley 1819, fol. 99b) ». Prior istorum, nempe Raymundus Durandi, de quo supra agitur, forsitan identicus est cum B. Durandi, qui anno 1318 procurator Ordinis in Curia Romana renuntiatus fuit ; cum enim liber Ordinis Romæ apud PP. Carmelitas antiquæ Observantiæ asservatus pro prima parte tantum apographus sit, facile fieri potuit ut copista litteram R cum B confuderit. Alius tamen fuit Petrus Durandi de quo agit Baleus (MS. Selden 41 supra) : « Petrus Durandus de conventu Montis

Regalis, doctor, provincialis Narbonæ, obiit Narbonæ 11 Octobris 1350 ». (Cf. etiam Lez. IV, 591). Mirum Trissam istum prætermisisse cum in capitulis 1342 et 1345 provincialis Narbonæ extiterit cujus provinciæ ipse Trissa alumnus erat. Magister Benedictus Durandi conventus Carcassonensis floruit anno 1497 et obiit Carcassonæ 10 Februarii (anni ? MS. Harley 1819 fol. 89a).

Quartus decimus fuit frater *Petrus Olle* provinciæ Narbonæ conventus Perpiniani. Hic enim magnis virtutibus et optimis studiis præditus fuit unde inter ceteros doctores magnus textualis fuit, quoad omnem scientiam et doctrinam, eratque parvus in quantitate sed magnus in morum honestate, sic quod gloriosus meritis in conventu Avinionensi quievit A. D. 1348.

Licentiatum accepit anno 1333. In registro Johannis XXII (cf. Denifle l. c.) vocatur De Orulo, apud Baleum et Barret vero Orley.

Quintus decimus fuit frater *Jacobus de Vallebraria* provinciæ Narbonæ conventus Montis Regalis. Hic enim fuit amator sacrarum scripturarum, et magnis virtutibus insignis, unde sine intermissione lectioni aut sanctæ contemplationi semper erat intentus, sicque virtuose percurrendo in conventu Montisregalis collectus est ad patres nostros in senectute bona anno Domini MCCC et.....

Fuit prior provincialis Narbonæ. Obiit 31 Maji 1341 (MS. Harley 1819, fol. 89b).

Decimus sextus fuit frater *Henricus de Aquila* provinciæ Alemaniæ inferioris qui eruditione, fide, conversatione et moribus præclarus pœnitentiarius Sedis apostolicæ effectus est et sic in conventu Avinionensi finem vitæ suæ in opere Domini complevit.

Biblioth. Carmel. I, 619. Anno 1322 erat prior Trevirensis, obiit 1345 (Koch, l. c. 22, 47).

Decimus septimus fuit frater *Hugo de Verneto* provinciæ

Narbonæ, conventus Amiliani. Hic fuit nobilis genere sed scientia et doctrina nobilior in mente, unde inter ceteros doctores Parisius suo tempore in speculativa famosior fuit; qui ibidem regens feliciter migravit ad Dominum A. D. 1340 et 23 die mensis Martii.

Biblioth. Carmel. I, 671. Sorbon. habet Verneco.

Decimus octavus fuit frater *Jacobus de Auzo* provinciæ Aquitaniæ conventus Figiachi. Hic vita, doctrina et virtutibus pluribus claruit, specialiter tamen virtute humilitatis ornatus fuit, beatæ Virgini semper famulabatur devote, et pro mortuis orabat assidue, et sic regendo in Avinione incorruptum Deo spiritum reddidit A. D. MCCC &c.

Alias de Auso. Dies et annus obitus neque ad Trissæ neque ad meam notitiam pervenerunt.

Decimus nonus fuit frater *Johannes Vogolon* provinciæ Alemaniæ inferioris, conventus Coloniæ. Hic plenus scientia et doctrina quamplurima scripsit super Sententias et super Evangelia, tandem in senectute bona in conventu Coloniensi quievit in Domino A. D. MCCC et.

Cf. supra P. 119. Lauream doctoralem accepit anno 1342. Hic et alibi Trissa per anticipationem notat modum et locum obitus. Biblioth. Carmel. II, 144. Barret asserit eum anno 1404 decessisse quod omnino impossibile est.

Vicesimus fuit frater *Petrus Raymundi de Insula*, provinciæ Narbonensis conventus Carcassonæ. Hic doctrina et sapientia insignis in priorem generalem eligitur, qui generalatus officium diligentissime exercens postmodum in Montepessulano congregatis fratribus in unum sui disso(fol. 55b)lutionem imminere prædixit, unde post ejus salutarem monitionem coram fratribus Domino Jesu Christo tradidit spiritum, ibidemque tumulatus est A. D. 1357 et 22 die mensis Novembris.

Petrus Raymundi de Insula Grassa. Quo tempore in generalem electus fuit (a. 1342) adhuc baccalaureus erat. (Supra P. 252. Biblioth. Carmel. II, 595.) Anno 1343 Angliam canonice visitavit, et capitulum provinciale Lincolniæ celebravit (Patent Rolls, 23 Aug. 1343). Capellanus pontificius creatur 29 Nov. 1349.

Vicesimus primus fuit frater *Petrus de Florentia* provinciæ Thusciæ. Hic fulgens sapientia et morum honestate factus est provincialis provinciæ Romanæ quam pacifice gubernans in Neapoli vitæ suæ cursum complevit in pace A. D. MCCC &c.

Non satis constat quis hic Petrus fuerit. Baleus (MS Selden 41 supra et Harley 3838, fol. 171a) eadem repetit quæ apud Trissam invenerat, addit tamen : « ut ferunt in Curia procurator Ordinis ». In hoc quidem rumor falsum retulit, sed si legas « baccalaureus in Curia et lector Sententiarum » forsan recte intelliges Petrum illum fuisse *de Janua* de quo Lezana hæc scribit : « Adfuit eidem capitulo (scil. anni 1333) ut Lombardiæ provincialis frater Petrus de Janua, s. theol. baccalaureus eo tempore insignis. Missus pridem fuerat Parisios ad legendas Sententias decreto capituli generalis anno 1324 celebrati. Postea anno 1331 electus fuit in provincialem Lombardiæ, quo tempore sub hac provincia erant conventus Ferrariæ, Bononiæ, Parmæ, Venetiarum, Paduæ, Imolæ, Mutinæ, Massæ, Mantuæ, Veronæ et Januæ, ubi ipsius corpus honorifice humatum in choro super cratem ferream in tumba marmorea requiescit ». Annales, IV, 556.

Vicesimus secundus fuit frater *Robertus de Monstreolo* provinciæ Franciæ. Hic in divinarum eruditionum scolis Parisius apertissime floruit, unde inter ceteros doctores suo tempore currentes in exponendo sacram Scripturam seu in prædicando ad clerum vel ad populum primatum tenuit. Erat enim præditus eloquentia et facundia inenarrabili, unde omnia quæ proferebat multum congrue occurrebant sibi, fuit enim pinguis in proprio supposito, sed pinguior in di-

vinarum Scripturarum studio, et sic virtuose gradiendo tandem in pace &c.

Sorbon.: de Mostorolo, Biblioth. Carmel. II, 694 de Monstrolio. Picardus genere.

Vicesimus tertius fuit *Arnestus de Saxonia* provinciæ Alemaniæ inferioris. Hic subtili ingenio fruebatur, sacrarum Scripturarum studio ac divinæ contemplationis jugiter adhærebat rivulo sic quod vita et verbo clarus migravit a sæculo A. D. &c.

Secundum alios Arnesius; « quod reliquum erat temporis contemplationi dicabat (Baleus) ».

Vicesimus quartus fuit frater *Henricus Dolendorp* provinciæ Alemaniæ inferioris. Hic scientia et doctrina ornatus quamplurima super philosophiam moralem scripsit, fuit enim magnus in quantitate, sed major in virtuositate, specialiter divinæ contemplationi inhærens pluribus meritis insignitus.

Sorbon. Dellendor. Biblioth. Carmel. I, 622. In capitulo anni 1336 designatus fuit ad legendum Sententias Parisiis pro tertio anno. Prior Coloniensis 1349, provincialis 1351-1358, lector principalis Coloniæ 1361, lector principalis Treviris « si placet » 1362 (Koch, l. c.) Obiit 10 Februarii 1366 (Baleus).

Vicesimus quintus fuit frater *Petrus de Luperciaco* provinciæ Aquitaniæ conventus Lemovicarum. Hic doctrina et moribus clarus factus est pœnitentiarius Sedis apostolicæ, qui virtuose exercens officium suum in conventu Avinionensi finem vitæ sortitus est optimum A. D. 1348.

Vicesimus sextus fuit frater *Petrus Maymeti* provinciæ Aquitaniæ conventus Figiachi. Hic vita et scientia conspicuus dominis canonicis S. Mariæ de Parisiis annis pluribus distillavit virtuose. Postmodum vero ordinante Domino in abbatia

(1) Domino Jesu Christo incorruptum reddidit spiritum, A. D. 1348 (2).

Vicesimus septimus fuit frater *Nicolaus de Gandavo* provinciæ Franciæ. Hic doctrina et omni virtute fulcitus fuit, specialiter virtute pacis et concordiæ, ideo in Gandavo ultimate vitam suam finivit in pace A. D. 1360.

Vicesimus octavus fuit frater *Johannes Godoner* provinciæ Alemaniæ (fol. 56a) inferioris, conventus Coloniæ. Hic fulgens scientia et doctrina mirabiliter divino servitio se dedicavit, nam omni nocte erat in matutinis, continue sequebatur horas canonicas, mirasque fecit abstinentias; tandem multis virtutibus plenus Bruxellis in senectute bona quievit in pace, A. D. M &c.

Biblioth. Carmel. I, 859, rectius eum vocat Guldener, sicut etiam habetur apud Baleum. Bis prior Bruxellensis, sæpe regens studium ibidem ubi et mortuus est A. D. 1354. (Lez. IV. 590.)

Vicesimus nonus fuit frater *Johannes de Veneta* provinciæ Franciæ, conventus Parisiensis. Hic fulgens doctrina et morum honestate provincialis Franciæ factus est in quo officio multum virtuose se habuit, specialiter in promovendo juvenes ad studia et ad nostri Ordinis religiositatem, fuitque multum diligens in acquirendo gesta antiqua nostræ sacræ religionis et in faciendo scribi libros Ordinis pro divino officio. Sicque virtuose agendo obiit.

Biblioth. Carmel. II, 131. Anno 1339 erat prior Parisiensis, ab anno 1342-1366 provincialis Franciæ. (Lez. IV, 662.) Anno 1346 per Clementem VI pro licentiatu commendatus (Denifle, l. c.) Auctores perinde scribunt Vineta quod minus accuratum est. Parvum ejus Chronicon Ordinis habetur in Spec. Carmel. I, 202.

(1) Deest in Sorbon. Baleus addit « vel in Albia » ; « in suo tamen conventu sepultus. »

(2) Vide supra P. 304.

Tricesimus fuit frater *Vitalis de Artigola* provinciæ Aquitaniæ conventus Lectorensis, qui eruditione, conversatione et moribus insignitus prior conventus Parisiensis factus est ubi in regimine multum religiose se habuit, nam quamplura hospitia dicto conventui emit bene ad valorem duorum milia florenorum. Hic enim fuit pulcher atque persona decorus, et habebat faciem angelicam, sed pulchrior fuit in animo virtutibus ornato. Fuit quoque regens in Montepessulano, sed jubente Domino in Avinione migravit a sæculo, A. D. 1348.

In capitulis annorum 1342 et 1345 memoratur ipsius utpote prioris Parisiensis. Hoc ultimo anno « prior et definitores supplicant ut Vitalis de Artigola Parisius ad magisterium theologiæ promoveatur » (Denifle, Cartular. II, 569).

Tricesimus primus [In Barreti catalogo inseritur hic : « *Johannes Moraynge* gallus genere, atque de provincia Franciæ vir candidissimi pectoris, inter eruditos nobilis doctrinaque solida, sed in concionibus sacris admirabili quadam facundia animarum lucro plurimum insudabat. » Forte idem ac Joh. de Morino (Selden 41 supra)] fuit frater *Johannes Belini* provinciæ Franciæ conventus Calasii. Hic florens doctrina et sapientia mirabili pœnitentiarius Sedis apostolicæ factus est, quod officium multum virtuose egit, nam alienus ab omni avaritia suis contentus stipendiis erat, fuit autem deditus jugiter contemplationi unde quotidie celebrabat, pro mortuis vigilias continue dicebat, corpus suum domabat et libentissime clero prædicabat, vitia et peccata quæ clerus committebat ipse publice in sermonibus suis reprehendebat, magis favens honori divino quam favori prælatorum. Virtuose vitam finivit.

Denifle (l. c.) refert notitiam sequentem : « Anno Domini MCCCLXX 5 die Martii sol debet pati eclipsim, ut frater Johannes Belini de Ord. Carmelitarum et magister in sacra pagina dixit. » Cf. etiam Cart. II, 569, ubi fratri Johanni Belini Carmelitæ, magistro in theol. certi redditus assignantur ut possit hono-

rifice vivere (19 Maji 1349). Opera ejus in expugnatione Calisii incendio perierunt.

Tricesimus secundus fuit frater *Petrus Thomæ* provinciæ Aquitaniæ conventus Bargeraci, Condomiæ professus, qui in scholis theologicis Parisiis inter ceteros sui temporis doctores in maximo pretio habitus est. Hic composuit postillam mirabilem super Matthæum, prædicator maximus fuit, eloquentia et facundia altiores obtinuit gradus, et factus est magister regens in Romana Curia multo tempore; post hæc factus est Sedis apostolicæ legatus ad dominum regem Apuliæ et ad dominos de Mediolano pro arduis negotiis Christianæ religionis; sicque diligenter (Fol. 56 b) exequens suam legationem et ad finem bonum deducens assumptus est per Sedem apostolicam ad episcopatum Coronensem prope Venetias ad mediam dietam, transacto quoque modico temporis intervallo iterum missus est a Sede apostolica legatus a latere ad infidelem regem Raziæ ut eum et populum ejus ad fidem veram converteret, qui prompto animo iens et ad dictum regnum perveniens quamplures gentes baptizavit et ad fidem Christi convertit, sed quia ante adventum ejus rex prædictus obierat eum ad fidem Christi convertere non poterat, et alia virtuosa opera egit.

De S. Petro Thoma cf. Acta SS. ad diem 29 Januarii. Specul. Carmel. II, 165-225. Bibl. Carmel. II, 608. P. Th. Burke, O. C. D. *A medieval hero*, Dublin, 1901. S. Petrus-Thomas obiit Famagustæ 6 Januarii 1366. Ab anno 1375 canonisatio ejus pluries postulata fuit. Festum vero ab anno 1509 successive diebus 7, 23 et 29 Januarii, 12, 13, 14 et 15 Februarii assignatum fuit tamquam confessoris pontificis, ab anno vero 1564 usque ad hodiernum tempus tamquam episcopi et martyris, quamvis proprie loquendo martyrium passus non sit.

Tricesimus tertius fuit frater *Petrus de Turribus* provinciæ Provinciæ conventus Avinionis. Hic scientia et virtutibus

insignis in camera sua existens semper aut sacrarum scripturarum studio aut divinæ contemplationi vacabat, habebat enim librorum copiam inter ceteros Ordinis doctores et fuit magnus prædicator ad clerum et ad populum, et variis virtutibus vitam tandem complevit.

Barret habet Curribus. Biblioth. Carmel. II, 619. Ex decreto cap. 1342 constitutus fuit lector biblicus Parisiis pro secundo anno, 1345 lector Sententiarum Parisiis pro tertio anno, 1348 idem pro primo anno, 1351, 1354 et 1357 provincialis Provinciæ, 1362 regens in Curia et Magister. (Lezana, IV, 640). 31 Jan. 1365 Avignonæ interfuit revocationi Dionysii Foullechat (Cart. III, 123).

Tricesimus quartus fuit frater *Deodatus Barreyne* (1) provinciæ Narboniæ conventus Amiliani, scientia et optimis studiis præditus, erat enim subtilis ingenio, affabilis eloquio, multaque conscripsisset si morte præoccupatus non fuisset. Hic factus provincialis Narbonæ parum duravit in officio quoniam Domino jubente subito rapitur de medio, sicque supernorum civium adjungitur collegio in Montepessulano A. D. 1351 et 26 die Septembris.

Tricesimus quintus fuit frater *Thomas de Padua* provinciæ Bononiæ. Hic fulgens sapientia et doctrina, mirabilis prædicator extitit. Habebat enim bibliam et dicta SS. doctorum specialiter beati Hieronymi quasi cordetenus, sicque studiis et prædicationibus clarus in Padua floruit et tandem vitam terminavit.

Biblioth. Carmel. II, 826. Una cum S. Petro Thoma fundator collegii theologiæ Bononiæ, ac « textualis insignis et eloquentia clarus » Anno 1348 designatur biblicus Parisiis pro primo anno. Lezana, IV, 639.

Tricesimus sextus fuit frater *Johannes de Regno* provinciæ Tholosanæ conventus etiam Tholosæ, scientia, doctrina et

(1) Alias Barrariæ.

moribus insignis. Habuit memoriam mirabilem, eloquentiam affabilem et religiositatem notabilem. Hic factus est regens in Curia Romana, et post multa virtuosa exercitia in conventu Avinionensi quievit in pace A. D. 1361.

Biblioth. Carmel. II, 82. Constitutus anno 1348 biblicus Parisiis pro tertio anno, et 1351 lector Sententiarum ibidem pro septimo anno. Lezana, IV, 600.

Tricesimus septimus fuit frater *Tilmannus de Alto Lapide* provinciæ Alemaniæ inferioris conventus Aquensis. Hic scientia et morum honestate florens factus est provincialis suæ provinciæ in quo officio multa virtuosa opera edidit ad honorem Dei et Ordinis, et sic vita et verbo clarus tandem in pace quievit.

Biblioth. Carmel. II, 843. Biblicus Parisiensis anno 1351 pro primo anno, et Sententiarius ibidem pro secundo anno constitutus. Magisterium suscepit anno 1355. Provincialis a 1358 ad 1363 quo obiisse refertur. (Lezana, IV, 639. Koch, l. c. Norbertus a S. Juliana MS 16492 fol. 21a.)

Tricesimus octavus fuit frater *Berengarius Monachi* provinciæ Narbonæ, conventus Montis regalis, doctrina et scientia fulcitus, divinæ contemplationi se dedit, fuitque defunctorum amicus præcipuus et pro eis orator assiduus et beatissimæ Virginis famulator continuus, sic virtuose cursum complevit.

Obiit in Monte Regio 27 Augusti 1361 uti pluries habetur apud Baleum. Dubium tamen idemne sit ac Berengarius de Valle Generosa, qui in capitulis a. 1333, 1336, 1339 et 1342 provincialis Aragoniæ nuncupatur, atque a. 1342 designatur ad legendum bibliam Parisiis pro primo, et Sententias ibidem pro sexto anno. (Cf. Lezana, IV, 578).

Tricesimus nonus fuit frater *Johannes Balistarii* provinciæ Cataloniæ conventus Majoricensis, doctrina et sapientia clarus, unde inter doctores sui temporis Parisiis in speculativa

scientia primatum tenuit. Hic super quatuor libros Sententiarum subtilissima scripta edidit, fuitque abstinentiis et omnibus virtutibus ornatus, et sic in priorem Ordinis generalem rite et canonice fuit electus et tandem obiit.

Biblioth. Carmel. I, 759. Anno 1351 ordinatus fuerat biblicus Parisiis pro tertio anno et Sententiarius pro quarto, anno vero 1354 Sententiarius pro primo. Hoc ita intelligendum, ut impedito seu deficiente prævio sententiario deficientis vices gereret sequens, ideo cum ante capitulum Perpinianense cursum nondum legisset, in illo capitulo pro primo anno designatus fuit. Præsentatus a. 1358 ante electionem ad generalatum, et vi litterarum Innocentii VI 31 Octobris magisterium obtinuit, aliis postpositis. (Cart. III, 61) Obiit tandem Majoricæ 28 Septembris 1374. (Cf. Lezana, IV, 684; Denifle, Baleum,ll. cc.)

Quadragesimus fuit frater *Marcus de Florentia*, provinciæ Thusciæ scientia et morum honestate præditus, qui ab æmulis suis multa passus est, sed patienter omnia sustinens finaliter Virgine Maria mediante cui assidue famulabatur omnium æmulorum suorum cum summa patientia obtinuit triumphum et tandem æternæ vitæ præmium.

De ipso nihil ad meam notitiam pervenit.

De ceteris nihil adhuc vidi neque de his qui ab anno Domini 1360 usque ad nos floruerunt, quia qui hoc scripsit torpore vel acidia ceteros prætermisit (1).

(1) Videtur additio codicis unde Baleus apographum sumpsit. Deest in Sorbon.

Magistri Parisienses

CATALOGUS EORUM PARISIENSIUM MAGISTRORUM

QUOS TRISSA OMISIT.

1. *Johannes Trissa,* Gallus genere, de provincia Narbonæ et de conventu Nemausensi, theologicæ laureæ Parisiis candidatus suæ doctrinæ specimen exhibiturus accedit multiplici virtutum litterarumque ornatus congerie. Futurum hunc sanctæ Sedis antistitem immatura mors impedivit. Edidit iste glossemata quæ legit Parisius in Sententias et in Bibliam. Catalogum quoque composuit de magistris Parisiis et de Carmeli pastoribus primis atque capitulorum canones. Plura adhuc scripsisset si non obstetisset mors æmula. Non sine multorum ejulatu mortuus est venerabilis iste pater Nemausi A. D. 1363 quinto die Julii, longa alioqui vita dignissimus.

Cf. supra P. 202. Supplicaverat ut in licentia obtinenda aliis anteponeretur sine alia lectione (Cart. III, 94).

2. *Johannes Walsyngham* anglicæ nationis de monasterio Burnehamiæ præfuit anglorum sodalitio provincialis, vir integerrimus, doctrinaque solida, sed in concionibus sacris admirabili quadam facundia præditus, Benedicto papæ duodecimo gratus, floruit anno D. 1340.

Biblioth. Carmel. II. 145. Distinguendus est a Roberto Walsingham qui supra P. 226. inter doctores Oxonienses enumeratur, necnon a Johanni Walsingham seu Wolsingham, itidem Ord. Carmel. S. paginæ professor qui a. 1428 cum Johanne Thorpe et Petro a S. Fide assistebat processui episcopi Norvicensis contra Margaritam uxorem Willielmi Baxter Wryght hæreticam. (Reg. Ep. Norvic. in biblioth. Oratorii Londinensis, fol. 276). Walsingham noster cedente Ricardo Blyton qui Eduardo II a

confessionibus erat, provincialatum post annum 1324 suscepit et ante 1327 officio renuntiavit. In capitulo Albiensi juxta Baleum ob præclara gesta magno elogio nominatus fuit. Post capitulum una cum Alerio et Petro de Casa Avinionem se contulit ad firmandum Johannem XXII in conflictu cum Ludovico Bavaro et Petro Cogneriis consiliario regis Franciæ. Incertum quo anno et loco Walsingham defunctus sit. Cf. Lezana, IV, 540. Baleus passim.

3. *Osbertus Pickenham*, anglus genere (ut fertur) Parisiensis doctor. Huic tanta fuit animi virtus tantaque rerum experientia ut Augustinum adhuc superesse crederes.

Biblioth. Carmel. II. 520. Conventûs Burnehamensis vel Linnensis alumnus, per aliquod tempus prior Londinensis. Ad ipsum audiendum magnus scholasticorum numerus concurrit. Obiit circa 1320. (Lezana, IV, 550. Pitseus. Baleus.)

4. *Simon de Spira*, Alemanus natus, theologiæ sacræ magister, per Alemaniam inferiorem provincialis et cujusdam ecclesiæ præsul, obiit Coloniæ A. D. 1340.

Non modica circa istum oritur difficultas ex eo, quod plures hujus nominis videantur fuisse Carmelitæ. In MS nostro primo scriptum erat: « Obiit Coloniæ A. D. 1403 » quo deleto positum fuit « 1340 ». Baleus Palæonydoro inhærendo asserit Simonem de Spira post Sibertum de Beka fuisse provincialem Alemanniæ, quod tamen ex serie provincialium improbatur. Anno 1304 Simon quidam (sine cognomine) erat prior Moguntinus (Koch, l. c. 50). Baleus ex Bostio et Trithemio ait Simonem de Spira fuisse magistrum Parisiensem sed cum ad episcopatum vocatus fuerit non rexisse. Alibi tamen innuit eum Coloniæ docuisse, deinde cujusdam ecclesiæ episcopum ordinatum fuisse, ac tandem Coloniæ 6 Januarii 1340 obiisse. (MS. Harley 3838, fol. 175 a ; Selden 41 supra). Alter vero « Simon de Spira, dictus Arweiler » anno 1358 ordinatur Biblicus Parisiis pro primo anno et Sententiarius pro secundo ibidem. Anno 1362 erat lector Parisiensis, prior Moguntinus, et 1375 definitor Alemanniæ Inferioris in capitulo Podiensi. Anno 1388 pro instauranda universitate Coloniensi strenue laboravit, deinde suffraganeus Coloniensis factus ibidem obiit 7 Januarii 1403 (Lezana, IV, 691).

5. *Petrus de Rivo*, Catalaunus natione, conventus Perpinianensis, vir non vulgaris litteraturæ, scripsit in Sententias, in Psalterium, et sermones varios.

Bibl. Carm. II. 598. Ex decreto capitulorum Lugdunensis 1342, Mediolanensis 1345, Tolosani 1351, Perpinianensis 1354 et Burdigalensis 1358 erat lector Parisiensis. (Lez. IV, 620). Ballistarius sub die 22 Martii 1363 supplicavit Urbano V ut Petrus Rivi baccalaureus per multos jam annos infra mensem per cancellarium universitatis ad licentiatum admitteretur, quod papa benigne concessit (Denifle, Cartul. III, 102). Sixtus Senensis et complures alii ipsum Petrum de Rimes vocant, ac in annum 1300 reponunt, forsan errore calami. Attamen videtur idem fuisse ac Petrus Itio vel Irerio qui in capitulo Trevirensi 1362 ordinatur Biblicus et Sententiarius Parisiensis.

6. *Evenus Boych*, Brito natione, vir in negotiis divinis singularis judicii, concionator in populo egregius, evangelicæ sinceritatis amator et custos.

Istum Baleus sub nomine Hereni de Boyo refert,ac a. 1330 claruisse asserit (MS. Harley 3838, fol. 171a); Lezana vero sub nomine Hereni de Boyo seu Hervei de Broy in a. 1450 reponit (IV, 876), sed in Cartulario Universitatis Parisiensis habetur testimonium fratris « Eveni Boyc Carmelitæ », e Britannia (minori) oriundi in processu Capitulum inter ac Universitatem a. 1385 (III, 378, 414 et 447). « Frère Yves Bouic (Evenus Boic) » licentiam docendi theologiam suscepit 2 Maji 1388. Alias Berch scriptum invenis. Anno 1389 interfuit revocationi Joh. Adæ Ord. Præd. (ib. III, 317; 527.)

7. *Paulus de Perusio*, Italus genere, Parisiis in theologia licentiatus, vir juvenis quidem sed insigniter ingeniosus et doctus, quem ut paucis depingam, pudore, modestia, doctrina, suavitate morum alter Hieronymus est.

In Lugdunensi capitulo 1342 ordinatus est ad legendum Sententias Parisiis pro tertio anno. Baleus vocat eum inceptorem (MS. Selden 41 supra) cum paulo ante magisterium morte præmatura e vita ereptus fuerit. Quatuor libri super Sententias

medio sæculo decimo septimo in conventu Transpontino supererant ex quibus Lezana multa excerpsit (IV, 579). In illo volumine vocatur Perusinus a patria et Bontemps a nobili ista familia. Cæsar Alesius addit fuisse in sæculo Juris doctorem et publicum interpretem ac inde ad Carmelitas transiisse. Fateor me aliqualiter hac de re dubitare. (Bibl. Carmel. II, 536.)

8. *Johannes Golston*, anglus, Eboracensis ut fertur, Parisiensis theologus, regens Oxoniarum, ingeniosus et doctus, ac perinde sobrius et modestus.

Licentiam prædicandi et confessiones fidelium audiendi accepit a. 1325 et iterum 1334 cum in conventu Bristolniæ degeret (MSS Registr. Johannis de Drokensford ep. Bathon. et Wellens fol. 234a et Radulphi de Salopia n. 650 in archivio Wellensi). De ipso Lezana, IV, 521. Bibl. Carmel. I, 853.

9. *Philippus Reydour*, anglicæ nationis et provinciæ, Hiberniæ provincialis, vir in sacris litteris haud mediocriter eruditus fuerat.

Philippus Ryder, Reydour, Raydor, Raythey, vel Reydonus, ordinatus fuit presbyter per episcopum Exoniensem Londini 26 Maji 1396. Anno 1416 subscripsit condemnationi propositionum Johannis Parvi tamquam baccal. formatus et præsentatus (Cart. IV, 322) Extat epistola Waldensis ad dictum Philippum tunc provincialem Hiberniæ circa 1425 conscripta, quam infra in lucem editurus sum. In capitulo Balneolarum 1416 nominatur provincialis Hiberniæ Philippus Raydon præsentatus parisiensis, item 1420 Philippus Rayder, et 1425 Philippus Raydour. Nulla amplius de ipso mentio habetur.

10. *Johannes de Corbolio*, Gallus genere, apud Parisianos vir non vulgariter doctus, linguæ suæ fulmine quosdam illecebris abdicare coegit.

Anno 1364 intervenit in processu contra Dionysium Foullechat; et 1375 magistri Johannes de Corbolio et Johannes de Cruone Carmelitæ interrogati fuerunt sub juramento circa translationem libri Marsilii Paduani et Johannis de Janduno (Cartul. III, 122; 225). Anno 1388 provincialem Franciæ agebat. (Eubel, l. c. n. 545.)

11. *Petrus de S. Martino,* natione Gallus, vir eruditus ac moribus plusquam niveis præditus, præclaræ vitæ facinoribus suam exornat religionem.

30 Jun. 1382 Clemens VII mandat cancellario Paris. ut Petro de S. Martino Carmelitæ si eum ad legendum librum Sentent. idoneum et sufficientem repererit legendi ipsum librum in studio Paris. licentiam tribuat. (Eubel, n. 222). Licentiam tamen adeptus est nonnisi a. 1389 et rexit 1394 (Cart. III, 317 et 605).

12. *Eustacius Grandis* in Francia natus, plerisque sui temporis sermone copiosior et ingenio vehementior, melioribus vacarat studiis.

Eustachius Le Grant, seu Grandye, vel etiam Eustachius de Pavilly seu Pavilliaco licentiatus fuit 1395; anno vero 1411 iste « celeberrimus et veritatis famosissimus prædicator, vir quippe opere et sermone conspicuus cujus doctrina saluberrima multorum animos in viam æternæ patriæ conducit ut Universitas tunc ad quemdam scripsit, a fratre Bartholomæo Roquali, vicario generali Johannis Grossi intolerabili vexatione exagitabatur, et ad capitulum generale citatus, cum esset ægrotus et suppositum Universitatis, ejus causa Parisiis coram judice decidebatur ». (Cartul. IV, 11 cum nota, Auct. II, 112 et 150). In negotiis regni pluries strenue egit (Cart. IV, 252, 350, 357 et 367) unde liquet eum mense Junio 1419 adhuc vixisse, diversus ergo erat a mag. Eustachio qui obiit in conventu Brugensi 20 Decemb. 1402.

13. *Robertus Grisol,* Francus natione, vir singulari morum et ingenii dexteritate clarissimus, sceleratos hominum mores severa fronte redarguit.

Robertus Griselli licentiatus fuit 1408; anno vero 1413 tamquam magister interfuit concilio fidei. (Cart. IV, 161; 272.)

14. *Petrus de Haia* gallicus genere, vir inter ceteros authoritatis præcipuæ et nuntii divini apud plebem declamator insignis.

Petrus de Haya alias Des Hayes, licentiatus fuit anno 1410 post Pascha; 16 Julii 1411 episcopus Tinarum et Micon. renuntiatus. (Cart. IV, 195). « Nuntium divinum » = evangelium.

15. *Guilhelmus de Saminibaco* Tholosanus natione, vir acris ingenii et ingentis litteraturæ plura volumina scripsit et obiit A. D. 1348.

De conventu Caturci. Cum paulo post lecturam Sententiarum Parisiis obierit (MS. Harley 3838, fol. 176a) magisterium numquam adeptus est. Plures auctores confundunt eum cum Gulielmo de Sanvico, (de quo supra P. 211) cui nonnulli perperam quatuor Gulielmi de Saviniaco libros super Sententias adscribunt. (Bibl. Carmel. I, 613.)

16. *Guilelmus Decanus* genere quidem Gallus, inter theologos sui temporis vir magni nominis, placidulus et amœnus notabiliter se gessit.

Forte idem ac Guilhelmus Prevost qui anno 1398 licentiatum adeptus est (Cartul. IV, 37. Cf. infra n. 31.)

17. *Theobaldus Picardus* utique Gallus, vir humanissimus et ad unguem doctus in arena et studio litterario animose digladiabatur, disputator insignis.

Licentiatus fuit a. 1400 (ibid. 43). Jamjam magister renuntiatus 22 Nov. 1408 facultatem accepit absolvendi fideles in certis casibus reservatis (Eubel, l. c. n. 1166). Eo tempore capellanum agebat Roberti ducis Barrensis. Anno 1413 intererat concilio fidei et 1416 subscripsit condemnationi propositionum Johannis Parvi (Cartul. l. c.)

18. *Jacobus de Limanvilla,* ducis Lotharingiæ confessor, vir nobilis inter doctos, et maximis rebus natus. Relucebat enim in homine anxietas quædam et morositas disputationis.

Similiter MS. Harley 3838, 183 b. Nihil aliud de ipso notum est.

19. *Thomas Avicula,* Gallus natione, provincialis provinciæ Franciæ, vir candidissimi pectoris et inter scriptores nobilis, doctissime disceptarat.

Præsentatus per Ordinem et licentiatus 25 Dec. 1413 (Cart. IV. 268); in capitulo Balneolarum 1416 erat definitor et provincialis Franciæ, 1420 provincialis, 1425 definitor et provincialis, 1430 pro-

vincialis, 1434 definitor et provincialis, et cum concilio Basiliensi una cum Vicario Ordinis et aliis duobus magistris adstitisset numerantur decem ducati pro expensis ab ipso factis; in capitulo vero Astensi 1440 etsi jam non definitor aut provincialis denuntietur, inter debita tamen Ordinis computantur 25 floreni prædicti magistri Thomæ Avis pro expensis, ut videtur, in concilio per ipsum factis. (Lezana IV, 856. Bibl. Carmel. II, 802.) Alibi habet nomen Loisel.

20. *Walterus de Lunarivilla*, homo floridus, nitidus atque in scribendo accuratus, concionator delicatissimus, diligentissime quandoque disputarat.

Licentiatum accepit a. 1398 (Cart. IV. 27.)

21. *Gulielmus Pulcher*, vir haud vulgari doctrina elaboratus, emunctus et compositus, in disputationis arenam descendens victor crebriter exiit.

In MS. Bodley 73 fol. 35b notatur ut alumnus provinciæ Franciæ.

22. *Herbenus de Saloner*, professor bonarum artium diligentissimus, non solum disertus verum eloquens, litteraturæ et doctrinæ nitidioris honestamento nobilitatus.

Similiter e provincia Franciæ oriundus. Forte idem ac Robertus Saloner qui obiit a. 1502 (Bibl. Carmel. II, 696).

23. *Guilelmus Cochart*, vir quasi e Jovis gremio natus, prudens, doctus et eloquens, suavissimos theologorum vindemiæ racemos laboriose decerpsit.

Etiam ex eadem provincia.

24. *Guilelmus Escureb* de provincia Provinciæ, vir multis calculis fortunatissimus, supremo fastigio farcinatus, in dies clarior illustriorque emerserat.

Vel Escurenb.

25. *Nicolaus de Castro* provinciæ Franciæ, conventus Monsterulensis in Picardia, vir rei theologicæ consultissimus, semper quasi areopagitam foris egit.

26. *Matthæus de Parisio*, Gallus, Franciæ provincialis, sacras ad populum conciones habuit tanta sui admiratione ut ad eum plenis undique viis eatur.

Matthæus de Parisiis, vir venerabilis, doctor in s. facultate parisiensi, provincialis Franciæ, floruit 1334 atque Parisiis sepultus. Ita in MS. Selden 41 supra.

27. *Guilelmus Cholet*, de provincia Provinciæ, talis apud populum prædicator ut lepore verborum alliceret, sententiarum gravitateque suspenderet animos auditorum.

Licentiatus a. 1411 (Cartul. l. c. 223), assistebat cum aliis concilio fidei Parisiis 1413. In commotione publica 12 Junii 1418 occisus fuit (Auct. II,246)

28. *Guilelmus Bouchier*, vir multijugæ eruditionis et doctrinæ tantus apud plebem divini Verbi præco ut concionis impetu atque viribus flecteret omnes.

Gulielmus Bucherii licentiatum adeptus est mense Dec. 1413 (l. c.) De eo loquitur Charles de Beaurepaire in opere *Notes sur les Juges et les assesseurs du procès de condamnation de Jeanne d'Arc*. Rouen, 1890, P. 112 : « *Un autre carme, Guillaume Le Bouchier, un de ceux qui déclarèrent Jeanne d'Arc relapse, était déjà docteur en théologie et résidait à la maison de Rouen en l'année 1422. Michel le Danois était pour lors prieur et Jean Hardi lecteur* ». Decem vicibus interfuit processui (Cart. IV, 521).

29. *Laurentius Christiani* conventus Brugensis in Flandria, optimas litteras amplexatus, prior et regens obiit Brugis A. D. 1499.

Cum licentiam acceperit a. 1416 (Cart. IV, 268) plane diversus est a Laurentio Christiano seu Christiaco de quo Norbertus a S. Juliana (MS. 16490 fol. 65b) sequentia habet : « Brugensis, s. theol. lector et doctor, prior Brugensis 1492-1499. Mense Majo 1496 in capitulo provinciali Franciæ confirmatus fuit, in quo præclarissimæ disputationes theologicæ et solemnissimæ supplicationes seu processiones ad diversas civitatis (Brugensis) ecclesias habitæ sunt, quibus circiter 280 religiosi ex variis hujus provinciæ

partibus interfuerunt, et quia hoc capitulum maxime notabile fuit, ideo de illo fit mentio in antiquis Flandriæ chronicis. Obiit 8 Julii 1499. »

30. *Henricus de Angelo*, Flander, Brugensis, vir plurimum devotus et sanctus, in concione præclarissimus, numquam non sapit patruos. Hic obiit Parisiis A. D. 1492.

Primus fundator sororum in villa Brugensi; obiit Parisiis 17 Septembris 1492. Hic multos reliquit libros (MS. Selden 41 supra).

31. *Guilelmus Præpositi*, vir disertus et eloquens, multa ex secretariis doctrinarum abdita eruere atque expromere sedulus elaboravit.

Cf. supra sub n. 16.

32. *Thomas Scotus*, virtute pariter et doctrina illustris, merces latias hoc est litterarum suppellectilem qua nihil pretiosius comparavit.

Quamvis notitia ista tum per Baleum tum per recentiores multoties repetita fuerit videtur mihi error subesse. Nullum enim magistrum Parisiensem reperi Thomam nomine, Scotum genere; verum in capitulo Baccareti in provincia Franciæ a. 1526 celebrato commendatur inter defunctos conventus Attrebatensis Magister frater Johannes Scot.

33. *Johannes de Mechlinia*, Brabantinus, provinciæ inferioris Alemaniæ, acerrimus litterarum propugnator, summæ virtuti litterarum eruditionem semper adjunxit.

Notat Norbertus a S. Juliana (MS. 16492, fol. 75b) maximam vigere confusionem auctorum circa prædictum Johannem, quorum quidem sententias refert, quæstionem vero anceps relinquit. Quisquis ergo fuerit pro auctore opusculi *Speculum historiale* habendus videtur (Spec. Carmel. I, 211-219) quod ex magna parte verbatim ex Riboti aliorumque scriptorum operibus desumptum est.

34. *Albertus de Francofordia*, genere Alemanus, vir felici

ingenio, acri judicio, multa facundia disciplinarum, denique omnium scientia prædítus.

Forte Albertus de Rohrbach (de quo supra P. 257) qui quamvis forte Parisiis studuerit tamen Coloniæ magisterium suscepit.

35. *Thomas de Anglia,* anglus genere, tantum in litteris progressum fecerat ut cunctos ferme quicumque litteris ætate sua claruerunt habere meruerit laudatores.

Videtur fuisse Thomas Lombe (ut etiam P. Denifle autumat), alias Lamb, alias Loney. Anno 1362 dum Oxoniæ studiis vacaret disputatio exorta est inter Universitatem et Carmelitas (Cf. Antonium a Wood, Histor. I, 182, Antiqu. I, 478) unde Ludovicus dux Andegavensis supplicavit Urbano V, ut fr. Thomas Loney ad lecturam Sententiarum Parisiis admitteretur « cum timeat Oxonienses » 12 Junii 1366. (Cartul. III, 149). In Angliam reversus unus erat e confessoribus Johannis ducis Lancastriæ. Anno 1369 pro provincia anglica egit definitorem in capitulo Montispessulani. Mortem obiit in conventu Linnensi unde oriundus fuerat, circa annum 1390. (Cf. Lezana, IV, 729. Bibl. Carm. II, 821.)

36. *Gerardus Eychof* de Colonia, natione Alemanus. Hujus et Alberti Rurbach apud Johannem papam XXIII præclari ad universitatem Coloniæ Johannes Grossi concilio in quadam epistola latius præconia multimoda non tacet.

Vide supra P. 257. Norbertus a S. Juliana (MS. 16490 fol. 49 a) eum Belgam, non Germanum vocat. Quamvis Parisiis studuerit tamen Coloniæ magisterium suscepit (MS. Bodley 73, fol. 35b).

37. *Stephanus Canon* (doctor Parisiensis) et Rothomagi Normanniæ theologus præclarus, vir ad honesta et magna natus, Petri Lombardi Sententias exposuit, et obiit A. D. 1502.

Erat Biblicus Septembri 1452, Sententiarius 1454, licentiam accepit anno 1460, obiit 1 Maji 1502 (MS. Harley 3838, fol. 237 a; Cart. IV, 737).

38. *Johannes Golein,* ut fertur, doctor Parisiensis, et Rothomagi in Normannia quondam prior, Karolo Francorum

regi acceptus, floruit A. D. 1364.

Natus circa 1325 in pago Blaqueville in Normannia, 1351 destinatur Biblicus Parisiis pro nono anno, 1354 Biblicus pro tertio, Sententiarius pro quarto, 1357 Sententiarius pro primo, unde colligitur eum Bibliam actu anno 1356-7, sequenti vero Sententias legisse. Magisterium accepit a. 1362; quo anno 23 Novemb. impetravit a Papa plenariam absolutionem in articulo mortis. 19 Maji 1363 erat regens apud Carmelitas. Ad instantiam Karoli V transtulit in gallicum Chronicon Ordinis (Bernardi Olerii, Spec. Carmel. I, 166) incip. Ad informandam reverentiam. Mense Novemb. 1364 interfuit processui contra Dionysium Foullechat et 3 Julii 1365 cuidam litigationi coram Universitate. Erat definitor provinciæ Franciæ in capitulo generali a 1372. 7 Maji 1379 nominatur inter assessores consilii regii, 1 Sept. ejusdem anni Capellanus pontificius; mense Februario 1381-2 supplicat coram Universitate (Auctar. I, 599); assistit inaugurationi præpositi Parisiensis atque electioni rectoris magnifici, 1382-3 nomine Universitatis affert epistolas Clementi VII; 1383 primum locum occupat in conventu Parisiensi; 1389 tamquam decanus præsidet revocationi Fratris Gauffridi de S. Martino Ord. Prædicat., et similiter revocationibus Johannis Thomæ et Johannis Adæ ejusdem Ordinis necnon confessioni publicæ Johannis Nicolai tum in ecclesia Minorum tum apud Carmelitas (1 Sept. 1390); anno 1393 Mag. Joh. Golain « jussu Clementis VII conclusionem Universitatis libere tunc pronuntiatam schisma non posse sopiri nisi ambo cederent papatui, reprobando pluries publice prædicavit Bonifatium IX viribus principum esse expellendum; Universitas contra ipsum irata eum a consiliis publicis exclusit. » Clementi VII petenti ut partem suam foveret Golain respondit (1394) se amodo vel amplius non posse ipsum defendere. (Cart. III, 79, 104, 122, 135, 248, 299, 303, 314, 317, 379, 517, 523, 531, 563, 598; Eubel, l. c. nn. 49, 50, 295.) Tolosæ in conventu Fratrum Minorum intrepide prædicabat ac disputabat contra hæreticos Albigenses (MS. Harley 3838, fol. 182 a) et denique obiit Parisiis, secundum Lezanam anno 1403 (IV, 611; Bibl. Carmel. I, 854.)

39. *Petrus de Nongento* Normannus, Parisiis Sententias le-

git non sine omnium admiratione et suspensis in eum animis A. D. 1404 vir mire candidus.

Petrus de Nogento, presbyter Rothomagensis diœcesis, magister in artibus et baccalaureus in theologia actu legens Sententias anno 1403 (Cart. IV, 98) « Legit super Sententias in Sorbona anno 1404 et fuit magis recommendata inter omnes lecturas illius anni propter stylum » (MS. Harley 1819, fol. 12 b). Anno 1408 post festum S. Remigii accepit licentiam, 1410 interfuit alicui deliberationi, item 1413 concilio fidei, 1414 concilio deputatorum, 1416 subscripsit condemnationi Johannis Parvi (Cart. IV, 161, 180, 272, 276, 321. Bibl. Carmel. II, 592.)

40. *Johannes Beston,* Anglus natione, de conventu Linneæ in Northfolchia, vir præter mores candidissimos et philosophiæ et sacrarum litterarum peritissimus theologiæ compendium edidit.

Plures hujus nominis existebant fratres in Anglia, quorum unus, conventus Northamptonensis, diaconus ordinatus fuit anno 1347. Alius de quo hic agitur tum Cantabrigiæ tum Parisiis studiis operam navabat. Waldensis eum cum Gulielmo Thorpe anno 1423 ad concilium Papiense misit (Cf. epistolas Waldensis infra); obiit Linneæ anno 1428 ubi etiam prior extiterat. Procul dubio idem erat ac Johannes Beston conventus Doncastriæ qui 18 Septembri 1402 capellanus papalis (honoris causa) nominatus fuerat. (Bibl. Carmel. I, 796)

41. *Ricardus Acton,* anglicæ nationis et gravitatis, de conventu Maldonæ in Essexia, divinorum eloquiorum præco quosdam non incultos edidit sermones.

Anno 1438 tamquam vicarius provincialis (seu potius vicarius generalis) provinciam Angliæ canonice visitavit. Obiit anno 1446. (MS. Bodley 73, fol. 78a).

42. *Franciscus Baconis,* patria Catalanus, conventus Gerundæ, tantum disputando Parisius valuit ut doctor sublimis cognominatus sit, sermonum declamator eximius.

A. 1357 ordinatus Biblicus Parisiis pro nono anno, Sententiarius

pro decimo; 1362 ordinatus Sententiarius ibidem pro tertio anno; 1366 procurator generalis, 1369 Magister, definitor et provincialis Catalauniæ. Claruisse dicitur adhuc 1390. (Bibl. Carmel. I, 480.)

43. *Johannes Nobleth*, Gallus natione, conventus Parisiensis, Apollineæ facultatis et theologiæ professor, scripsit in Sententias, in Epistolas canonicas, et Centilogium ænigmatum.

Ante ingressum in Ordinem fuerat medicus, immo in ea facultate doctor (MS Selden 41 supra), quod mihi quidem improbabile videtur. Licentiam in theologia accepit anno 1395 (Cartul. IV, 11; Lez. IV, 861 confundit eum cum Johanne Boyd; Bibl. Carmel. II, 63.)

44. *Ricardus Goldhyrst*, anglicus genere, dictis se doctissimum esse testatur, factis humanissimum. Hic tandem Londoniis diem clausit ultimum A. D. 1432.

E conventu Londinensi, ordinatur subdiaconus anno 1405.

45. *Petrus de Sancta Fide*, Anglus natione, conventus Norvici in Northfolchia, in philosophica ac theologica facultate eminentissimum vivens obtinuit locum.

Anno 1428 in concilio Norvicensi super hæresi Gulielmi Whyte astitit et subscripsit ex parte Carmelitarum una cum Johanne Waldensi provinciali, Gulielmo Thorpe, Johanne Thorpe et Johanne Kenynghale magistris ejusdem Ordinis. (Fasciculi Zizaniorum, Rolls' Series, 417); similiter in processu contra Margaritam Baxter (cf. supra P. 394 ad 2); anno 1446 delegatus erat pro distinctione Norvicensi in convocatione per Eugenium IV ordinata super reformatione provinciæ Angliæ (MS. Harley 1819, fol. 200 b). Obiit Norvici ubi per aliquod tempus priorem egerat 8 Novembris 1452. (Cf. Lez. IV, 880).

46. *Blasius Andernarius*, natione Gallus, doctor, ut fertur, Parisiensis, illibato ingenii sui flore in litteratorum concessu primum gradum multoties optime meruit.

A. 1372 designatus Biblicus Parisiis pro primo anno et Sententiarius pro tertio; doctor 1376. E provincia Aquitaniæ oriundus

dicitur claruisse circa 1390. (Bibl. Carmel. I, 291.) Alibi vocatur Andernaco, Axemarius vel Audemarius.

47. *Johannes Brammart* theutonicus genere, de conventu Aquisgrani, inferioris Alemaniæ provincialis, os habuit mellea suavitate oppletum in suis concionibus.

De ipso disserit P. Norbertus a S. Juliana (MS. biblioth. Bruxell. 16492 fol. 30a) : « patria Aquisgranensis, doctor Parisiensis, prior provincialis electus in capitulo Boppardiensi 1 Augusti 1384 et pluries confirmatus usque ad annum 1404 quo propter senium officio resignavit. Fuit unus ex primis auctoribus novæ academiæ Coloniensis seu universitatis circa annum 1388 institutæ per tredecim doctores Sorbonicos inter quos erat.... Magister Simon de Spira regens studii Coloniensis. Cui universitati anno 1391 conventus Coloniensis cum omnibus suis personis præsentibus et futuris incorporatur in die Conceptionis B. V. M., comparentibus in refectorio fratrum Carmel. hora vesperarum domino Rectore et universitate Coloniensis studii, necnon Johanne de Raude de Mediolano magistro generali dicti Ordinis &c. Instat etiam apud eandem universitatem quatenus de cetero omnes sermones latini ad clerum universitatis faciendi in festivitatibus B. M. V. vel saltem in quatuor ejus festis debeant fieri in eodem conventu dumtaxat, quod eadem universitas concessit et ordinavit, sicque per duo ferme sæcula hujusmodi collationes et sermones habiti sunt in profestis Conceptionis, Nativitatis, Purificationis et Assumptionis B. V. M., ex quibus modo unicus in vigilia Assumptionis adhuc in usu est, per quem sermonem habitum orator supplet unam responsionem theologicam in schola publica pro gradu licentiæ adipiscendo faciendam. Johannes Brammart obiit Coloniæ 8 Septembris 1407. » Baleus (MS. Selden 41 supra) addit : construxit templum in conventu Aquensi ; fuit confessor dominæ Johannæ ducissæ Brabantiæ post Hermannum de Dalen, quæ sepulta est Bruxellæ in conventu nostro A. D. 1406. (Cf. etiam Lez. IV. 763. Bibl. Carmel. I, 800.)

48. *Adam Hemlyngton*, anglicus genere, de conventu Norvici in Northfolchia, magnos fecit in litteris progressus et quosdam sermones ad populum edidit.

E Norvico oriundus Oxoniæ et Parisiis studiis operam navavit; pluries et in pluribus locis priorem agebat, cum quibusdam aliis dominæ Emmæ reclusæ Norvicensi a confessionibus erat (1 Aprilis 1421). Locus et annus obitus ignorantur. (Lez. IV, 793. Bibl. Carmel. I, 1.)

49. *Nicolaus Botlesham*, natione Anglicus, distinctionis Londoniarum, bacchalaureus Oxoniensis et doctor Parisiensis, scripsit compendium Scripturæ pro utilitate studentium. Hic obiit ut fertur Cantabrigiæ A. D. 1435.

E civitate Eliensi oriundus Cantabrigiæ Ordinem ingressus est, ubi demum actu prior existens mortuus est anno 1437 (MS. Selden 41 supra, ubi dicitur e distinctione Londinensi oriundus. Bibl. Carmel. II, 482 ait ipsum doctorem Cantabrigiensem extitisse.)

50. *Michael de Anguanis*, Bononiensis, natione Italus, generalis Ordinis toti ecclesiæ schismatis tempore præfuit, cardinalitium et alios honores humilis renuit.

Vide supra P. 254. Lector Parisiensis designatur per capitula ann. 1354, 1358 et 1362. Anno 1372 magister et definitor Bononiæ, 1375 et 1379 provincialis. Post depositionem Bernardi Olerii constitutus vicarius generalis, in generalem electus fuit anno 1381, at 1386 per Urbanum VI depositus, a. 1396 iterum definitor Bononiæ nominatus fuit. Obiit 16 Novembris 1414 ante majus altare sui conventus Bononiensis honorifice sepultus. « Morte præventus hoc divinum opus Novi dictionarii theologici non perfecit, sed ab A usque ad C inclusive in tribus voll. tantum perduxit » (MS. Harley 3838, fol. 187 a. Bibl. Carmel. II, 433.) Quod autem oblatum sed recusatum cardinalitium attinet, notat idem Baleus (MS. Harley 1819, fol. 87 a) Michaelem de Bononia, Johannem Soreth, Johannem Milverton anglum (haud credibile !), Laurentium Burelli, Pontium Raynaudi, Baptistam Mantuanum, Bernardinum de Senis et Johannem Angelum Coradellum cum plerisque aliis Carmelitis ipsum variis de causis recusasse.

51. *Goswinus Hex*, Brabantinus genere, conventus Vlis-

sinensis in Zelandia, doctor Parisiensis et episcopus Hierapolitanus, prædicator insignis, obiit Trajecti A. D. 1475.

De hoc fuse Norbertus a S. Juliana, MS. 16492, fol. 68b. Natus in loco dicto Loenhout prope Hooghstraet, in conventibus Vlissingæ et Brugis studiis operam dabat; a. 1451 pro sexto anno lector Parisiensis designatus, deinde confessarius et conciliarius Davidis a Burgundia episcopi Ultrajectini factus, 1468 conventum Carmelitarum in hospitali S. Agathæ prope portam S. Catharinæ Ultrajecti fundavit. Mortuo mense Julio 1469 Jodoco Borre suffraganeo Ultrajectino Gosvinus ipsi successit sub titulo episcopi Hierapolitani, præconisatus 22 Maji 1469, consecratus in ecclesia parochiali Hagæ-Comitis mense Septembri. Obiit Trajecti 1 Martii 1475. Baleus dicit quod « vita sanctissimus cum reformatis fratribus pontifex vixit. » (MS. Harley 3838, fol. 211b) diemque obitus indicat 31 Martii. (Bibl. Carmel. I, 567.).

52. *Johannes Barmyngham*, Anglus genere, de conventu Gippisvici in comitatu Sothfolchiæ, super Sententias, Quodlibeta, Quæstiones ordinarias, Determinationes et conciones varias edidit.

Lezana et nonnulli alii distinguunt inter Johannem Barmyngham et Johannem Bermigham, perperam quidem, nam quæ apud Baleum habentur unum eundemque hominem respiciunt. Obiit 27 Januarii 1448-9 actu existens prior conventus Gippesvicensis (Ipswich). Cf. Vincent B. Redstone *The Carmelites of Ipswich*, et B. Zimmerman, *The Whitefriars at Ipswich* in *Suffolk Institute of Archæology and Naturàl History*, X, parte II, P. 194 sqq. (Bibl. Carmel. I, 791.)

53. *Tossanus de Villanova*, Gallus, Molinarum conventus, in omni scientiarum genere peritus episcopus Cavallicensis, quo quidem homine nihil adhuc vidisses comius aut candidius, dixisses musis et gratiis natum, obiit A. D. 1497.

Natus circa annum 1425 destinatus fuit 1443 ad legendum Bibliam et Sententias Parisiis, sed cum licentiatum præter auctoritatem Ordinis susceperit iste gradus per capitulum Avenionense anno 1451 approbatus fuit. Die vero 26 Junii 1456 magisterium

adeptus est. Etiam in musica excelluit. Anno 1462 in capitulo Bruxellensi erat definitor provinciæ Narbonensis, deinde provincialis. Postea factus est confessarius et consiliarius Cardinalis Borbonii archiepiscopi Lugdunensis et legatus pro regno Franciæ ad Paulum II. Episcopus Cavallicensis renuntiatus 9 Februarii 1466 (1467 ?), demum obiit peste extinctus 19 Augusti 1497. Alii dicunt in vigilia Corporis Christi, i. e. 24 Maji. De ipso MS Harley 1819, fol. 12b ; 3838, fol. 222a ; Lezana, IV, 1060. Bibl. Carmel. II, 852. Notandum tamen quod secundum Cart. (IV. 737) inceperit Sententiarius Sept. 1452 et anno 1458 licentiam acceperit.

54. *Guido de Marcia,* primæ classis facile princeps, ingeniorum et litterarum antesignanus ac primipilaris est, vir incomparabilis memoriæ ac infinitæ pene lectionis.

55. *Johannes Soreth,* Normannus genere, conventus Cadomensis, prior generalis totius Ordinis, vir maximæ sanctitatis et meriti, obiit A. D. 1471 miraculis clarus.

Circa 1405 natus, erat Biblicus Parisiis anno 1430, Sententiarius 1432, licentiatum suscepit 20 Decembris 1437, magisterium 26 Maji anni sequentis, incepit legere mense Septembri. (Cartul. IV, 499, 543, 602). Anno 1440 fuit definitor et provincialis Franciæ sicut etiam 1444 et 1447. Anno 1451 unanimiter in « generalem totius Ordinis » electus fuit. Titulus « totius Ordinis » anno 1442 in usum venit quando Congregatio Mantuana regimen peculiare sub vicariis generalibus adepta est. Annis vero 1456, 1462 et 1469 in generalatu confirmatus fuit. Celeberrimus evasit Soreth tum ob reformationem Ordinis cui strenue operam navavit, cum ob institutionem Ordinis Monialium Carmelitarum, tum etiam ob multa alia præclara gesta. Obiit Andegavi 25 Julii 1471 ; fere omnes scriptores moderni asserunt ex veneno sibi ministrato, quod tamen omnino rejiciendum est. Nempe itinere fatigatus et calefactus moris forte immaturis vescens cholera morbo confectus est. Etenim si Walterum de Terra Nova Sorethi biographum excipias, nec unus quidem e tanto numero contemporaneorum, qui eum intime cognoverant de ipsiusque vita et morte scripserunt (e. g. Bostius, Palæonydorus, Baptista Mantuanus, Hasart, Egidius Fabri, Trithemius) de veneno por-

recto vel verbulum dicit, neque, quod adhuc majoris ponderis est, capitulum generale anno 1472 pro electione successoris celebratum, tanti facinoris memoratur, aut inquisitionem instituit aut punitionem reorum decernit. Et si dicas (quod sane nefas esset dicere) capitulum in hoc negligentius egisse, respondeo quod eo casu auctoritas diœcesana vel etiam Summus Pontifex ultricem manum adhibuisset, quibus omnibus deficientibus regia potestas utpote semper occasionem quærens ad sese immiscendum in regularium negotiis præsertim criminalibus nequaquam tale crimen inultum prætermisisset. Sed de omnibus his ne vestigium quidem invenire est, neque Baleus qui viginti locis collectaneorum de Soreth agit vel minimam videtur habuisse violentæ suspicionem mortis, quamvis ipsi opus Walteri perspectum fuerit non minus ac Johannis Knock de Dammis (MS. Harley 3838, fol 220a) Dialogus de transitu Johannis Soreth. Quibus ponderatis ego assertionem Walteri tamquam omni fundamento carentem, injustam et injuriosam rejicio.

De miraculis Johannis Soreth agit Baleus (MS. Bodley 73, fol. 14a), probabiliter Johannem Tay secutus. Cultum vero ab immemorabili Beato Johanni præstitum approbavit Pius IX anno 1865. (Bibl. Carmel. II, 99.)

Juvat etiam meminisse lectoris et jubilarii Oliveri de Rienslede « duorum generalium Ordinis olim socii dilecti, scil. Johannis Faci et Johannis Soreth, » qui obiit (Brugis ?) a. 1469 (MS. Bodley 73, f. 10b.)

56. *Maturi(n)us Clementis* in Francia sub felici sidere natus, decanus Parisiensis et primus fundator Bituricensis in theologica facultate, obiit A. D. 1509.

Anno 1449 fuit Biblicus Parisiis et mense Septembri 1451 incepit Sententiarius (Cart. IV, 616), licentiatus fuit 1456. Instituit conventum in loco S. Amandi 30 Augusti 1484 et fuit primus prior in eodem. « Semel, licet non diu, fuit decanus Universitatis Parisiensis quo tempore magister frater Ludovicus de Lira fuit decanus Universitatis Bituricensis » (MS. Harley 1819, fol. 10 b, 102 b). Obiit Bituricis 10 Julii 1509 ætatis anno 89. (Bibl. Carmel. II, 420).

57. *Menaldus de Rosariis*, natione Vasco, prior provincialis

Vasconiæ, philosophus, orator, theologus et jurista, singularis Verbi Dei nuntius, obiit Burdegalæ A. D. 1508.

Burdegalensis, 1488 pro sequenti anno lector Parisiensis designatus, 1492 definitor Vasconiæ, 26 Septembri 1496 Parisiis suscepit doctoratum, 1503 provincialis Vasconiæ, obiit Burdegalis, 18 Junii 1508 ætatis 49. De ejus vita S. Simonis Stock cf. supra P. 313. (Lez. IV, 1028. Bibl. Carmel. II, 466.)

58. *Laurentius Burellus*, Lienaci in Burgundia natus, Divinionensis Carmelita, Ludovici XII regis confessor et episcopus Cistaricensis, vir heroica corporis proceritate, decorus, comitate singulari, sincerus et absque fuco absque supercilio, non vulgaris sed vere sacerdotem agens, obiit A. D. 1505.

Duo erant hujus nominis Carmelitæ Divinionenses, quorum junior bonæ indolis adolescens obiit 9 Novembris 1479, alter vero probabiliter avunculus prædicti, anno 1472 lector Parisiensis designatus fuit, magnoque cum applausu doctrinam Johannis de Bacone interpretatus est. Anno 1492 erat definitor Vasconiæ, 1495 provincialis ejusdem provinciæ et vicarius generalis pro visitatione Angliæ (Bullar. I, 623); in reditu apud Molinenses coram regina Franciæ per Adventum et Quadragesimam Verbum Dei prædicabat. Ob dissensionem inter Generalem Pontium Raynaudi et Burellum istius electio in supremum Ordinis moderatorem frustrata fuit (Cf. epistolas Bostii infra). Inter scripta Burelli non prætereunda sunt carmina in celebres Ordinis viros quorum plurima extant in MS. Selden 41 supra et alibi. Obiit Blesis in curia regis 8 Junii 1505, cor ejus sepultum est Divione ubi habitum Ordinis susceperat, exta Blesis et ossa Aurelianis apud Carmelitas (MS. Harley 3838, fol 227 a. Lez. IV, 931, 1014. Bibl. Carmel. II, 217).

59. *Johannes Briselotus*, Hannoniensis, de conventu Valencinarum, abbas Altimontensis, et inquisitor hæreticæ pravitatis, confessor Cæsaris Karoli, prædicator regis Franciæ, episcopus Beritensis, archiepiscopus Arborensis et primas Sardiniæ.

De Johanne Briselot cf. *Revue Bénédictine* XXI (1904), 134 sqq. in disquisitione super episcopos auxiliarios Cameracenses opera

D. Ursmari Berlière. Valencenis e pauperibus parentibus natus ad lumen lampadis ante B. Virginis imaginem accensæ litteras didicit. In Carmelitarum cœtum receptus anno 1502 magisterium Parisiis accepit, deinde prior Valencenensis factus mortuo Ægidio Merico (Van der Heyden) Carmelita et episcopo suffraganeo Cameracensi in ejus locum evectus fuit 18 Aprilis 1505. Abbas S. Petri de Altomonte (Hautmont) nominatus auctoritate apostolica relicto Carmelitarum Ordine ad Benedictinos se transtulit. Anno 1517 archiepiscopus Arborensis (d'Oristano) renuntiatus retento quidem titulo, dimidia mensa aliquibusque juribus et privilegiis ultro huic dignitati cessit. Obiit secundum Baleum die 10 Septembris 1519, secundum autem Berlière 11 Septembris 1520 in monasterio Altimontensi. Cor vero prout vivens præceperat Valencenis in suo conventu reconditum fuit in mausoleo honorificentissime ad hoc præparato. Orator facundus Quadragesimalium suorum alterum coram rege Gallorum, alterum coram Karolo Cæsare prædicaverat. (MS. Harley 3838, fol. 239 b) Erasmo infensus ab ipso violenter castigatus fuit. (Bibl. Carmel. I, 801.)

60. *Michael Parini*, Gallus, in Podio natus, provincialis Narbonæ, major pœnitentiarius papæ, vir doctus et sanctæ vitæ, obiit A. D. 1516 in conventu Podii.

Fuit insuper vicarius generalis citramontanus, inquisitor hæreticæ pravitatis in omnem statum potestatem habens, necnon commissarius episcoporum Aniciensis et Podiensis. Obiit Podii 10 Februarii 1516 (MS. Harley 3838, fol. 238 b).

61. *Bernardus de Casa majori*, provincialis Vasconiæ, vir litteratissimus, divini semina Verbi cum lucro conjiciens, obiit Burdegaliæ A. D. 1515, 24 Januarii.

Diversas provincias visitavit nomine Petri Terasse, inter quas Angliam anno 1504 una cum Alexandro de Venetiis (MS. Harley 3838, fol. 238 a).

62. *Arthurus de Attrebato*, Gallus natione, doctor Parisiensis et prior provincialis Franciæ, vir præclari nominis, obiit Rothomagi A. D. 1525.

De Arthusia. Anno 1515 Quadragesimam prædicavit Bruxellis coram archiduce Austriæ et Hispaniæ et coram rege Franciæ.

63. *Johannes Consobrinus,* natione Hispanus, portugalensis, in theologia et in jure canonico peritissimus, post edita opuscula Vlixbonæ veneni potione moritur.

Si revera Parisiis studuerit non ibi sed Oxoniæ post disputationem 2 Julii 1449 habitam ad doctoratus gradum promotus est (Boase, Registr. Oxon.) Scripsit ad instantiam præpositi regalis collegii de Hampton in Anglia opus tripartitum *De contractibus et commutationibus* quod prænotavit *De justitia commutativa.* Anno 1456 provincialis Lusitaniæ renuntiatus « contra inimicos fidei primum in Anglia deinde in Portugalia magnos et efficaces latratus dedit; hæreses et errores quamplurimos disputando, prædicando scribendoque reprobavit et confutavit ». Obiit anno 1475, ab aliquibus titulo Beati decoratus. De ipso Lezana IV, 922, 937; Bibl. Carmel. I, 827.

64. *Johannes de Vernone,* Gallus, conventus Parisiensis, Carmeli rosa dictus, in doctrina et moribus famatissimus, obiit Parisiis A. D. 1461.

Juxta Cartul. in quo tamen numquam ut regularis designatur, incepit anno 1408, Sententiarius 1410, licentiatus verisimiliter 1415; anno 1416 subscripsit condemnationi Johannis Parvi; Regens fuit annis 1421, 1422, 1427, 1431 et 1434. Annis 1425, 1430 et 1434 vocatur Magister vacans conventus Parisiensis, annis vero 1447 et 1451 prior ejusdem conventus, 1456 definitor Franciæ (Lezana, IV, 900). 1430 adstitit revocationi Johannis Sarrasin Ord. Prædicat., quo anno etiam subscripsit decreto de non concedenda dispensatione super tempus licentiæ, ac demum anno 1445 nomen dedit epistolæ contra festum fatuorum (Cart. IV, 321, 406, 468, 494 498, 530, 563 et 656). « Dum Parisiis sacræ facultatis magister esset exquisitis lectionibus et novo quodam concionis genere emicuit, ac velut alter electionis apostolus mundo oblatus magnam ingenii vim et dicendi robur de se ostendit, Carmelique rosa a simplicibus vocari cœpit ». Bibliothecam Parisiensem notabiliter auxit. Obiit 11 Februarii 1461. (MS. Harley 3838, fol. 209a; Bibl. Carmel. II. 138.)

65. *Hubertus Leonardi*, germanus natione, conventus Leodiensis, inquisitor fidei, et episcopus Dariensis, Nivellenses hæreticos strenue vicit, varia scribens opuscula in eosdem.

Episcopus Dariensis, suffraganeus episcopi Leodiensis, inquisitor fidei, Ludovico de Borbonio episc. Leodiensi a confessionibus. « Hic cum esset inquisitor hæreticæ pravitatis contra quosdam hæreticos Nivellenses per diœcesim Leodiensem gladio S. Spiritus eos confutavit et vicit scribens opus celeberrimum *Contra hæreticos Nivellenses*, 28 propositiones principales continens, in quo totidem articulos eorum erroneos fortiter ac diserte oppugnans reprobavit (MS. Harley 3838, fol 217b). » Anno 1486 consecravit ecclesiam Carmelitarum apud S. Amandum (MS. Harley 1819, fol. 11b. Bibl. Carmel. quæ Humbertum vocat I, 666.)

66. *Johannes de Arundine*, theutonicus natione, conventus Brugensis in Flandria, episcopus Usbitensis, vir doctissimus, obiit in Trajecto A. D. 1497.

« Dimisso Brugensi cœnobio ob reformationem Mechliniam petiit » (MS. Harley 3838, fol. 221b ; conventus Mechliniensis reformatus fuit anno 1454). Fuerat etiam socius Johannis Soreth in visitatione canonica conventuum Siciliæ. (Lezana, IV, 993. Bibl. Carmel. I, 738 et II, 931) Præter opera ibi citata habentur duo opera MSS. hujus episcopi in bibliotheca civitatis Brugensis. Obiit Trajecti 19 Julii 1497.

67. *Bertrandus Stephani*, natione Brito, provinciæ Turonensis, vir doctissimus, scripsit hymnos de S. Joachim, et librum de Conceptu virginali, et floruit A. D. 1489.

Strenue egit pro institutione festi S. Joachim in capitulo Nemausensi. Cf. epistolas Bostii infra. (Bibl. Carmel. I, 290.)

68. *Johannes Marcatoris*, Gallus natione, provinciæ Turonensis, de conventu Rupellæ, inter cetera in Sententias Petri præclarum opus edidit quod legit Parisius A. D. 1484.

Bibl. Carmel. II, 56 addens eum una cum Bertrando Stephani edidisse commentaria Baconis.

69. *Egidius Maynet*, Gallus, conventus Meldunensis,

prædicator famosus et vitiorum acerrimus impugnator, qui obiit Parisiis A. D. 1524.

Obiit 9 Augusti 1524. Baleus (MS. Harley 3 1819, fol. 4a) scribit Egidius Manimet.

70. *Robertus de Vallibus*, Picardus, conventus Monsterulensis, doctor et prior Parisiensis, pro immaculata Virginis conceptione se murum opposuit et obiit Parisius 1502.

Baleus in MS. Selden 41 supra eum Hannonensem fuisse dicit. Obiit 17 Januarii 1502.

71. *Johannes Chaserandi*, Burgundus natione, Divionensis monasterii, provinciæ Narbonæ, vir plurimæ eruditionis floruit Lugduni A. D. 1498.

72. *Claudius Jaqueti*, patria Burgundus, conventus Cabilonensis, vir haud vulgaris eruditionis, rexit per Burgundiæ partes, qui scripsit in Quartum Sententiarum, et obiit Cabiloniæ.

« Totius Burgundiæ splendor et magister » (MS. Selden 41 supra).

73. *Petrus Garnengi*, Brito natione, conventus S. Pauli, haud dubie doctor Parisiensis et provincialis Turoniæ, obiit A. D. 1471.

Bibl. Carmel. II, 572.

74. *Petrus de Laleu*, Gallus natione, conventus Parisiensis, et prior provincialis Franciæ, vir singularis prudentiæ et doctrinæ, obiit Parisiis A. D. 1478.

Biblicus Parisiis 1428, Sententiarius 1430, Cursor in theologia Oct. 1430 usque Sept 1431. Licentiatus 1 April. 1434, magister 14 Junii ejusdem anni ; 1 Dec. 1451 facultatem obtinuit absolvendi a casibus episcopalibus. (Cart. IV, 478, 499, 559 et 708). Bull. I, 293 compescitur ne præsumat se gerere pro vicario generali.

75. *Johannes Barath*, patria Hannonensis, conventus Valencenarum, doctor, ut fertur, Parisiensis, scripsit in Paulum

ad Hebræos, in Apocalypsim, et in Sententias, floruit A. D. 1426.

Erat Biblicus Parisiis anno 1422, Sententiarius 1423, Licentiatus 1428, magister 9 Dec. ejusdem anni et tandem Regens anno 1429 (Cartul. IV, 406, 419, 470, 486). Interfuit concilio Basiliensi ubi « sui ingenii apparuit fœcunditas, doctrinæ soliditas, atque in omnibus dexteritas, mira prudentia atque eruditio » (Lezana, IV, 806. MS. Bruxell. 16492, fol. 41b. Bibl. Carmel. I, 789.)

76. *Johannes de Condeto*, de eodem conventu Valencenarum, theologus et orator insignis, scripsit in Sententias, in Canonicam Johannis, sermones de tempore et de Sanctis. Floruit A. D. 1381.

In capitulo 1375 destinatur Biblicus Tolosæ pro secundo, et Sententiarius ibidem pro quarto anno, in capitulo vero 1379 nominatur Biblicus Parisiis pro primo, et Sententiarius pro tertio anno. (Lezana, IV, 702. Bibl. Carmel. I, 827. MS. Bruxellens. 16492, fol. 19.) In processu contra cancellarium Universitatis anno 1385, testatus est se ipsi 15 francos et latori signeti 3 francos dedisse. (Cart. III, 356).

77. *Jacobus Hanault*, Gallus natione, prior provincialis Franciæ, vir ingenio subtilis et sermone scholasticus, philosophus et theologus, obiit circa annum D. 1524.

« Provincialis Franciæ rexit septem annis, obiit Monstreoli ut fertur, 1524. Huic in officio successit præfatus Arthurus (supra, n. 62) Ypris electus 1516 » (MS. Selden 41 supra.)

78. *Johannes Lamberti* Burelli, natione Burgundus, conventus Lugdunensis, scripsit super Sententias, super Exodum, supra quosdam Psalmos psalterii Davidici, et sermones varios per annum.

« Provincialis Franciæ. Lectiones habuit in multis academiis ; claruit Lugduni in maximo pretio senex venerabilis, civibus quotidie prædicans » (MS. Harley 3838, fol. 243 b. Bibl. Carmel. II, 23.)

79. *Johannes Hottus*, natione Gallus, conventus, ut fertur,

Rothomagensis, vir singulari præditus prudentia et animi magnitudine, obiit Rothomagi A. D. 1526.

Bibl. Carmel. II, 9. asserit eum 1521 doctoratus dignitatem accepisse et 1529 obiisse.

80. *Johannes Rochus*, Gallus natione, prior conventus Meldunensis, vir virtutum laude cumulatissimus, multos ad politioris litteraturæ studium semper provocavit.

« Johannes Rochus, doctor Parisiensis, prior Meldunensis, congregationis Albiensis quondam vicarius, Sacramentalia Waldensis Stephano Poucherio Senorum archipræsuli, suo Mæcenati dicavit » (MS. Selden 41 supra. Bibl. Carmel. II, 84.)

81. *Gulielmus Gregorii*, Scotus natione, vicarius super totam Congregationem Albiensem, et prior conventus Tolosani, vir devotus et doctus, varia scripsit opuscula.

Gulielmus Mac Gregor. De ipso Baleus pluries tractat : (Harley 1819, fol. 117 b :) « Natione Scotus, conventus Albiensis in Gallia, scholasticus reginæ Franciæ Mariæ in collegio Montis Acuti, et confessor domini regis Francorum Francisci, prior quondam Meldunensis, Albiensis et Tolosanus, variis temporibus vicarius generalis totius Congregationis Albiensis de observantia, doctor quoque Parisiensis, in omni scibili peritissimus, scripsit inter cetera &c. » (Ibidem fol. 123 b :) « Accepit habitum 10 Augusti 1499, et anno revoluto professus et eodem anno (i. e. 1499-1500) celebravit primitias in festo Annuntiationis B. Mariæ, et A. D. 1516 doctoratus gradum Parisius 18 Decembri. » Similiter MS. Harley 3838, fol. 246 a, ubi sequentia adduntur : « Valde eruditus, ingenio subtilis et sermone scholasticus, disputator acutus et concionator egregius, vita et conversatione præclarus, humilis et benignus, mediocrisque staturæ. Sermones ejus sunt a festo Paschæ usque ad Christi Adventum solum. Claruit Tolosæ senex venerabilis anno 1528. » (Bibl. Carmel. I, 599.)

82. *Laurentius Crucifixi*, Gallus natione, conventus Rothomagensis prior, quo quidem homine nihil adhuc vidi comius atque candidius, diceres musis et gratiis natum.

Provincialis Narbonæ, vir integerrimus, corporisque specie de-

corus, vicarius generalis totius Franciæ, scripsit contra Fabrum de tertio partu animæ. Claruit 1530. (MSS. Harley 3838, fol. 247a; Selden 41 supra. Bibl. Carmel. II, 222).

83. *Desiderius Desiderii*, Gallus genere, de conventu Melduni, prior Albiensis, vir corpore quidem formosus, et decens, singulariter doctus et sacerdotem agens.

84. *Marcus Probus*, patria Hannonensis, conventus Valencenarum, ut fertur prior Parisiensis, doctrinæ Christianæ domicilium, pietatis et humilitatis exemplar.

Explicit.

Supplementum

Abbatia, Johannes de.

Septembri 1421 Sententiarius, licentiam suscepit 13 Martii 1426, magisterium 17 Sept. 1427 (Cart. IV, 399, 447).

Adeline, Gulielmus.

Circa annum 1421 professus, Avenione sub Johanne Faci cursus fecit et licentiam accepit, magisterium vero in Curia Romana. Relicto Carmelitarum Ordine propter æmulorum invidiam primum ad Carthusianum denique ad Benedictinum transiit (16 Febr. 1441). Illustris cujusdam fœminæ amoribus detentus arti magicæ se dedit et tandem ut magus et hæreticus ad perpetuos carceres condemnatus 25 Decemb. 1453 inopinate mortuus est. (Cart. IV, 616.)

Alain, Henricus.

Licentiam accepit 29 Jan. 1448, magisterium 9 Junii 1450 (Cart. IV, 677).

Alberti, Philippus.

De Nussia, prior Francofurtensis 1496-1506. Studuit Parisiis et Coloniæ, scripsit contra Wigandum de Immaculata Conceptione, obiit senex anno 1507 inter manus suorum fratrum dum ad capitulum provinciale Coloniam pergeret. (Koch, l. c. 41 ; MS. Harley 3838, fol. 234a. Bibl. Carmel. II, 623.)

Alchoniensis, Gulielmus.

Doctor a. 1306. (Bibl. Carmel. I, 586.)

Alemanus, Radulphus.

« Lector theologiæ Parisiis, obiit 1277 ; perierunt quæ scripsit » ait MS. Harley 3838, fol. 162a, at omnino improbabile est Radulphum octavum priorem generalem lectorem Parisiensem fuisse. Vide supra P. 374. (Bibl. Carmel. II, 864.)

Alexander, Petrus.

Magister Sorbonicus, claruit 1554, conventus Atrebatensis. Inter ea quæ exaravit notandi sunt libri: *Apologium adversus Lovanienses* et *Ad dispersos ecclesiæ Londinensis.* (MS. Bolland. 29, fol. 507. Bibl. Carmel. I, 542.) Notat Norbertus (MS. 16491 fol. 4b) ipsum a fide apostatasse degradatum et ex Ordine pulsum fuisse 2 Jan. 1545.

Anglicus, Johannes.

Vide supra P. 380, sub voce Baconthorpe (nota).

Anglicus, Simon.

Vide infra sub voce Wickingham.

Anguel, Gulielmus.

Biblicus Sept. 1451, licentiatus anno 1458 (Cart. IV, 707.)

Arluno, Nicolaus de.

Dicitur fuisse doctor Parisiensis. Obiit a. 1392. (Bibl. Carmel. II, 513.) Idemne qui a. 1342 Treviris priorem egit? (Koch l. c. 47.)

Arnoldi, Adrianus.

Doctor a. 1515, obiit a. 1536. (Bibl. Carmel. I, 1.)

Arwyler, Jacobus.

Conventus Coloniensis, circa 1315 professus, anno 1320 studuit in Monte Pessulano, a 1323 usque 1326 Parisiis pro gradibus academicis, deinde lector Coloniæ et Bruxellis, prior Coloniæ (1334-1336) et 1347 Crucenaci (Kreuznach), 1352 constitutus episcopus Croacensis et suffraganeus episc. Ultrajactensis. Obiit Melchliniæ 12 Aprilis 1370 (MS. Bruxell. 16492, fol. 22 a; Bibl. Carmel. II, 926. Berlière, *Revue Bénédictine*, 1903 p. 263.)

Avole, Stephanus.

Biblicus Sept. 1423, Sententiarius Sept. 1424. Licentiatus 27 Jan. 1429 (Cart. IV, 420, 436, 479. Bibl. Carmel. II, 767.)

Beidlburg, Petrus de.

Provinciæ Alemanniæ inferioris, ad studium Parisiense de-

stinatus anno 1361, deinde 1368 prior Spirensis. Diversus sane a Petro de Beydburg qui anno 1348-1352 Treviris priorem agebat. (Koch, l. c.) Obiit Moguntiæ a. 1389, uter vero fuerit ego nescio (Koch, l. c.)

Bellaquercu, Radulphus Caroni de.

Atrebatensis. Cf. supplicationem (Cart. II, 569) dat. 19 Maji 1349.

Bellocis, Albinus.

Licentiatus 1411 (Cart. IV, 223).

Berengarius, Tobias.

Obiit a. 1290 (Bibl. Carmel. I, 266). Fertur fuisse provincialis Siciliæ et prior Drepanensis, et S. Albertum in Ordinem suscepisse.

Bloemart, Michael.

Norbertus a S. Juliana (MS. Bruxell. 16490, fol. 75a.) eum doctorem Sorbonicum designat, at MS. 16492, fol. 77a ait cujus Universitatis fuerit non proditum esse. De celebri hoc viro cf. Bibliothecam Carmel. II. 447. Erat prior Brugensis ab a. 1447-1451, et 1454 usque ad a. 1456 quo obiit.

Boisson, Antonius.

Biblicus Septembri 1436, Sententiarius Sept. 1438 (Cart. IV, 592, 606).

Bononia, Mathæus de.

Doctor inter 1379 et 1385. (Bibl. Carm. II, 394. Supra P. 255).

Bosco, Bartholomæus de.

Lugdunensis, studuit Parisiis, doctor Tolosanus, de conventu et congregatione Albiensi, episcop. in Hispania floret a. 1535 (MS. Selden 41 supra)

Brugis, Jacobus de.

MS Bruxell. 16492, fol. 9a sic ait : « cognomento Masius, natione Flander, natus Brugis et in Carmelitarum conventu patrio professus, doctor theologus Parisiensis circa annum

1314, vel ut habet catalogus manuscr. doctorum Carmelitarum Parisiensium a 1278 ad 1654, anno 1310 renuntiatus; vir ingenio subtilis et non doctrina minus quam pietate celebris, philosophus excellens, Godefridi Cornubiensis Carmelitæ doctoris Parisiensis discipulus ut testatur Baconthorpe. » Utinam catalogus laudatus ad me usque pervenisset ! (Cf. etiam Lez. IV, 497. Bibl. Carmel. I, 679.)

Brunesteen, Jacobus.

Brugensis, s. theol. doctor Sorbonicus. Ita MS. Bruxell. 16490, fol. 57a.

Bryas, Johannes.

Baccalaureus Parisiensis in s. pagina, prior in conventu S. Amandi, multa bona fecit in conventu (MS. Harley 1819, fol. 11a).

Buhot, Johannes.

Licentiatus 7 Febr. 1446, magisterium suscepit 12 Junii 1447 (Cart. IV, 665). Provincialis Franciæ obiit Monstreolis 1464 (MS. Harley 1819, fol. 2b).

Calcus, Jacobus.

Baleus sequentia de ipso tradit : « De Papia oriundus, ante religionis ingressum Johannes Baptista vocatus, quondam prior Romæ apud S. Martinum in Montibus, doctor Parisiensis. Post probatum regis Angliæ a priori uxore divortium regio stipendio per Angliæ gymnasia theologiam gloriose docuit et multos auditores probe erudivit. Scripsit ad illustrissimum regem :

De secundo ejus matrimonio, lib. I. Henrico octavo Angliæ.

Contra primatum Romani Pontificis, lib. I. Rationi plane consentaneum.

De Purgatorii loco incerto, lib. I.

Claruit apud Anglorum regem Henricum VIII plurimum æstimatus, ita ut si modicum plus supervixisset episcopus

Salisburiensis illius decreto fuisset ordinatus. Peste demum extinctus est Londini 19 Augusti 1533, apud Carmelitas illic sepultus. » (MS. Harley 3838, fol. 247b; similiter Selden 41 supra). Longe aliter sensit capitulum generale anni 1532. Quoniam contra voluntatem Generalis divortium regium coram Universitate Parisiensi defendisset, unde maximum scandalum Ordini exortum est, Generalis Calcum carceri mancipandum Rothomagum misit; at ille opitulantibus rege Franciæ et oratore Britanniæ Angliam versus effugit, unde per capitulum apostata, rebellis, privatus honoribus, gradibus, officiis, voce et loco atque excommunicatus judicatur, in carcerem detrudendus usque ad proximum capitulum generale. Si apprehendi nequeat infra sex menses procurator generalis ipsum coram Summo Pontifice citandum curet. Attamen ante sententiæ executionem obiit Londini. (Cf. etiam Bibl. Carmel. I, 679.)

Calveti, Bernardus.

Licentiatus 1381, anno 1385 ut magister in theologia testimonium reddidit in processu contra cancellarium Universitatis (Cart. III, 357).

Carpenter, Bartholomæus.

Belga, doctor Parisiensis, ab anno 1286 usque 1289 prior Valencenensis conventus, ubi mortem obiit 1293 in odore sanctitatis. (MS. Bruxell. 16492 fol. 3b).

Carthenius, Johannes.

Valencenensis, s. theol. doctor Parisiensis (MS. Bruxell. 16490, fol. 59a; Bibl. Carmel. I. 808.)

Castelain, Toussanus.

Sententiarius Sept. 1450 (Cart. IV, 692).

Chalimonte, Gerardus de.

Sentent. Septembr. 1425; licentiatus 25 Jan. 1432 (Cart. IV, 444, ubi in nota addit MS. potius habere « Thamonte », at P. 537 melius legit Girardus de Chalimonte).

Chalucheti, Hemericus.

Biblicus Sept. 1424; Sententiarius Sept. 1426 (Cart. IV, 436, 456 ubi legit *Henricus.*)

Chaussardy, Gulielmus.

Licentiatus 1403 (Cart. IV, 128. Bibl. Carmel. I, 596.)

Chimineto, Johannes de.

Sententiarius a. 1336. Baleus (MS. Harley 3838, fol. 178b) notat eum lectorem Parisiensem, priorem et doctorem Metensem fuisse. (Bibl. Carmel. I, 813. Lez. IV, 563.) Opus manuscriptum habetur Bruxellis. Cf. Van den Gheyn, III, 262. Excerpta ex opere *Speculum Institutionis* habentur in Spec. Carm. I, 206; totum opus vero in antiquo Speculo fol. 50.

Coch, Nicolaus.

Aniciensis, obiit a. 1451 fere centenarius (Bibl. Carm. II, 485.) Licentiatus 2 Maji 1400 (Cart. IV, 43. ubi Le Coq scribitur).

Coffin, Johannes.

Conventus Monstreolensis, Parisiis a. 1481 magisterium suscepit. (MS. Harley 1819, fol. 10b).

Cognati, Seguinus.

Anno 1416 tamquam baccalaureus formatus subscripsit condemnationi propositionum Johannis Parvi (Cart. IV, 322). Denifle ipsum identicum credit cum Petro Seguin, qui cum pluribus aliis mense Martio et Aprili 1429 per fere tres hebdomadas spiritum Johannæ d'Arc examinarunt et tandem probarunt (ib. 514 cum n. 4, ubi etiam Seguin Cousin audit).

Coradellus, Johannes Angelus.

« Brixiensis, doctor Parisiensis, totius Italiæ quantum ad disputationes et prædicationes splendor et decus, vicarius congregationis Mantuanæ (1515-1517, 1521-1523, 1527-1529), scripsit *Speculum totius veritatis Logices*, inc. Dia-

lectica est ars artium, et est impressum; plurima quoque scripsit in philosophia et in theologia, et est vir locupletissimus in scientia et in sermone, orator quoque summus». (MS. Harley 1819, fol. 87a). Circa cardinalitium oblatum et recusatum vide supra sub voce *Michael de Anguanis*, P. 408.

Cornubiensis, Godefridus.

Secundum Baleum conventus Suttonensis, Ordinem in provecta ætate ingressus est, postquam multum Oxoniæ laboraverat. Cf. quæ supra habentur sub voce *Brugis, Jacobus de.* (Lez, IV, 522. Bibl. Carmel. I, 564.)

Corsini, S. Andreas.

Notat Lezana (IV, 546) et cum eo Breviarium Romanum ex Laurentio Surio S. Andream Parisiis studiis vacasse ac laurea insignitum fuisse. Attamen cum neque liber Ordinis, neque Cartularium Parisiense, neque Trissa rem confirment videtur haud certa.

Courtoys, Mathæus.

Conventus Bituricensis, ibidemque doctor theologiæ, provincialis Franciæ, obiit Parisiis 31 Maji 1509 (MS. Harley 1819, fol. 10 a et alibi). Secundum Bibl. Carmel. II, 420 erat doctor (potius baccalaureus?) Parisiensis.

Craen (de Grue), *Godescalcus de.*

Incertum utrum Bruxellensis an Coloniensis, s. theol. doctor Parisiensis, provincialis Alemanniæ inferioris 1363-1369, obiit Coloniæ 16 Julii 1373. (MS. Bruxell. 16492, fol. 20 b. Bibl. Carmel. I, 566.)

Crine, Ægidius cum.

Biblicus Sept. 1434; baccalaureus formatus 1 Martii 1436, Sententiar. Sept. ejusdem anni (Cart. IV, 562, 592.).

Croso, Petrus de.

Scripsit in origine lecturæ suæ Parisius super Cantica Canticorum. Ita Baleus MS. Harley 1819, fol. 101 b.

Cruce, Johannes de.

Doctor Parisiensis, de conventu Monstreolensis, provincialis Turoniæ. (MS. Selden 41 supra.)

Cruone, Johannes de.

Gregor. XI injunxit 18 Febr. 1373 cancellario Univ. Paris. ut Johanni de C. baccalaureo s. theol. pro quo Raimundus episc. Prænestinus (Cardin. Contelori) supplicavit, quamprimum alium baccalaureum in eadem facultate ad magisterii honorem promovebit, docendi licentiam largiatur; verisimiliter post licentiatum Johannis Philippi (1374-1375) et ipse licentiatus fuit. (Cart. III, 211.) Anno 1375 testimonium reddidit circa versionem libri Marsilii de Padua et Johannis de Janduno (Ibid. 225.)

Danielis, Gulielmus.

Biblicus Sept. 1437; 9 Januar. 1443 interfuit revocationi Nicolai Quadrigarii; licentiatus 20 Januar. 1444, magisterium suscepit 18 Januar. 1446 (Cart. IV, 599, 632 ,636.).

Dassonville, Jacobus de.

Gandensis, doctor Parisiensis, ubi etiam prior, confessor Adriani VI et major pœnitentiarius, obiit Romæ 1523 (MS. Selden 41 supra; Harley 1819, fol. 11a; Harley 3838, fol. 249 a).

David, Johannes.

Anno 1416 subscripsit condemnationi propositionum Johannis Parvi; licentiatus fuit 6 Martii 1422 (Cart. IV, 322, 402).

De Summa Villa, Jacobus.

Floruit 1502. (Bibl. Carmel. I, 698).

Diophylax, Johannes.

Alias Demophylax. Gandensis, lector s. paginæ Parisiis, in litt. humanioribus nulli suæ ætatis secundus, ad Neocastrensis studii moderamen per Lugdunenses cives publico conductus salario. Obiit Lugduni 18 Junii 1527 ætatis

23 anno. Toto ægritudinis tempore S. Agatham secutus non permisit corporalem medicinam adhiberi corpori. (Baleus, MS. Harley 3838, fol. 245 a. Bibl. Carmel. I, 834. Spec. Carmel. II, 1108 n. 3927.)

Ducis, Laurentius.

Mechlinensis, lector Parisiensis, prior Antwerpiensis a. 1524, episc. Hebronensis et suffraganeus Trajectensis. Claruit 1530. (MS. Harley 3838, fol. 249 a).

Dulcisviri, Johannes.

Biblicus Sept. 1425, Sententiar. Sept. 1427. Prior Brugensis 1422-26; 1429-35; vicar. gen. Flandriæ et Picardiæ (Cart. IV, 444, 467; MS. 16492. fol. 37b); diversus est a Gulielmo Dulcisviri seu Scœtemans, ex Gaesbeka, prof. ibidem 1427, s. theol. lect., priore Mechlin. 1438-1439 et iterum 1442-1445, deinde terminario Zuytbevelandiæ in Zelandia, qui obiit Mechliniæ post annum 1454. MS. Bruxell. 16490 fol. 53 b).

Fortis, Gerardus.

Executor magistri Rogeri de Edenburg defuncti ad solutionem illius monetæ compellitur quam prædictus magister utpote receptor Nationis Anglicæ tenuerat. (Cart. Auctar. II, 430 sqq. Anno 1430).

Foucherii, Johannes.

Licentiatus 29 Jan. 1448. Magister 2 Octobr. 1448 (Cart. IV, 677).

Gajoti, Johannes.

Molinensis, licentiatus Parisiensis, scripsit ætatis suæ anno 42 (1476) Summam de virtutibus. Obiit Molini senex. (MS. Harley 1819, fol. 71 b).

Gluel, Johannes.

Duo erant istius nominis viri contemporanei. Anno 1361 Johannes Gluel ad studium Parisiense destinatur ibique videtur lector fuisse. Utrum vero junior an senior fuerit non satis liquet. Baleus (MS. Bodley 73 a) affirmat Johannem

Gluel seniorem fuisse lectorem Parisiensem, necnon priorem Coloniensem et Argentinensem. Verum series priorum provinciæ Alemanniæ inferioris sic habet: Prior Spirensis Joh. Gluel 1366-1368; Argentoraci Joh. Gluel 1373-1375; Coloniæ post festum S. Michaelis 1375 Joh. de Gluel (usque 1391 ?); Treviris Johannes de Gluel senior 1391 (usque 1416 ?). Ex alia parte notat Koch obitum Johannis Gluel ad annum 1399, addendo inter parentheses 1412. Denique Baleus asserit Johannem Gluel ex Aquisgrana oriundum doctorem Parisiensem et priorem Coloniensem, Coloniæ plus quam quinquaginta annis professum defunctum esse. Hinc est quod sapientioribus accuratiorem distinctionem relinquo. (Cf. etiam MS. Harley 3838, fol. 193 b; MS. Bruxell. 16492, fol. 27 b. Koch, l. c. passim. Bibl. Carmel. I, 853.)

Gonevyle, Gulielmus.

Conventus Monstreolensis, doctor Parisiensis, episc. Damascenus, claruit 1530, homo celeberrimæ opinionis et elegantis formæ (MS. Harley 3838, fol. 248b).

Gravellus, Johannes Baptista.

« Si fides manebit penes Johannem-Mariam Pensa erat doctor Parisiensis, tametsi de eo nihil intersit catalogo MS. », ita Bibl. Carmel. I, 770. Errat tamen Pensa, nam Gravellus ex æde Mantuana oriundus erat doctor Bononiensis, prior Mantuanus, vicarius Congreg. Mant. annis 1523-25, 1539-41, 1555-57; « theologus, rhetor, poeta ». (MS. Selden 41 supra, et alibi.)

Grasseo, Jacobus de.

Clemens VII mandat cancellario Parisiensi ut J. de G. priorem provincialem provinciæ Siciliæ, qui per decem annos in diversis studiis generalibus in facultate theologiæ laboriose studuit, in studio Parisiensi scholis prædicti Ordinis ad legendum librum Sentent. admittat. Avin. 13 Junii 1389. (Eubel, l. c. n. 570.)

Groote, Gulielmus de.

Brugensis, baccalaureus Sorbonicus, prior Brugensis ab 11 Augusti 1525 usque 1535 ubi etiam obiit. Vir mansuetus et doctus. (MS. Bruxell. 16490, fol. 52b).

Grossi, Johannes.

Forte nepos Johannis Grossi generalis, cui Benedictus XIII committit ut Johanni Grossi ejusdem Ord. et conventus de Lunello diœces. Magalon. qui per duodecim annos Bibliam et librum Sentent. Parisiis legit et omnes alios suos cursus juxta ordinationes Universitatis studii Paris. complevit, si eum &c. magisterii honorem et docendi licentiam largiatur. Dat. Carpentorati 17 Junii 1403 (Eubel, l. c. n. 882).

Guilboti, Gulielmus.

Bened. XIII committit Johanni Grossi Generali ut ei qui in duobus capitulis generalibus ad legendum libros Sentent. Parisiis et Tolosæ assignatus fuit ac in scholis domus sui Ord. de Montepessulano eosdem libros legit, si eum &c., magisterii honorem et docendi licentiam largiatur. Dat. Savonæ 27 Nov. 1407 (Eubel, l. c. n. 1132).

Gontulis, Philippus de.

Magister theol. nationis Lumbardiæ, circa quadraginta annos natus, regens in theol. (licentiatus 1383) testimonium reddidit contra cancellarium statuens morem sui Ordinis dandi cancellario 15 francos, capellano 2 et coquo 1 pro signeto (Anno 1385; Cart. III, 359, 379, 415).

Hannibal.

Nationis Romanæ, s. theol. professor, s. Scripturæ interpres Parisiis, disputator. Claruit 1270. « Doctor valde antiquus, scripsit in Sententias ». (MS. Harley 1819, fol. 7a; Harley 3838, fol. 161a).

De præfato Hannibali dicitur:

Hic Carmelita floridus venustam consumpsit ætatem,
Sacrisque (suis) moribus hiemem atque æstatem,
Litteris animum dedit, Hannibal vocatus
In fine dierum sedit et cum angelis beatus.

Bibl. Carm. I, 616 loquitur de Hannibaldo quodam qui circa 1450 Parisiis floruisse dicitur. Utrinque incertum.

Hawle, Gulielmus.

De isto loquitur Waldensis (edit. Venet. 1571, I, 390.). Forte idem est ac Gulielmus Hawle, Londinensis, qui 20 Dec. 1376 per episc. Wintoniensem subdiaconus ordinatus fuerat.

Hildesheim, Johannes de.

Saxo. Anno 1318 destinatus Biblicus Parisiis pro secundo anno (Lez. IV, 671), prior Casselensis 1361, definitor provincialis 1362. S. Petri Thomæ quondam minister et in Avinione auditor. (MS. Selden 41 supra. Bibl. Carmel. II, 4. MS. habetur in Bibl. Bruxellensi. Cf. Van den Gheyn III, 362). *Defensorium* Hildesheimii extat in Spec. Carm. I, 145 sqq.

Hinchius, Honorius.

« S. theol. doctor Sorbonicus, prior Valencenensis ab a. 1289 ad a. 1298, beatus interdum vocatus quia cum mirabili vitæ austeritate et sanctitatis opinione obiit anno 1298 » (MS. Bruxell. 16492, fol. 4a).

Hodenc, Petrus de.

Præsentatus Carmelitarum 3 Martii 1424 licentiam suscepit, magisterium vero 21 Nov. ejusdem anni; 1425 erat regens; decies interfuit processui contra Johannam d'Arc, etiam Rothomagi 12 Aprilis 1431 cum apparitiones et revelationes ejus vel fictiones vel diabolicæ illusiones judicatæ fuerunt ipsaque de hæresi vehementer suspecta declarata. Beaurepaire *(Notes sur les Juges)* ait : *Pierre de Hodenc qui était prieur (de Rouen) se signala par son acharnement contre*

la Pucelle (P. 111). Obiit 10 Maji 1439 (Cart. IV, 428, 445, 519 sqq ; MS. Harley 1819, fol. 2b).

Huen, Johannes.

Incepit Sententias Sept. 1449, licent. 1454 (Cart. IV, 688).

Hutin, Simon.

Parisiis natus, doctor et prior Paris. episc. Archadiensis, coadjutor Bituricensis, obiit Parisiis 1506; ita Baleus (MS. Harley 3838, fol. 236b); alibi tamen, nempe MS. Harley 1819, fol. 99b scribit « In eodem conventu (Parisiensi) requiescunt..... Mag. Fr. Symon Hutin, quondam prior Parisiensis, episc. Archadiensis, et suffragan. Bituricensis, postea episc. Cabilonensis, et fuit Parisiensis natione et ejusdem conventus filius et prior, doctor tamen alterius Universitatis, puta Avinionensis ».

Kersbele, Philippus.

Gandensis, doctor theol. Paris., ibidemque professor publicus. Obiit peste correptus 20 Nov. 1489 ætat. 27. (MS. Bruxell. 16492, fol. 77b; Harley 3838 fol. 221b ; Lez. IV, 961. Bibl. Carmel. II, 634).

Lamadery, Yvo.

Clemens VII concessit Yvoni Lamaderii ut in civitate Paris. in loco fratrum Carmel. tamquam baccalaureus in theol. libros Sentent. legere possit (Eubel, l. c. n. 53, dat. Avin. 4 Sept. 1379). Idem 4 Junii 1382 mandat cancellario Paris. ut Y. de L. baccalaureo formato qui in studio Paris. lecturam Sentent. et responsiones de ordinario Vesperorum et de aula complevit atque ad faciendas responsiones in domo scholariorum de Sorbona æstate immediate sequenti deputatus existit, legendi et regendi ubique licentiam largiatur eumque ad magisterii honorem promoveat (Ibid. n. 208). In processu contra cancellarium (1385) Yvo testimonium reddidit quod tamen invalidatum fuit, quia ipsemet fassus est se cancellario 40 francos dedisse, bedellus vero testatus

est Yvonem usque ad summam centum francorum promisisse; in promotione non solum multis baccalaureis dignioribus antepositus, sed etiam contra votum plus quam triginta magistrorum (teste Petro de Ailliaco qui postea Cardinalis evasit) promotus fuit. Insuper Gulielmus prior S. Martini de Campis deposuit se contra promotionem Yvonis protestatum fuisse quippe qui esset homo malæ vitæ, seditiosus, sortilegiis et omni malitia repletus; nihilominus ad licentiatum promotus fuit. (Cart. III, 357 sqq. 369, 379, 388). Quam ob causam Lamadery supplicavit a Clementi VII ut ad Ordinem S. Benedicti transferretur (26 Nov. 1385; Eubel, l. c. n. 445).

Landuccius, Bernardinus.

Doctor a. 1505 (Bibl. Carm. I, 266).

Lanquier, Antonius.

Doctor a. 1520 (Bibl. Carm. I, 174).

Lebuen, Nicolaus.

Doctor circa 1484 (Bibl. Carm. II, 492. Cf. supra P. 286).

Lorget, Johannes.

Conventus Rothomagensis, magisterium sumpsit anno 1482 (MS. Harley 1819, fol. 10 b).

Luco, Salvatus de.

Burgundus, Sententias legit Parisiis anno 1533 (MS. Selden 41 supra).

Ludlyngton, Gulielmus.

Lincolniensis. Studiis tum Parisiis tum Oxoniæ operam navavit. Post capitulum provinciale Londinense 1305 Parisios missus fuit ad legendum Sententias (supra P. 104, 226) ubi videtur quondam licentiam accepisse. (Lez. IV, 496. Bibl. Carmel. I, 603.)

Mager, Bernardus.

Licentiatus anno 1401 (Cart. IV, 48).

Martini, Franciscus.

Ordinatus Biblicus Parisiis pro 1375 ac baccalaureus in

Curia Romana, Sententiarius Parisiensis pro 1376 (Lez. IV, 692). Clemens VII die 10 Augusti 1380 mandat cancell. ut eum (e Barcinona oriundum) baccalaureum formatum et per capit. generale præsentatum ad magisterii honorem promoveat si &c. (Eubel, l. c. n. 123; Cart. III, 292.) Provincialis Cataloniæ renuntiatus, præfato anno celeberrimum opus *Compendium Conceptionis Mariæ*, lib. VII compilavit. (MS. Harley 3838, fol. 188 b. Bibl. Carmel. I, 505.)

Martino, Johannes a Sancto.

Ab Ordine Minorum ad Carmelitanum translatus, a Summo Pontifice impetrat licentiam magisterii honorem recipiendi quamquam Bibliam et Sententias non legerit, quod S. P. benigne concessit 1 Oct. 1351 (Cart. III, 238). In suffraganeum episc. Leodiensis consecratus, obiit Leodii a. 1374 (Lez. IV, 1044).

Meinier, Petrus.

Biblicus Sept. 1432; formatus 1 Mart. 1434, Sentent. Sept. ejusdem anni (Cart. IV, 544, 562).

Menerius, Johannes.

Licentiatus 1 Junii 1439, magister 23 Febr. 1440 (Cart. IV, 608).

Michon, Johannes.

Licentiatus 1403 (Cart. IV, 128.)

Milverton, Johannes.

E Bristolnia oriundus Oxoniæ pro gradu doctoratus disputavit anno 1452. Parisiis dum doceret in schola anglica in capitulo generali 1456 provincialis Angliæ electus fuit. Strenue Reginaldum Pecock episc. Cicestrensem de hæresi suspectum oppugnavit, sed cum Henricum Parker Carmelitam de christiana paupertate exaggerantem plus æquo defenderet clam Romam fugere coactus fuit ubi per tres annos (a Junio 1465 usque ad Decemb. 1468) in castello S. Angeli carceri mancipatus, demum libertati et dignitatibus restitutus

est. De Cardinalatu quem ferunt oblatum sed ab ipso recusatum cf. supra P. 408 ad 50. In Angliam redux iterum provincialis creatur Johanne Sutton sponte officium in ejus favorem deponente. Circa annum 1481 quidam frater doctor Angliæ Generali scripsit ut sequitur : « Pastore nostro bonæ conversationis laudabilisque vitæ viro magistro Mylvertone impotenti senio laborante et variis quotidie, quod dolendum est, languoribus fatigato, religio nostra tendit ad ruinam. Ut ergo reædificetur domus Israel, quæ funditus fere cecidit a cultu divini studii, laudabili et regulari vivendi modo, nec ad eam sublevandam in nostra provincia valentiorem scio quam magistrum Gilbertum virum laudabilis vitæ et bonæ famæ. » Gilbertus ille tamen electus non fuit, sed Johannes Vynde (1482). Milverton obiit Londini 30 Januar. 1486 (Boase, Registr. Univ. Oxon. Bale passim, præsertim MS. Cotton, Titus D. X, fol. 182 sqq. Bodley 73, fol. 109 a; Lez. IV, 914, 964. Bibl. Carmel. II, 56.)

Monte Henrico, Johannes de.

Biblicus Sept. 1435 ; baccalaureus formatus 1 Maji 1437, Sentent. Sept. ejusdem anni (Cart. IV, 573, 599.).

Morandi, Johannes.

Biblicus Sept. 1429; Sentent. Sept. 1431 ; licentiatus 23 Dec. 1435, magister 29 Oct. (1436?) regens Sept. 1437 (Cart. IV, 485, 529, 577, 600. Bibl. Carmel. II, 60.)

Multoris, Thomas.

Obiit a. 1434 (Bibl. Carmel. II, 823).

Namurbita, Daniel.

Vir venerabilis, Parisiis baccalaureus, ibidem Sententias legit a. 1533 (Selden 41 supra).

Nuce, Johannes de.

Licentiatus 4 Jan. 1452 ; magister 19 Junii (Cart. IV, 709).

Nussia, Hermannus de. (senior)

Coloniensis, doctor Paris., prior Wormatiensis 1357, Fran-

cofurtensis 1364, provincialis Alemanniæ inferioris 1369-1381; fundator conventus Thenensis in antiquo ducum Brabantiæ palatio. Obiit Bruxellis 24 Maji 1384. (Koch, l. c. passim; MS. Bruxell. 16492, fol. 23 b; Lez. IV, 714.)

Olearii, Johannes.

Biblicus 2 Octobr. 1431; Sentent. Sept. 1433: licentiatus 29 Jan. 1448 (ubi erronee Cluniacensis designatur; Cart. IV, 529, 554, 677).

Olerius, Bernardus.

Urbanus V committit Generali ut Bernardum O. qui Bibliam Parisiis legerat, post examen per sex magistros in Curia Romana institutum, ad magisterii honorem promoveat, et quod transeat sine alia lectione. Ratio est quod ob pestem quæ universum mundum depopulaverat in pluribus studiis de professoribus nequibat provideri. 14 Sept. 1363. (Bullar. I, 112. Cart. III, 107. Bibl. Carmel. I, 278.)

Paganerus, Gulielmus.

Cujus verum nomen videtur fuisse Pagham, dicitur tum Oxoniæ tum Parisiis studiis operam navasse; tempore dissensionis exortæ ob divisionem provinciæ (supra P. 225) cum Gulielmo Newenham officio vicarii generalis fungebatur; in capitulo provinciali a. 1309 constitutus fuit provincialis Angliæ et Scotiæ, et denique (a. 1327) ad episcopatum Midensem in Hibernia evectus est. De tempore obitus non satis constat. (Lez. IV, 504. Bullar. I, 553.)

Parme, Jehan de la.

Magister regens et magister theologiæ anno 1383 (Cart. II, 317).

Pepkin, Johannes.

Vel Papeken, Bruxellensis, anno 1375 baccalaureus s. theologiæ, prior et regens studii Bruxellensis, eodem anno immatura morte consumptus die 13 Decembris. Anno 1361 ad studium Londinense destinatus fuerat, sequenti vero anno

ad Parisiense (Koch, l. c. P. 113; MS. Bruxell. 16492, fol. 20a).

Perider, Petrus.

Biblicus Sept. 1433; Sentent. Sept. 1435 (formatus 2 Maji); obiit Parisiis 22 Julii 1438 (Cart. IV, 554, 573; MS. Bodley 73, fol. 10b).

Perignet, Nicolaus.

Obiit a. 1550 (Bibl. Carmel. II, 507.).

Petri, Johannes.

Biblicus Sept. 1427; Sentent. Sept. 1429; anno 1430 subscripsit statuto de non dispensando super tempus licentiatus; licentiam accepit 25 Jan. 1432; magisterium 27 Junii (Cart. IV, 467, 485, 498, 537).

Peyro, Bartholomæus.

Fertur magisterium suscepisse 1415-1420. (Bibl. Carmel. I, 246).

Philippi, Johannes.

Licentiatus 1375 (Cart. III, 211).

Polini, Andreas.

Conventus Pontisaudomari, magisterium suscepit a. 1480 (MS. Harley 1819, fol. 10b).

Polini, Henricus.

« Doctor maximus », conventus Rothomagensis, episc. Philadelphiæ et suffraganeus Rothomag. cujus motu rex Franciæ multa bona contulit conventui suo. Obiit 7 Julii 1502. Ex eo quod dicitur post Maturinum Clementem Sententias legisse eruitur fuisse quidem baccalaureum Parisiensem (MS. Harley 1819, fol. 2b; 10b. Lez. IV, 1008. Bibl. Carmel. I, 628; II, 941.), quamvis doctoratus gradum Bituricis acceperit (MS. Selden 41 supra).

Poyol, Bernardus.

Mandavit Clemens VII Bernardo Olerii ut eum ad magisterium promoveat 8 Augusti 1380 (Cart. III, 107).

Quercu, Salvator de.

« Conventus Aquensis, prov. Vasconiæ, baccal. Parisiensis et doctor Burdegalensis et ejusdem conventus prior necnon quondam totius universitatis cancellarius, vir doctissimus, et maximus religionis zelator, floret » (MS. Harley 1819 fol. 153a).

Quersangili, Alanus de.

Mandavit Clemens VII Bernardo Olerii ut eum ad magisterium promoveat 13 Maji 1387 (Eubel, l. c. n. 499).

Reymolanus, Jacobus.

Alias Keymolanus, Conventus Gandensis, Parisiis studiis operam navavit, sed doctoratus gradum et honorem a Generali vi privilegii pontificii obtinuit. « Vir doctissimus, amœni ac dulcis ingenii cum quo suavem se habuisse conversationem Trithemius Rudgero Sicambro scribit. Mathematicus, poeta, cujus præconia in quodam epigrammate cecinit Gagninus ad Bostium. In epithalamio (Ad Bostium, lib. I. Hæc pater Arnolde, tibi) duos collocutores habet in antris Carmeli latitantes, Heliam et Thalamipolum recitantes carmina novem sororum in nuptiis Joachim et Annæ. Obiit Romæ a. 1507 (al. 1506) græce et latine peritus, illuc per Petrum Terasse generalem ductus » (MS. Harley 3838, fol. 235b; Lez. IV. 1023).

Rogerius, seu Rutgerus.

Coloniensis, baccal. Paris., provincialis Alemanniæ inferioris, vir doctus et devotus, obiit Coloniæ 1315 (MS. Selden 41 supra). Secundum seriem provincialium (Koch, p. 28) a 1315 usque 1317 dictam provinciam moderavit. In Bullario II, VII, habetur documentum aliquod prædictum Rutgerum tamquam provincialem a. 1310 exhibens; ex multis vero capitibus eruitur sæculo XVII falsificatum fuisse.

Rubo, Antonius de.

Licentiatus 22 Febr. 1422 ; ad magisterium sublimatus 13 Dec. proxime sequenti (Cart. IV, 624.)

Salisio, Johannes de.

E diœcesi Montisalbani oriundus, licentiatus 1386, magister a. 1387 (Cart. III, 398, 447).

Sampsonis, Bardinus.

Seu Bernardinus, Biblicus Sept. 1421, in capitulo Nannetensi ordinatus lector Sententiarum pro a. 1431 ; concilio Basileensi a. 1435 tamquam magister theologiæ interfuit, anno vero 1438 erat procurator Ordinis in curia Romana, obitus autem notatur ad a. 1439 (Cart. IV, 399 ; Bullar. I, 194 ; Lez. IV, 850 ; Bibl. Carmel. I, 270).

Squirelli, Gulielmus.

Alias Quirelly et Squinelli. Licentiatus 1406 ; anno 1413 astitit concilio fidei Parisiis (Cart. IV, 142, 274, 279).

Texier, Le, Bernardus.

Anno 1383 quartum locum tenet in conventu Parisiensi ; licentiatus fuit 1391 (Cart. III, 317).

Torculari, Gulielmus de.

Licentiatus 22 Feb. 1442 (Cart. IV, 624).

Triparii, Johannes.

Tripier, Sentent. Sept. 1422 ; licentiatus 12 Jan. 1428 ; magister 22 Junii ; regens Sept. 1428 ; 30 Mart. 1430 assistit revocationi Johannis Sarrasin O. P., sequenti mense subscribit decreto de non dispensando super tempus licentiæ ; mense Sept. ejusdem anni iterum est regens Parisiis (Cart. IV, 405, 470, 478, 495, 497, 500).

Troistorp, Ægidius.

Anno 1361 erat cursor Moguntiæ, et sequenti anno ad studium Parisiense destinatur (Koch, l. c.).

Turonensis, Franciscus.

Doctor Parisiensis, ut fertur, provincialis Turoniæ, flor. 1472, vir doctus (MS. Selden 41 supra).

Vene, Johannes.

Professus Antwerpiæ 29 Jan. 1526, theologus Parisiensis, obiit ibidem a. 1536 (MS. Bruxell. 16490, fol. 20a. Bibl. Carmel. II, 137).

Verely, Petrus.

Conventus Rothomagensis, legit Sententias sub Maturino Clementis (MS. Harley 1819, fol. 10b).

Vilenbeke, Philippus.

Vel Rinisch, prior Angiensis sub reformatione. Juvenis Parisiis litteris operam dabat, obiit Angiæ 1502 non sine opinione sanctitatis (MS. Harley 3838, fol. 227a).

Vileti, Petrus.

Biblicus Sept. 1426; Sentent. Sept. 1428; licentiatus 13 Maji 1430 (Cart. IV, 456, 478, 498). Provincialis provinciæ Provinciæ in capitulis 1440, 1444, 1447 et 1451, atque ad Concilium Basileense destinatus (Lez. IV. 888, qui eum *Jacobum* Vileti nominat).

Vitecoc, Thomas.

Episc. Candevicensis, (sub archiep. Dyrrhachiensi), magister Parisiensis, obiit Parisiis 20 Januarii 1404 (alias 1503) (MS. Harley 1819, fol. 6a; 88b; Bibl. Carmel. II, 833.)

Vlissing, Michael.

In MS. habetur Vlilssing, alias vero de Zelandia. Biblicus Sept. 1438; licentiatus 7 Febr. 1446; magister 23 Junii ejusdem anni. (Cart. IV. 607, 665).

Walsh, Johannes.

Scotus, conventus Kingussie (« Domus regiæ »), doctor Parisiensis, electus provincialis Scotiæ anno 1462. In capitulo anni 1456 erat definitor Scotiæ, in capitulis vero 1462, 1469, 1478, 1482 et 1488 provincialis, unde eruitur eum

post hunc ultimum annum defunctum esse et quidem in suo conventu ut Baleus narrat (MS. Bodley 71 et alibi).

Wichterich, Daniel de.

Seu de Victoriaco, provincialis Alemanniæ a. 1309-11, episcopus Verdunensis 1338, obiit 1364. (Koch, l. c. 16, 22, 27) Ludovicus Jacob negat eum doctorem Parisiensem fuisse (Bibl. Carm. I, 373 ; Supra P. 303).

Wittingham, Simon.

Qui supra Simon Anglicus nominabatur. Norvicensis. Una cum Guidone de Perpignan et multis aliis magistris examinavit Postillam super Apocalypsim Petri Johannis Olivi Ord. Minorum, condemnans sexaginta propositiones, 11 Junii 1318 et 3 Sept. 1320. (Cart. IV, 239 ; MS. Harley 3838, fol. 74b. Bibl. Carmel. II, 763 ; supra P. 303).

Wyle, Gulielmus.

Baccalaureus Parisiensis, Scotus natione, rhetor, philosophus et musicus peritissimus, quondam de curia regis Scotiæ, obiit sexagenarius in conventu Tolosano a. 1527. (MS. Harley 1819, fol. 117b).

Wyse, Cornelius de.

Brugensis, doctor Parisiensis, pluries prior conventus patrii, ubi etiam obiit 12 Junii 1488 jubilarius in provecta et decrepita ætate (MS. Bruxell. 16492, fol. 38b).

Zelandia, Michael de.

Vide supra sub voce Vlissing.

EPISTOLÆ

Frater Thomas Netter Waldensis

natus circa annum 1375 in loco Saffron Walden in comitatu Essexiæ in Anglia habitum Carmelitarum induit Londini ubi etiam ordinatus fuit acolytus 19 Septembris 1394, subdiaconus vero 5 Junii 1395. In magno suo opere inscripto *Doctrinale de Sacramentis et de Sacramentalibus* passim loquitur de parentibus suis (edit. Veneta 1571, III, 81 a), de emissione professionis (I, 516 b), nec non de intimo quodam amico Gulielmo nomine (I, 2; II, 85 d, 95 d, 187 d,) quem suspicor fuisse Gulielmum Woodford, ordinis Minorum, cujus lecturam Oxoniæ frequentabat annis 1389 et seqq. « Perlongum esset, ait Baleus, hic recensere quantam ex lecturis publicisque disceptationibus gloriam Oxonii fuerit assecutus, et quantum peperit doctrinæ et sanctitatis commodum suis Carmelicolis, dum provincialis eorum esset (1414-1430) præses, et, ut amplius dicam quantum universali semper profuerit ecclesiæ. In eo erat felicissimi ingenii dexteritas, ardentissimus in Deum zelus, absoluta quoque scientiarum notitia, et tantus eloquentiæ candor, ut nemo sua tempestate haberetur ipso præstantior. Dum Anglorum Francorumque regibus Henrico quinto et sexto a confessionibus, a consiliis atque a secretis nuntiis esset, seditiones et bella sedabat, hæreses atque schismata destruxit; juramenta, fraudes, carnis illecebras et consimilia hominum mala miraculose quasi per Angliam delevit. In Constantiensi synodo generali (1415) pro toto regno Angliæ causas agebat. Ad Sigismun-

dum Cæsarem, Wladislaum Poloniæ regem, Alexandrum Lithuaniæ ducem (1419) aliosque principes christianos in arduis causis regia ferebat nuntia. Vitoldum primum Lithuaniæ regem ad fidem Christi convertit (1) et Carmelitas in Poloniam ac Prussiam pro Verbi Dei prædicatione primum introduxit. Oblatas dignitates omnino recusavit. (Sequitur series librorum qui ad Balei notitiam pervenerunt). Memini olim vidisse adhuc alia ejus opuscula quorum tituli jam non occurrunt. In Normanniam tandem regia tractaturus negotia perveniens sexto decimo suæ præposituræ anno in ægritudinem incidit atque in Carmelo Rothomagensi doctrina et sanctitate ornatus in Deo quievit A. D. 1430, secunda die Novembris. Hunc inter sanctos relatum ferunt atque miraculis olim claruisse Volaterranus, Trithemius ac alii historiarum scriptores. Atque de eo sic canit Burellus :

Hic prior Anglus erat per quem provincia gesta est,
Atque fides per quem candida nostra manet.
Hic truncos hæresum invasit rapidissimus ignis
Concilium testis Basiliense fuit. »

Ita Baleus (MS. Harley 3848, fol. 82 b). Cf. Dictionary of Natl. Biography, t. XL, P. 231.

Alibi, nempe MS. Harley 1819, fol. 117 a sequentia habet quæ plures ob rationes notatu digna sunt :

« Magister Frater Thomas Walden quædam miracula fecit post mortem in conventu Rothomagensi, et pluries circa sepulchrum ipsius visa fuerunt de nocte luminaria quædam, et quandoque radii solares ; quidam vero fratres timentes

(1) Errant Baleus et plurimi alii asserendo Vitort per Waldensem in regem unctum et ad fidem conversum fuisse ; re enim vera Vitort obiit 27 Oct. 1430 neque Christianus neque coronatus.

in posterum ad quædam gravia ex hujus viri sanctitate obligari celato sepulchro omnia conculcarunt &c (sic). »

Inter Thomæ scripta numerat Baleus « Epistolas 164 ad diversos, lib. I. Incip. Venerabili in Christo patri. » Iste liber non secus ac innumeri alii sæculo sexto decimo misere periit, attamen ipse Baleus multa inde excerpserat ordine tamen chronologico semoto, quæ e codice Bodley 73 verbatim exscripturus sum.

(MS. Bodley 73, fol. 94b)

Ex Epistolari Magistri Thomæ Walden

Primo. Ex epistola ad Martinum papam quintum.

Ex sacris litteris didici (1).

II. Ex epistola Martini papæ ad eundem Thomam Walden.

Delatus autem et per manus dilecti filii Johannis Kenynghale ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli magistri in sacra pagina nobis liber ipse fuit præsentatus tempore quo venerabilis frater noster Jordanus episcopus Albanensis (quem cum pleno legationis officio ad hanc perfidiam et crudelem hæresim extirpandam transmisimus in Germaniam) erat de Urbe recessurus.

Floruerunt tunc in Curia dominus Cardinalis tituli sancti Eustachii protector Ordinis, dominus Julianus generalis auditor cameræ apostolicæ, episc. Electensis, et magister frater Bernardus procurator ordinis generalis in Curia. Ad hos scripsit Walden.

(1) Totam epistolam habes in editione operum Thomæ Waldensis Venet. 1571 tom. I. et adhuc aliam tomo III.

III. Ex epistola ad magistrum fratrem Bernardum (1) præfatum.

Per litteras mihi innotuit multiplex labor quem in honorem ordinis et beneplacitum conditoris exequi volebas, optime magister. *Item alibi.* Idem magister Johannes Kenynghale (2) præsentavit domino archiepiscopo Cantuariensi unum librum de eodem opere pro ecclesia anglicana quem ipse summe gaudenter assumens coram dominis ducibus et pleno consilio regni cum laude multiplici extulit, cum præconiis ordinis ad laudem beatæ Virginis. Laboremus ergo concorditer, bone magister, ita ut ecclesia Christi nostros sentiat labores dum hic vivimus, et tandem post hanc vitam veram requiem consequamur in patria.

IV. Ex epistola ad provincialem Coloniæ. (3)

Ubi scriptores contra hæreses, ubi sancti (fol. 95a) prædicatores, nisi qui cum pharisæis cathedram Moysis multa dicendo et rara faciendo consedeant, et cum aliis prædica-

(1) Mag. Bernardus Vaquerius, electus a. 1416, re-electus annis 1420 et 1425.

(2) Magister Johannes Kenynghale, Norvicensis, ordinatus acolytus a. 1406-07 per Johannem Leycester Ordinis Carmel. archiepisc. Smyrnensem (Reg. Lambeth), doctor Oxoniensis, nuntius apostolicus sub Martino V, Waldensi successit in officio provincialatus (1430-1444); pluries Romam petiit atque semel Florentiæ ad tumbam S. Andreæ Corsini a malo capitis curatus fuit. Assistebat synodo Norvicensi a. 1428 contra hæreticos, capitulis generalibus a. 1425 (diffinitor Angliæ Johannes Brevegal), 1430 (diff. Joh. Brevethale, provincial. Johannes Bevyghale), 1434 (provl. Johannes Klengale), 1440 (diff. Joh. Keonyghale, provl. Johannes Breviguld, sic liber Ordinis nomina anglica fere semper transmutat!). Obiit senio confectus Norvici 28 Aprilis 1451. Bibliothecam Norvicensem multo auxerat.

(3) Thomas Heimersheim, qui fuerat prior Boppardensis a. 1406, provincialis vero Alemanniæ inferioris 1420-1430.

verint ipsi magis reprobi sunt effecti. Heu me, pater, quia ex nostris nemo inventus est dignus ut aperiat librum clausum, nullus aut rarus qui in tanto pressurarum incommodo judicem Christum præcedat in spiritu et virtute nostri patris Heliæ. Ipsius, inquam, quem paradisus tenet localiter, sed ejus mentem urget nostra professio, anxio dolore prospiciens quem de filiis suis fratribus nostris habebit in conflicto cum antichristo participem. Aut dicturus est obtento triumpho ad suæ religionis calumniam illud Nasonis :

Me duce ad hunc voti finem, me milite veni,
Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui (1).

Vestra interest, optime pater, hortari fratres, suadere magistris, labores sanctos, sacras vigilias, studia et sudores qui ipsos spectant, et stimulos faciat ea quæ jam eos tenet vera et prætensa professio. Sufficiat quod ceteris valide laborantibus hucusque dormivimus, jam sors nostra somnum abrumpit et hortatur ad pugnam. Rogo te, pater, assume tibi viros industrios qui plene consulant cum magistro Johanne Kenynghale apostolicæ Sedis nuntio ad fructum aliquem Ordinis de postulatione futura. Ipse vobis dicet ad planum quem ex conatibus meis tuæ paternitati commendatum habeo.

V. Ex epistola ejusdem ad magistrum Thomam Rudburum archidiaconum Sudberiæ.

Jam ascendo ad Petrum, mansurus cum eo diebus aliquot, ascensurus in posterum donante Deo frequentius ad collationem evangelicæ veritatis, quam nondum prædicavi in gentibus, sed conscripsi ne forte in vacuum currerem aut hactenus cucurrissem. Nosti magister dilecte, quantum meus

(1) Amores, II, 12 (13-14).

fervet animus ad expurgandas Wickleffisticas pravitates, quæ pene omnes Christiani orbis fructus incendunt vento quodam uredinis, et novi ego sanctum zelum et constantem animum tuum in ovilis sanctum pecus &c. *Item alibi.* Mitto tibi quod instantiis dominorum *De divinatione* descripsi opusculum, qua occasione, scriptura ipsa se prodit. Et quantum sanctus Thomas aut Parisiensis contulerint, videri statim potest et perpendi quod dominorum postulationes aliud expetunt et istorum tractatus aliorsum incedunt. Remitte, rogo, post mensem et aliud formosa manu conscriptum interea præparabo.

VI. Item scripsit epistolam magistro Johanni Luk.

VII. Ex epistola regis Angliæ Henrici quinti ad concilium Constantiense pro defensione fratrum mendicantium.

Religionum communitatem qua citra Deum nihil in regno nostro ditius vel carius habemus in Domino sinceriter cupimus honorari et congruis favoribus pertractare. Et præcipue inter ceteras religionum species de quatuor mendicantium ordinibus ad præsens intendimus, quorum labores et studia tota per orbem et nostra præsertim anglicana sentit ecclesia, et nos orationum suffragiis credimus adjuvari.

VIII. Ex alia ejusdem regis ad idem concilium.

Exhibitorem præsentium fratrem Thomam Walden sacræ theologiæ doctorem et fratrum Carmelitarum in regno nostro Angliæ priorem provincialem hujus nostræ voluntatis et virtutum suarum intuitu vestris habentes favoribus in Domino specialiter commendatum.

IX. Ex epistola ejusdem fratris Thomæ Walden vicarii generalis ad fratres suæ provinciæ ut orent pro rege bellante in Francos.

Cum peccata vestra plangitis et circumfluæ genis lacrimæ decurrunt, pro peccatis regiis saltem expendite decimam lacrimarum. Cum de camino caritatis fervens in Deum pro-

rumpit (fol. 95 b) actio gratiarum etiam pro his quæ circa dominum regem benignus Deus effecerit gratias agite et magis postulate quid faciat. *Item alibi.* Singulis fratribus meis ista dico, non tamen omnibus æque. Sed vos appello præcipue qui sanctæ contemplationis secretum nostis melius et visitastis frequentius. Vos, inquam, patres mei, vos fratres rogo instantius, hortor attentius, omni fictione semota, ex pleno corde memineritis domini nostri regis. Et vere nostri. Noster enim est rex, noster erat et princeps, noster infans, noster ab infantia. Et ut amplius quid dicam noster ab avo, noster a proavo. Et quasi possemus in hac parte præscribere, hucusque fuerat semper noster. Sed forsan curialius dixissem : Nos sui semper eramus, et sic est. Sed hæc audax caritas locuta est. Anno Domini 1415.

X. Ex epistola domini regis ad Walden post captionem Cademi in Normannia.

Ceterum quia in villa nostra Cademi (quam eminens gratia Dei insultatione nostri exercitus absque grandi strage nobis contulit) (1), Ordinis vestri conventus habetur qui semper conservatur illæsus. Desideramus et rogamus te, carissime, quatenus festinantia qua potes ordinare et transmittere disponas certos vestri Ordinis fratres, personas bene dispositas, ad inhabitandum locum prædictum in numero quo cum nota (2) possunt celebrare divina.

XI. Ex epistola Walden ad regem responsiva.

Receptis litteris valde gratiosis mirabar non modicum eodem tempore uno in homine victricia bella et de ecclesiis Christi pauperum cura. Non sic fecit mitis David, non sapiens Salomon. Bellavit fortiter David, sed templum Domini non refecit. Fabricavit Salomon templum, sed bella non gessit.

(1) a. 1417.
(2) Cum cantu.

Laudandus est ergo Deus qui patrum duplicem spiritum vobis inspiravit ad fortiter gerenda prælia et Christi servitium humiliter meditandum. Veniunt ad te, clementissime princeps, servi vestri confratres nostri circiter tresdecim quibusdam connumeratis qui jam in partibus illis agunt. Veniunt autem a nobis prior quondam conventus nostri Sandvici bene per decem annos, inceptor quidam in theologia, et tertius qui dudum fuit subprior Londonensis, prædicatores famosi, alii quoque sacerdotes juniores ad obsequium chori, quorum nomina commissioni præsidentis inserui. Subsequetur istos quidam in theologia magister, omnes ut æstimo in conscientia mea viri et moribus et actione probi. Demum ad pedes piissimi principis provolutus exposco ut tale præsidium faciat priori conventus, ut fratres sui secum in bona pace morentur, ita ut extra claustrum non distrahantur per dominos et curiales ad serviendum eis, et a Deo debito subtrahantur obsequio.

Magister frater Thomas Walden factus est ambassiator regis Angliæ ad Vladislaum Poloniæ regem et Alexandrum alias Witowdum magnum Litwaniæ ducem, et magistrum generalem Prussiæ, una cum sociis suis Willelmo Clynt sacræ paginæ doctore, domino Willelmo Sturmy et domino Hartongo Clux, militibus, anno Domini 1419.

XII. Ex epistola dicti regis Angliæ et Normanniæ conquestoris ad fratrem Thomam Walden.

Ratione confidentiæ quam gerimus ad discretionem et gravitatem quas Deus inseruit in tua persona, sicut etiam propter optimam voluntatem quam judicavimus te habere ad meditandum in tam universali bono, ordinamus consilii nostri deliberatione te cum præmemoratis ambassiatorem nostrum, modo quo frater noster carissimus dux Bedfordensis tibi declarabit. Quapropter volumus, rogamus et te Dei no-

mine oneramus ut quod umquam (fol. 96a) a nobis bonam et favorabilem dominationem habere intendis absque murmure seu dilatione quacumque acceptes onus præsentis negotii, quod nostro cordi satis ferventer imprimitur, et est toti Christianitati valde necessarium, ceu prædictus dux nostro nomine tibi latius declarabit, qui et ordinabit pro vestris sumptibus et expensis.

XIII. Ex littera protectoris domini regis et consilii pro eodem magistro Walden ad reges, principes, duces, marchiones, comites, nobiles, admiraldos, justiciarios, custodes castrorum, fortalitiorum ac portuum maris.

Præsentium tenore requirimus et rogamus quatenus nobis dilectum in Christo fratrem Thomam Walden priorem provincialem Ordinis beatæ Mariæ Carmelitarum qui per regna, principatus, dominia, passus et districtus, pontes, loca, jurisdictiones, potestates, aut territoria vestra pro quampluribus negotiis nostris penes regem Poloniæ et magistrum Theutonicorum cum familiaribus, equis, valesiis, jocalibus, auro, argentis, robis et vestimentis, ac aliis bonis, rebus et hernesiis (1) suis &c.

Item XI articuli super instructione data per regis consilium magistro Walden et aliis nobilibus in præsenti negotio sibi assignatis.

XIV. Item ex epistola regis Angliæ ad regem Poloniæ.

Piæ compassionis affectu cupientes inter scandalorum fomenta præscindi, et bonum suscitari pacificum, cum nil in humanis valeat beatius inveniri, nam humana cœlestibus connectuntur, religiosum virum fratrem Thomam Walden Ordinis Carmelitarum provincialem in regno nostro Angliæ et venerabilem Willelmum Clyvent, sacræ theologiæ profes-

(1) i. e. phaleræ.

sores, necnon nobiles Willelmum Sturmy et Hartongum Clux milites fideles nostros dilectos ad vestri conspectum pacis reformandæ gratia præsentialiter destinamus &c.

XV. Propositio Walden facta domino regi Poloniæ 14 die Julii a. D. 1419 in campo sui exercitus.

Incipit. Excellentissime domine, ceteris principibus christianis in omni fidelitate compar, rebus fortuitis non inferior &c. *Item alibi.* Diffundat ergo animus regis etiam ad æmulos bonum pacis, certus quod non potest sibi contingere ex humilitate periculum, ex pacis spontaneitate discrimen, nec ex appetitu unitatis dispendium provenire, quinimmo sicut optimus magister gentium S. Paulus dicit: Gloria, honor et pax omni operanti bonum. Ad Rom. II.

Idem Walden fecit aliam propositionem IX Kal. Augusti coram venerabili viro magistro Michaele Kochmeister Ordinis Cruciferorum ceu Theutonicorum de Prussia, episcopis, commendatoribus et quampluribus aliis dominis Ordinis, et dominii prædictorum. Item compromissum regis Poloniæ ad Sigismundum Romanorum, Ungariæque regem. Consimile quoque fecit magister Theutonicorum ad eundem.

Jacobus Spoletanus episcopus, et Fernandus Lucensis episcopus fuerunt apostolicæ Sedis nuntii ad regem Poloniæ. Et Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis commissarius ex parte imperatoris Sigismundi.

XVI. Item duæ litteræ testimoniales Thomæ Walden ambassiatoris regis Angliæ in conclusione pacis inter eosdem Poloniæ regem et magistrum Theutonicorum.

Nos frater Thomas Walden sacræ paginæ doctor, in regno Angliæ prior provincialis Ordinis &c.

XVII. Ex epistola domini regis Poloniæ ad regem Angliæ Henricum.

Serenissime princeps et frater noster carissime. Venienti-

bus ad præsentiam nostri venerabili et religioso fratre Thoma Walden Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli in regno Angliæ provinciali, sacræ theologiæ doctore, et nobili ac strenuo milite Hartongo de Clux consiliariis vestris et nuntiis, ex litterarum et legationum continentia &c. *Item alibi.* Vestri oratores et nuntii (fol. 96b).

XVIII. Ex epistola domini Alexandri ducis Lithwaniæ ad regem Angliæ.

Transeuntibus nobis contra adversarios nostros Cruciferos de Prussia armato brachio, supervenerunt solemnes ambassiatores vestri, scilicet provincialis per vestrum regnum Angliæ Ordinis fratrum Montis Carmeli et strenuus Hartongus Clux miles et consiliarius vester una cum Mediolanensium archipræsule Sigismundi Romanorum et Ungariæ regis ambassiatore et consiliario &c. *Scedula collateralis ejusdem ducis ad regem Angliæ.*

XIX. Item ex epistola domini Michaelis Kochmeyster magistri Theutonicorum de Prussia ad regem Angliæ.

Egregius et religiosus dominus Thomas Walden Ordinis Carmelitarum in regno Angliæ provincialis ac theologiæ sacræ professor, vestræque majestatis regiæ orator, nuntius ac consiliarius fidelissimus, gratioso vestro conspectui quæ gesta sunt personaliter apportabit.

XX. Ex epistola domini ducis Oxoniensis ad capitulum Gyppiswici (1).

Religiosi domini, cari et prædilecti fratres mei in Christo. Dominus qui bonorum temporalium dispensatorem nos in hac vita disposuit, etiam ordinavit sua liberali gratia nobis bonum velle ad confovendos pauperes. Idcirco ob ingentem quam erga vos gerimus et dilectionem et confidentiam

(1) Ipswich, in comitatu Sudvolgiæ; capitulum celebratum fuit a. 1420.

annue concedimus ad utilitatem reipublicæ vestræ in perpetuum X libras Sterlingorum in capitulari vestro negotio semper expendenda, onerantes nostros heredes ut idem semper fiat pro anima nostra et anima Margaretæ olim consortis nostræ. Statuimus etiam post decessum nostrum vobis donari per executores nostros XX libras ad publicam utilitatem Ordinis vestri. Deus vos conservet. Scriptum 12 die Julii.

XXI. Ex epistola responsiva fratris Thomæ Walden cum capitulo Gyppiswico ad præfatum ducem A. D. 1420.

Nuper a vestra gloria salutati salutes recepimus divino certe spiritu plusquam vestro sensu dictatas, etiam tantillæ pauperum facultati insolitas et invisas. Quis namque nisi rarissimus inter medios gladios de inermium precibus cogitare dignatur? Hic autem inter amicos et hostes, fortes et debiles, imbecilles et agiles partes agens : cœlo simul et sæculo militat dux præclarus. Prorsus humillima mens et Christi pietati contermina pauperum preces pro se suaque consorte Margareta in unoquoque provinciali capitulo deinceps petit effundi. Parum est quod petitur, sed pluris cernitur postulantis affectio. Quis putas inter sanctos pauperes cum devotissimæ litteræ legerentur lacrimas potuit cohibere ne fluerent, non quidem præ mœrore sed gaudio, quod tantus tamque excelsus sæculi vir sic sapuerit sicque degustaverit religiosorum Christi pauperum secretum, orationes, negotium, instantiam et fiduciam deprecandi, maxime quoniam hujus mundi divitibus hæc ipsa appareat omnino inutilis et superstitiosa orandi vacatio, et omnis pene conversatio regularis quæ ideo secundum Gregorium fertur esse lampas contempta, apud cogitationes divitum. Sentientes ergo fratres nostri tantæ fidei stimulos statim ad intercedendum pro tanto viro animos parant, insolito modo pectora feriunt, animantur ad preces, alter alteri recitat, applicans tuæ serenitati quod pro centurione Christus expressit : Amen dico vobis,

non inveni tantam fidem in Ysrael. Alter respondente: Sed plusquam centurio hic, singulis aliis dicentibus : Vidimus mirabilia hodie. Has ergo litteras, carissime, amplectentes magno cuidam volumini (1) ubi notanda omnia de regimine Ordinis inseruntur annualia inscribi decrevimus cum nostræ concessionis pagina. In qua quidem quantum cum Deo possumus vigore nostræ auctoritatis petita concedimus et plura si exigantur. Adjicientes etiam quod si quandoque in posterum contingat capitulum gravi aliqua cogente occasione differri (fol. 97a) vel omitti, tunc in quatuor magnis convocationibus per quatuor Angliæ plagas principaliores præmissa fieri decernimus vestræ largitatis eleemosyna quadrifarie divisa. Præcelsum quoque vestri principatus fastigium dirigat princeps pacis &c.

XXII. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad dominum Thomam ducem Clarensem vel potius Clarentiæ ob confessorem suum fratrem Johannem Upton (2) sacræ theologiæ doctorem A. D. 1419.

Rependat summus gratiarum largitor gratiam pro gratia, quam præclarissimus dominus meus exili personæ meæ cum præsens essem in aula regis tam familiariter quam frequenter et ex corde monstravit, et nec claritati germanitatis regiæ distulit nec victrici suæ famæ pepercit, quominus suscitaret de terra inopem, collocans eum cum principe populi domini, et crebræ collocutiones suæ serenitati mulcarent. Inter ceteros autem tuæ confabulationis articulos hoc ipsum quod pro animæ tuæ salute tractasti aliquantum secundum

(1) Iste magnus liber procul dubio ille est quem Baleus præ oculis habebat indeque sub titulo Registri Ordinis permulta, præsertim seriem capitulorum provincialium excerpsit. Utinam ad nos usque pervenisset!

(2) Genere Lincolniensis, doctor Oxoniensis, tandem Coventriæ diem clausit extremum a. 1442.

conscientiam meam postulans confessorem expedivi juvante Deo quod potui; et in ea conscientia qua Deo teneor de circumspecto viro et sagaci, ac tanto principi apto providi. Ipse est enim magister frater Johannes Upton quem tibi primitus nominaram, qui cum totum mundum jam firmo animo declinare proposuerit et solius claustri observantiis decrevit insistere, novi repente rumoris ictu concutitur, miraturque quod mundum declinans subito in tantum fastigium rapitur, quod et tanto mundi domino copulatur. Gaudere tamen citius non modicum cœpit, quoniam circa talem principem cujus est tam clarissima fama et tam frequenter instans Dei gratia, juventutis suæ tempus exponeret, post futurum firmiter asserens quod nullus alius mundi princeps post dominum regem eum de claustri gremio rapuisset. Sed jam, inquit, nec labor futurus obsistit, nec mare me terret, quod tamen tangere semper abhorrui, ut domino meo glorioso statim occurram, prout expensas viæ necessarias procurare valebo. Non enim solebat congregare pecunias, nec saltem thesaurizare collectas. Veniet ergo, nobilissime princeps, cum omni festinatione possibili, et si aliquantam moram fecerit jam audisti causam, certe non tardabit amplius quam oportet. Conservet tuam celsitudinem Filius Virginis. Scriptum London. 16 die Novembris A. D. 1419.

Magister frater Johannes Kynynghale, domini Ricardi ducis Eboracensis et dominæ Cæciliæ consortis suæ fuit olim confessor.

XXIII. Item ex epistola Thomæ Walden ad illustris prosapiæ virum comitem de Ormundo in Hibernia.

Novi et fidem sinceram et mentem catholicam quam ad Ordinem reparandum gerit tua dominatio, cujus es in Hi-

bernia fundator (1) et patronus. Et quia post multiplicem ruinam velut alter Joas sarta tecta templi restaurari et observantiis pristinæ religionis in statum optimum redintegrari cupis cum effectu, idcirco jam habita opportunitate (quam spero) ad tuam dominationem mitto baccalaureum quendam a venerabili patre nostro priore generali propter has causas et Ordinem reformandum in partes vestras missum, cui potes ea quæ ad illum finem spectant et mente concipis communicare fideliter. Tantum restat, ut tuæ dominationis protectione fulciatur ut decet et res exigènt quas tractabit. Sic spero sanctum desiderium tuum posse ad effectum deduci, et te pro solicitudine tua sancta cœleste præmium promereri. Conservet dominationem tuam &c.

XXIV. Ex epistola ejusdem (fol. 97b) Thomæ Walden ad dominum Johannem Grey fundatorem sui Ordinis in Anglia, clarissimæ probitatis virum.

Recepi alteras tuæ dominationis litteras per quas errantem ovem reduxisti ad caulas. Et quamvis longum a claustro religionis suæ per vagum mundum elegerit exilium, tandem tamen in humeris meis ovem reportare deperditam (et) partem pœnæ sibi debitæ libenter porto, pastor inutilis. Validæ enim sunt jussiones ne dicam intercessiones tam magnificæ dominationis, quia magna est vis caritatis et compassionis affectio pro quo jussisti expleri (?), pro quo dignaris intervenire. Ego etiam apud Ordinem interveni ; si non satisfactum est, audeo dicere culpa nec tua nec mea est. Utinam reus noster digne defleat quod deliquit. Quia autem dominatio tua mihi servo dignata est retributionis vices in his quæ alias postularam impendere, gratias ago domino promittenti et quantum jam animo occurrit hoc peto domi-

(1) Si hic et alibi « fundatorem » audias noli credere primum institutorem sed potius patronum seu protectorem.

num ut pristinam caritatem suam extendat. Et hoc faciat aliis qui eodem in errore laborant, quod jam pro nostro pœnitente confratre nostro et oratore fratre Thoma facere dignum duxit. Apportet manum, rogo, tua dominatio et remittat nobis ad partes fratrem Willelmum Clyffton et fratrem Willelmum Rolff (1), ceterosque qui in periculum animarum suarum et scandalum ecclesiæ, prætermissa Ordinis obedientia, spretisque censuris ecclesiæ, sacra vobiscum tangunt altaria, et, ut fertur, sacra concelebrant. Paratumque me sciat tua nobilitas ad omnia facienda ne pereant ipsi et ad plenarium animarum suarum viis et modis canonicis remedium procurandum.

XXV. Ex epistola domini Johannis episcopi Ostiensis, Romanæ ecclesiæ Cardinalis et Vice-cancellarii ad Thomam Walden.

Venerabilis vir et amice noster carissime. Dignum quin potius debitum reputamus illos fore merito prosequendos spiritualibus favoribus et gratiis, qui sincera devotione, integritate religionis, litterarum scientia, morum honestate et aliis quam plurimis virtutum donis multipliciter decorantur. Cum igitur religiosus et ingenuus vir frater David Scherbury (2) vestri Ordinis lector in sacra pagina, apud Sedem apostolicam profunditate scientiæ, morum exemplo, et prædicatione strenua specialiter commendatus, apud vos in suis agendis favore et auxilio vestris indigeat, provide personam

(1) Subdiaconus ordinatus 9 Junii 1408 per episcopum Eliensem.

(2) David Cherbury e Ludlow in Cambria oriundus ibidemque habitum induit, Oxoniæ s. paginæ lauream promeruit, a. 1431 episcopus titularis Dromorensis consecratur, qua in dignitate Thomam Scrope (Bradley) successorem habuit a. 1448, non tamen immediate. Per omnia magnifice egit multaque bona conventui Bristolniæ reliquit ac procul dubio etiam conventui Ludlow ubi a. 1456 sepulturam accepit.

benemeritam obnixe recommendantes vos affectuose deprecamur ut præfatum fratrem David ob reverentiam Sedis apostolicæ et nostri contemplationem morumque meritorum intuitu, in suis quibuscumque peragendis negotiis per se vel per alium velitis benigne suscipere et habere in omnibus specialiter recommissum. Sic enim dictæ Sedi atque nobis gratum præbebit obsequium et singularem complacentiam vestra amicitia, dum casus occurrerit conabimur etiam in majoribus complacere. Quamque Christus prospere dirigat et perenni faciat felicitate gaudere. Scriptum Florentiæ die prima Julii. *Superscriptio ejusdem* Attollendæ scientiæ viro fratri Thomæ, amico suo carissimo, Walden sacræ paginæ professori provinciali Ordinis Carmelitarum in Anglia amico suo carissimo, Johannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis et vice-cancellarius.

XXVI. Ex epistola Thomæ Walden ad Wintoniensem episcopum secundum ordinem propinquitatis in stirpe regia inclitissimorum principum regum Angliæ magnum avunculum (1), qui assignavit magistrum fratrem Thomam Aschwelle (2) sibi in confessorem.

Inspectis tuarum litterarum reverendis apicibus sensi quia in generoso tuo pectore grande munus suæ visitationis Deus majestatis intonuit, cui benefacis (fol. 98a) attendens, ut gratiam pro gratia rependas, et pro omnibus quæ hactenus Deus tibi retribuit reddas itaque voci gratiæ suæ vocem vir-

(1) Henricus de Beaufort tertius filius Johannis de Gandavo ducis Lancastriæ, episcopus Wintoniensis a 1405 usque 1447, Cardinalis et cancellarius regni Angliæ.

(2) Aschewelle, Thomas. Inter plures hujus nominis religiosos de uno tantum hic agendum est, qui 25 Maji 1396 Londini diaconus ordinatus fuit, anno vero 1407 priorem Cantabrigiensem agebat, 1419 vicarium provincialem, ac denique a. 1446 cum pluribus aliis pro reformatione provinciæ strenue laboravit.

tutis tuæ. Ex quo ad organum ejus, quod dignatio tua pro hac re poposcit, opportunitatis tuæ cum claustri libertate dimitti fratrem nostrum dilectum Thomam Aschewelle, non solum ea libertate donavi sed monui et rogavi, ac demum in virtute sanctæ obedientiæ ac merito animæ suæ mandavi, ne se quocumque colore a tua jussione diverteret, sed ut semper se tibi præsentem exhibeat et circa salutem animæ tuæ die ac nocte solicitam porrigat servitutem, pensata conditionis tuæ dignitate, tui status altaitate (sic), item ingenuitate natalium, (et quod omnibus impar est) incolumitate felici regni Angliæ, quam consilia tua saluberrima magnorum auxiliis freta sustinent auxiliante Deo ne lapsum incurrat sed efficiatur gloriosum. Secundum ergo propositum tuum Deus omnium conditor et redemptor ad perfectum ducat, et in adepto bono perseverare faciat sine termino. Tuæ dominationi illustri et paternitati sanctæ totum ordinem humiliter recommendo ac affectuosius Deum exoro, ut ipsam gratanter remuneret, quia per confratrem nostrum totam congregationem nostram exilem sic exaltat honoribus, sic suis favoribus præ participibus tuis singulariter circumfundit.

XXVII. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden exhortatoria magistro generali fratri Johanni Grossi ne resignet officio.

Litteræ nuper satis gratiosæ nostras venerunt ad manus, quibus optatam benedictionem a te percipere merui, et de propinquo tractatu capituli generalis audire. Mira res, venerande pater. Mira valde quod Ordo adhuc in multis partibus noviter cultus repente tradendus erit novo tironi et inexperto colono. Si tamen inexperto dixerim, qui quantumlibet aut sibi aut tibi videatur expertus, tamen tantum tibi in experientiæ syllogismo dissimilis, nulli nostrum sub tua paternitate videatur injuriæ cum dicitur inexpertus. Haud dubium est pauperculo Ordini grande dispendium tam veteranum

patrem rursus in filium, et filium vix grandiusculum in patrem prodire. Nisi forte ministerio (*sic pro* mysterio?) Spiritus Sancti per tuam industriam successor vere sui patris filius eligatur. Vere nulli in hac re novi detrahere, nec de aliquo alio ista scribens pene meditor, nisi de patre. Nollem alium patrem umquam. Multi boni, sed nullus talis. Ecce si adularer patri, jam tarde satis incepi, ad excessum paternum deveni, nihil præter benedictionem ejus de cetero accepturus. Parcat mihi tua gratia, satis piget me servum tuum a diu jam incipere militare sub alio. Sed esto quod verba mea non moveant, quid est quod pater meus me mortaliter peccare dixit si cederem portioni parvæ regiminis, et ipse non peccat si cedat in toto? Aut forsan quia longo vixit martyrio et non vult esse martyr, sed quia resistit ante tempus, perdet martyris gloriam quam incepit? Sed vult Ordini providere de pastore congruente dum vivit, et vult Ordinem de pastore probato viduare dum vivit. Aut timet schismatis malum dum vivit, sed post mortem quid contingat non timet. Ex intimo corde dico ecclesia patietur in filia sua mala, et istud erit unum malum, utinam minimum, de parva sinapi crevit arbor sententiæ satis magna. Et præter propositum primum simplex breve verbum dolor extendit in paginam. Vere, inquam, pater jam fatigatus et fessus laborum, veniam precor, si ad te personaliter non accedam. O quid iter exiens et de uno rediens ista meditans et videns oculis meis impleta perficerem. Dolor de suspicione cum irem, dolor certus cum redirem macrum facerent peregrinum. Mittuntur duo magistri vere probi, electi per provinciam in diffinitorem et socium, magister Willelmus Thorpe (1) et magister Johannes Kenynghale, sed non eadem

(1) Magister Oxoniensis, ab anno 1421 prior Norvicensis, 1428 assistit synodo contra hæreticos, 1432 Vicarius generalis per Angliam, obiit Lynneæ die et anno incognito.

(fol. 98b) via propter tumultuosa guerrarum discrimina. Quicumque illorum venerit filius vester erit. Adhuc reduco in memoriam patris mei, qualiter alias postulabam a patre meo potestatem renuntiandi officio. Gratiose pater concessit, sed satis ponderose contexuit quod mortaliter peccarem si facerem. O quantum horrorem quantumque pavorem in hoc verbo persensi. Et mirum est. Tremor sentitur ex verbo, sed appetitus mentis non minuitur. Vere pater, parvum opus scribendi, quid me languentem detinet, nec operari sinit nec quiescere. Agam quid jusseris, quia multi magistri et probi patres de provincia quietem vacationis ab officio non concedunt. Sed, optime pater, concede filio tuo pristinam potestatem, ut cum eis ut mihi videbitur congruum longævum votum deducam effectui. Non ut otio torpeam, nec detur locus inertiæ, Christus novit quantum vitam detestor inanem. Seu ne me rapax mors prius absorbeat, quam opus illud utile perficiam quod incepi contexere. Non ergo labores fugio sed commutare dispono. Ceterum, sancte pater, per magistrum impendia nostræ provinciæ pro anno elapso et jam instanti conjunctim tibi transmitto. Dignetur item tua bonitas per eum mihi committere Johannem illum quadragesimum quartum ad Caprasium monachum (1), vel alium de optatis libris si quem obtines adhuc ad justas meas expensas. Munusculum tibi parvum, utinam gratum, defert magister Johannes. Nescio si salvum tibi adducet. Aliud vero fuisset si non constarent pericula tot prædonum. Opto

(1) Agitur hic de opere Philippi Riboti *De peculiaribus gestis religiosorum Carmelitarum* (supra P. 268) in quo incorporatur liber Johanni XLIV perperam adscriptus. Forte MS. Lambeth 192 illud ipsum exemplar est de quo hic agitur. Pulchra enim scriptura eaque antiqua constat. Thomas Bradley versionem anglicam adjunxit.

tuam pater sancte benedictionem quem Deus pater omnium jugiter benedicat. Scriptum Londoniis.

XXVIII. Ex alia epistola ejusdem Walden ad eundem priorem generalem.

Reverendo &c. perennem obedientiam, salutem, et ad paterna vota pronum subjectionis cultum. *Item*. De profundo cordis clibano servitutem incensam &c. Quantum potest calamus atramento aut inscia mens dictando describere, gratias agerem, si facultas suppeteret tantæ tuæ paternitati gratas rependere vices. Sed mentis ingratitudo locum habeat, ubi caput reclinet, Deus etiam in natura constituit succumbenti, ut ubi ad æqualitatem non pertingit effectus, saltem quantum valet prodat affectus. Et sic quod non potest pingue munus, crassus in amore animus recompenset. Aut quomodo alias gratum persolvit Abraham Deo sacrificium, cum pro filio arietem obtulit, pro herede cui promissa est proles stellarum numero coæqualis ovem illam illiberam detentam, vepribus irretitam cornibus propinaret. Felix anima pro primicerio prophetarum in tribus vitulis cum paucis aliis partus sui gratum reddidit holocaustum. Et Christi genitrix pro Divina prole quam peperit duos pullos columbarum gratum fecit xenium. Ego igitur patri meo et animæ meæ quid digne retribuam pro omnibus quæ tribuit mihi? Dicere grates possum et scribere et hic omnium gratiarum finis et compendium. Pergo, mi magne pater, retribuat tibi Deus et animus repenset quod vocem meam audire duxisti cum et pro cessione rogarem. Tenemur tibi quod tam gratanter bachalaureum filium tuum et nostrum suscepisti, aluisti et fovisti. Ardua mala sustinuit illo in itinere, sed vulnera passionum ejus paternalis plausus et jucundus vultus abstersit. Venio ad calcem benignissimæ tuæ epistolæ, ubi dissuasisti ne cederem, intimans peccatum mortale simul et tibi et mihi ex hoc facto digne contingere. Fateor dirum hoc verbum et ex

ore patris jacula cordi meo dedisse candentia. Numquam me paternum verbum magis repente turbaverat. Libenter quiescerem sed non cum illa libenter emo mortalis peccati discrimen. Sed veniet hora, spero de brevi futurum, quando juxta Dei placitum debet patris vox (fol. 99a) lenire sententiam. Ad votum ergo tuum differo licitam facere cessionem; expecto adhuc sub jugo quod sacra manus tua pressit meis cervicibus. Postremo concepi quod prius non intellexi distincte adhuc, scilicet deberi tibi pro expensis conciliorum de provincia nostra magnam pecuniæ massam, et quod tanta superesset nobis quidam aliarum provinciarum patres dignum duxerunt, ut fertur, quia jam ad duo capitula non accessimus (1) quo ipsi grandes fecerunt expensas. Sed neque iniquitas nostra nec peccatum nostrum ; testor Deum quoad primum solam monitionem habuimus (octo dies ?) infra quos Balneolis celebratum capitulum. Ad secundum Montispessulani diffinitor noster cum duas partes complevisset itineris, ipsum capitulum rationabili ingruente causa usque alias dilationem accepit. Cum autem fuerat jam celebrandum ibidem tot grassantibus bellorum periculis, quod plures etiam probaverunt pro viribus iter tutum nulli nostrum patebat. Sed si ista non juvent dicant patres mei quot illorum ad expensas suas apud concilia generalia pro Ordinis simul et ecclesiæ statu sudabant. Apud Pisas procuratores habebat anglicana provincia sub mora prolixa, sicut ipse tu nosti. Apud Romam habebat. Habebat rursum Constantiæ. Et numquid graviores expensas habet unum generale concilium quam plura capitula ? Non ergo gens nostra vel pontifices nostri tradiderunt ista de nobis. Postquam tamen ista in capitulo nostro provinciali eis quibus incumbebant fuissent exposita ne mur-

(1) Capitulum Balneolarum (Bagnières) a. 1416 celebratum fuit, Montispessulanum vero a. 1420.

mur fieret ratio vicit. Sed amor filialis plus omnium militans ratione decrevit sine alia solutione prima tibi facta &c. Super hoc desiderant filii tui litteras responsales. Finaliter jam rogo cum quibusdam aliis magistris et patribus ut moderare digneris gratias quas abundanti cordis pietate visus es dare interdum protervis, nec potes de me sperare reformationem eorum quia habito tali baculo multi contra totum Ordinem defensionem quærent a laicis, vel forsan a sui similibus infra claustrum. Sed et aliud multo gravius quod jam practizatum est de novo, quia statim gratias tuas solent deferre ad curiam et confirmationem earum obtinere sub plumbo, et sic extra potestatem et tuam et meam transit reformatio gratiarum, nec sine magno detrimento et scandalo Ordinis simul et magnis expensis tales tunc possumus compescere insolentes. Sed et tuum esset, pie pater, talium malis obicem ponere principiis, pro quorum animabus simul et politico regimine Ordinis apud districtum judicem dabis rationem. Item jam ultimo rogo, magister optime, et plures mecum quatenus ad expensas nostras transcribi facias librum Johannis XLIV ad Caprasium monachum, qui liber magni pretii et honoris esset apud nos, maxime si emi posset ut haberetur in vetusta scriptura. Ceterum quanto citius possum destinabo tibi dictas cum taxatione provinciæ pecunias, quas intendo apud magistrum Willelmum Burdigalensem deponere. &c.

XXIX. Frater Thomas Walden proposuit coram Henrico Cantuariensi archiepiscopo et omnibus Angliæ præsulibus ex mandato regis XVII articulos super gravaminibus fratrum mendicantium quæ fiunt in universitatibus Oxoniæ et Cantabrigiæ ac aliis civitatibus et villis totius provinciæ anglicanæ, pro perpetuo remedio. A. D. 1421.

Incipit. Reverendissimo in Christo patri ac domino (fol. 99 b).

XXX. Litteræ universitatis Cantabrigiæ ad diffinitores et provincialem in capitulo Northampton (1) pro appellatione reverendi magistri fratris Willelmi Bekle (2).

Religiosis viris priori provinciali, doctoribus, diffinitoribus ac ceteris graduatis Ordinis fratrum Carmelitarum in provinciali capitulo congregatis, Cancellarius ac cœtus unanimis magistrorum regentium et non regentium universitatis Cantabrigiæ, Salutem et prosperos ad vota successus. Venerandi patres non ignoramus in hoc vestro collegio totum vestrum colloquium totumque desiderium residere, qualiter per varias mundi plagas salus hominum valeat utilius procurari. Intererit tamen summopere vestram prudentiam, quibus ex merito et officio suæ professionis incumbit oculos attente meditationis undique circumferre, ut ubi consequitur uberior fructus in clero, ac ubi religio magis extollitur, ibi meliores de vestris ac magis præcipui statuantur in fortissimos fidei pugiles postea promovendi, quos mater nostra immaculata in suo sinu fovendos amplexibus favorabilibus in filios recipiet ut alumnos, ac gradus honore et auctoritatis titulo decorabit. Et ut omnis sinistræ opinionis occasio tollatur de medio quæ forte oriri poterit ex quodam facto in nostra universitate..... (3) contingenter, quod ut veritas elucescat vestris venerandis paternitatibus decrevimus aperire. Sane quidam frater Willelmus Bekle in ultima convocatione cleri hujus regni contra statuta nostræ universitatis prædictæ anno primo suæ regentiæ se præsumpserat absentare,

(1) Capitulum provinciale Northamptoniæ celebratum fuit a. 1418.

(2) Gulielmus Beckley e Sanvico oriundus ubi per plures annos priorem agebat sicut etiam postea in Gallia, præsertim Calisiæ. Obiit Sanvici a. 1438.

(3) Quædam illegibilia.

non obstante sermone sibi assignato, ac per mensem ex gratia delato, ac tandem generalis processio sine sermone ac sine solita solemnitate continuis temporibus consueta peracta fuerat incomplete. Qui siquidem in adventu suo ad congregationem super istis articulis requisitus, ut videbatur singulis habentibus interesse, nulla rationabili excusatione allegata denuntiatus perjurus ac ab actibus scholasticis est suspensus, quod prædictus Willelmus non mediocriter ferens, ac frontose recedens, quasdam litteras ab excellentissimo domino nostro rege optavit gratiosas, suggestionem tamen gravissimam continentes, quibus ab universitate honorifice susceptis cum omni reverentia qua decebat, et plenarie intellectis, inquisitus super quadam appellatione an scilicet renuntiare voluerit vel tueri sub eadem. Petita deliberatione usque in crastinum, quo superveniente universitate non intimata recessit. Super quo facto omnes gremiales in unum mirabantur cum Christianissimus et metuendissimus dominus noster rex utrique parti mandavit discordiæ fomenta subtrahere, ac pacis seminaria complantare. Insuper, quod pejus est, ut dicitur a nonnullis quidam de vestris apud graves personas maculant famam nostram, quam potius tenerentur præservare illæsam. Hanc igitur materiam vestris paternitatibus discretionis maturæ libramine ponderandam duximus intimari, ut si quid in ea vestram potestatem concernens repertum fuerit devium reducatur, si quid informe reformetur, si excessivum corrigatur. Non enim vestram sanctitatem decet contumaciam ac rebellionem præcipere aut armare filios in parentes. Unde vestrum sanum consilium requirimus, ut pax et tranquillitas futuris temporibus conservetur, et ut præmissa pertractentur in hoc solemni vestro capitulo provinciali quo peritiores vestri sacri Ordinis dinoscuntur congregari. Quos ipse dirigat in agendis qui discipulis in unum congregatis apparuit et pacis concor-

diam commendavit. Datum Cantabrigiæ in plena congregatione regentium et non regentium quinto die mensis Julii (1421).

XXXI. Littera responsiva Thomæ Walden et capituli provincialis pro magistro fratre Willelmo Bekle ad prædictam. Anno D. 1421.

Reverendis &c devotæ salutationis officium et spiritum pietatis. Perlectis solemnibus litteris venerabilis (fol. 100 a) vestri cœtus apud tenuem conservorum vestrorum in Christo familiam. Hinc ad vestræ universitatis florentissimæ statum incolumen, hinc ad confratris nostri vestrique filii venerandi magistri Willelmi Bekle imputatum flagitium oculos duximus variatos. Venerabilis enim cœtus vestri præclarum ac pacificum statum venerantes amamus et diligentes amplectimur, sed de confratris nostri concepta querela turbamur. Annon famosa vestræ familiæ domus ab exordio suo crevit cum pace, magni instar templi de fabrica Salomonis? Nostis, optimi domini, probe nostis de hac vestra ecclesia dictum fore: Templum Dei sanctum est quod estis vos, in quo nil sonare permittitur nisi jugis tantum lectio legis Dei, argumentorum honestus conflictus, disputationum et responsionum suavium alternatus concentus, prædicationum moduli, varia studendi incrementa, bene vivendi adinvenire remedia, et delinquentis dedocere peccata. Recolite magistri celebres in hoc vestro templo semper hucusque quasi in pacifici Salomonis oraculo, non esse frequenter auditum ab olim malleum vel securim tempestuosæ turbationis seu litis. Soliti semper dolare lapides vestros, quantumcumque pretiosos vel grandes, sine strepitu contentionis extrinseco. Audivimus enim cum magna censura præfatum magistrum super sua ab universitate absentia, maxime prædicationis tempore quid diceret. Ac eum primo culpandum putavimus, nisi quia ut intelleximus postea, mandatum principis intercessit, quod

absque læsione fidei sive morum potuit pleno jure derogare statuto. Super hoc de vestra clementia præsumentes, speramus quod non plena sententia sed forsan ad terrorem et abundantem cautelam minatoria denuntiatis eum perjurum ac a regendi solemnitate suspensum. Quia si templum vestrum antiquitate pacis est templum (ut diximus) interior magnæ congregationis domus et sanctum sanctorum, potestne vacare tumultibus, ubi velum est propter secreti secessum, et duo Cherubim, i. e. plenitudo geminæ scientiæ, divinæ scilicet et humanæ, obumbrantia, non fastus regii thronum, non judiciariæ locum ultionis, sed propitiatorium pietatis. Ad hoc nempe debet omnis sapientum insudare sententia, ut fortiter parcant et cum pietate deserviant. Chrysostomus noster dicit misericordiam sine justitia non misericordiam sed fatuitatem, ita justitiam sine misericordia crudelitatem. Scitis et psalmistam dixisse non solum ad Deum sed et ad ejus vicarium judicem : Si iniquitates observaveris quis sustinebit? Iniquitates enim observat qui nocendi et tempus et locum sollicitus quærit, et ad sæviendum insidias quasi ponit. Sed quia apud Deum propitiatio, sustinuit. Non his tamen verbis ignobiles in matrem filios animare (quod absit) proponimus, sed dirum patris edictum justa informatione præripere si valemus. Cædat pater flagris, suam torqueat mater prolem, corripiant, suus est filius quem flagellant, hoc audemus dicere, si mater sit commovebuntur viscera suo super filio. Appellavit, dicitur. Appellavit, fatetur a futura penitus sententia terrore victus rigidi judicis. Sed ob honorem Dei et pacis intuitum quam piissimus princeps dominus noster rex singulis commendavit, ex animo suspendat paululum manum vindicem alta severitas, et humilem sibi filium consiliabit humilitas. Porrexit enim nobis si veræ sint, excusationes ex omni parte plenissimas, quas itidem

cum apud dominationes (fol. 100 b) vestras præsentatæ fuerint et prolatæ, gratas habebitis ut speramus. Coram Deo concorditer dicimus, non erit de filiis vestris contumax quisquam bonus frater noster, ac per hoc nec transgressor impunis qui matris suæ famam violare aut statuta rata contemnere vel honestis consuetudinibus obviare conatur, vel saltem obviat in effectu. Conservet dominum cancellarium singulosque magistros unicus Immaculatæ Virginis Filius qui duodennis sedit in medio doctorum audiens et interrogans. Datum a nostro provinciali capitulo &c.

XXXII. Ex littera magistri fratris Johannis David provincialis ministri Ordinis Minorum ad fratrem Thomam Walden suosque fratres in capitulo Northampton congregatos, pro perpetua pace et amicitia amplianda, elargientis etiam illis singula Ordinis sui suffragia.

Prædulcissimæ devotionis ac scientiarum radiis illustratis priori &c. omnimodas reverentias cum vinculo indissolubilis fraternitatis et amoris &c. *Et sequitur infra :* Nolumus insuper aliquem nostri Ordinis fratrem in scholis vel sermonibus aliquid quatuor Ordinum pacis perturbativum asserere, ut de patronis duorum Ordinum, de Conceptione Virginis, vel de paupertate evangelica, quæ minimum scholasticis fructum afferunt quin potius dilectionis vinculum dissolvunt. Insuper in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis &c. Valeat vestra veneranda paternitas in æternæ pacis principe summo qui habitare facit unanimes in domo, qui vos vestrosque sic ducat per temporalia ut non amittatis æterna. Datum in nostro capitulo.

XXXIII. Ex littera responsiva ejusdem Walden ad eundem.

Religiosissimis viris apud quos thesaurum geminati talenti perfectæ scientiæ et voluntatis optimæ reconditum esse cognoscimus. Reverentiam spiritus debitam et tam sanctæ vestræ congregationis perpetua suffragia promereri &c. *Item*

sequitur. Procuratores in hac parte reverendos magistros fratres Thomam Aschewelle et Johannem Upton assignavimus &c. *Item sequitur* Opiniones de conceptu Virginis in originali vel extra, de patronis Helia et Augustino in Carmelitarum vel S. Augustini religionibus Christo devotis, de nihil habendo in proprio vel communi, quæ omnia vix quicquam eruditionis conferunt in scholis, nostris inhibemus &c.

XXXIV. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad priorem Carthusiensium de Schene super translatione fratris Johannis Boxhole (1) Londoniensis de Ordine Carmeli ad Ordinem Carthusiæ.

Recolo quales in religionem fecit calumnias. Dixit se inter nos bonum esse non posse, nos regulam quam vovimus non observare multaque prætermittere, sicut de abstinendo a carnibus. Huic ultimo satisfacit Bernardus. Qui secundum regulam, inquit, vivere statuunt etsi non ad unguem totam custodiant et si quæ pro sui claustri ritu vel mutant vel prætermittunt, a regulari tamen omnino professione non discedunt donec tamen sobrie et juste et pie pro suorum viribus vivere non desistunt. Hæc ipse. Non ergo regulam profitemur sed vivere secundum regulam. Qui se ideo perjurum putat quod ad purum regulam non observet videtur non satis ostendere quid juravit. Hac tamen excusatione non omnes nostri Ordinis professores a regulæ obser-

(1) Carthusia sub titulo Jesu de Bethlehem apud Sheen prope Londinum a. 1415 fundata fuit et a. 1417 incorporata. Primus prior ad quem litteræ istæ directæ fuerunt erat dom. Joh. Widrington († 1431). De Johanne vero Boxhole nulla occurrit memoria neque in cartis capp. generalium Carthus. (MS. Lambeth 413) neque in aliis quas Ven. dom. Palæmon Bastin mihi remisit.

vantia excludo, quam multi nostrum sancte immo sanctissime tractant, et cum omni rigore ad liquidum servant. Sed et de perjurii laqueis infirmiores nostros conor eripere, quos, si justos claustri ritus observent, quamvis multa regulæ monita prætermittant, constat non esse perjuros. Ex infirmis enim et fortibus congregavit Christus ecclesiam et fortes faciunt quod infirmi non possunt. Et hoc forsan de fratre nostro quoad regulæ vestræ observantias (fol. 101a) experientia comprobabit quod fortes et jam perfecti quædam de vestra regula observabunt quæ frater Johannes adhuc non attingit. Sed quid est quod frater noster incaute dixerit quod nobiscum bonus esse non potuit? Quid si iterato respondeam nostrum hoc non esse peccatum, nisi forte cœlum putet esse culpandum quod ibi primævus apostata bonus esse non potuit. Certe non potuit quia non voluit, nec potuit nisi volens. Nonne sanctus Michael ibi bonus, nonne Gabriel, Raphael, Uriel et omnium cœlestium virtutum numerus gloriosus et tripartitus ordo coruscans? Quot intra nos sancti patres et sunt hucusque et fuerunt ante nos, et solus noster Johannes nobiscum bonus esse non potuit? Sed respondeat frater noster ubi juveniles evicit passiones, ubi motus illicitos superavit, nonne nobiscum? Ubi didicit sanctam sapere vitam, ubi spernere mundum istum, nonne nobiscum? Ubi, rogo, castimoniam diligere et sanctimoniam exercere concepit, nonne nobiscum, qui ab adolescentia cœpit convivere Carmelitis? Non alium testem exigam quam meipsum, ut inferam fratri meo Johanni quot in mundi contemptu querimonias egimus, quot in sanctis et quotidianis confessionibus coeffundimus lacrimas, quoties mediam noctis partem expendit in preces quando gravatus somno aut frigido marmori aut saltem tabulis duris frigida membra copularet. Et taliter enutritus apud nostros non veretur dicere quia vobiscum bonus esse non potui. Parcite mihi, quæso, injuriatum

me sentio. Ad vos dico, venerandi patres et confratres nostri carissimi, non tristetur frater noster Johannes, pro illo enim vobis gratias ago, nam bonum fortasse facietis, qui ut suis utar vocabulis, nobiscum bonus esse non potuit. Ceterum in alleviationem oneris nostri si præbueritis assensum quadraginta fratres vobis destinabo ut meliores hos faciatis, quorum nullus nostro Johanne deterior, nullus pejor. Quid de his senseritis si placeat rescribatis. Scriptum London. VIII Kal. Aprilis A. D. 1415.

XXXV. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden venerandæ discretionis viro domino Thomæ Fyschbourne, confessori ancillarum Christi in monasterio sanctæ Syon, Ordinis S. Brigittæ, super inobediente Præmonstratensi monacho.

Vide infra. Videtur sibi reclusi derogare statui quod debeat cuiquam obedire mortali. Et pro illius omnino perfectæ vitæ præsumpta libertate partes facere temptat, ne illi obediat cui se semel vovit. Non ultra Scripturas sed admirationem clamare compellor : O verbum non ferendum, o verbum multo verbere dignum. Religiosus vir ex vi status sui nulli tenetur obedire mortali ! Quis hanc dictavit aut dictatam posset affirmare sententiam ? Quem eum dicam aut cujus regulæ professorem nisi ejus qui cuncta conscendit astra volens super ea suæ perfectionis ponere solium, nec in hoc contentus ut similis sit Altissimo nisi transcendat Altissimum. Volumus scire annon Jesus Dei Filius et puer existens et homo perfectus curavit obedire mortalibus ? Nonne pauperibus obedivit ? Nonne fabro feminæque subjectus est ? Quid enim Lucas refert nisi quia descendit et erat subditus illis ? Super quo Basilius noster inquit : Ab ipsa ætate primæva parentibus obediens quemlibet laborem (fol. 101b) corporeum humiliter et reverenter sustinuit. *Item alibi.* Paulus nquit subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum &c. Scriptum London. VIII die Februarii.

XXXVI. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad magistrum fratrem Philippum Raythey (1) provincialem Hiberniæ ne ulterius recipiat apostatas Angliæ nisi ad carceres.

Reverendo magistroque famoso &c. seipsum et suos sui suorumque participes fieri meritorum. Instat hora ut vir probus frater Nicolaus qui tuis litteris peregre venit visitare sanctum Thomam jam iter capiat ut revertatur. Quare id altius negotium exigit necesse est ut calamus properet, et diu mentibus multorum fratrum vulnus publici murmuris edidit. Ibi fundamus ubi non potest non esse auditus. Nosti antehac querelam anglicanæ fuisse provinciæ versus tuam provinciam pro receptione apostatarum et vagantium fratrum qui ibi recipiuntur ad honores, postquam nostris vix sunt digni carceribus in magnum religionis discrimen et contra sanctos canones &c. *Ubi etiam notatur statutum Appamiarum* (2). *Et sequitur* Virtute præsentis statuti reverentiam tuam rogo fratrem Johannem Artour ad Angliam secure remitti cum aliis &c. *Et sequitur postea* Valeat semper tua veneranda paternitas et experiatur Anglia te ejus esse simul et patrem et filium generosum. Jam ad octo dies unum remisi studentem Alemanniæ provinciali, quem petivit virtute statuti, nec sacra celebrare quousque veniret illuc usquequaque permisi. Scriptum London. a. D. 1425 secundum computationem Angliæ in die citationis nostræ, præsentibus

(1) Vide supra P. 397.

(2) Ex actis capituli Appamiarum a. 1425. «Item ordinamus quod a modo fratres sint filii illorum conventuum in quibus recipiunt habitum. Item ordinamus quod nullus frater nostri Ordinis possit se transferre quoad filiationem in aliam provinciam, et si ita factum restituat totum quod habuerit in sua provincia.» Capitulum vero a. 1430 cum provincia Angliæ super transitu ab una ad alteram provinciam dispensavit.

duobus in theologia magistris, priore London. et regente cum tribus in theologia lectoribus et aliis fratribus professis in bono numero.

XXXVII. Ex epistola ejusdem Thomæ Waldensis ad priorem Norvici magistrum fratrem Willelmum Thorpe ut restituat monachum suo monasterio quod temere dimisit.

Carissimo suo salutem et spiritum consilii sanioris. Nescio quid primum dicam &c. *Et sequitur multum postea* O ergo dulcis magister, prædulcis frater, pater, fili hactenus amantissime, qui cordi ingenuo hanc improbitatem incussit &c. *Et diu postea sequitur* De ceteris rescripsi dilecto magistro fratri Johanni Kenynghale. Vale dilecte magister. Scriptum Londoni.

XXXVIII. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad priorem Eboraci (1) magistrum fratrem Johannem Bate et ad fratres ejusdem conventus.

Priori, magistris ceterisque fratribus universis conventus nostri Eboraci salutem quam utilis sit in terra pax habentibus bonæ voluntatis. Communis plurimum patrum nuper ad me pervenit querela de verbo quod prædicando Doncastriæ in conventu frater Johannes Leysyngus in Purificationis festo elapso protulit in præjudicium ecclesiæ parochialis, dicendo oblationes ejusdem festi ad arbitrium offerentis æqua licentia posse fieri in aliis ecclesiis sicut in parochiali ut aliæ

(1) Johannes Bate, Eboracensis, doctor Oxoniensis, in græcis æque ac latinis litteris peritus, scripsit inter alia (quæ videre est apud Trithemium, Baleum, Lezanam &c.) actum pro introitu ad Bibliam, inc. Cooperatores simus veritatis; item varios actus scholasticos, inc. Helias proficiscens in Damascum Heliseum arantem in agro reperit. Obiit Eboraci 26 Januarii 1429 (1430 ?) sepultusque sub petra istud epitaphium continente:

Bati doctoris hæc condit petra cadaver.

oblationes votivæ. Doleo filium meum sic peccasse. Taceo quod contra hoc verbum jura clamant ecclesiæ, quod consuetudines sacræ quæ temporis vetustate legibus æquipollent. Sed evangelium festi miror quoniam noster filius non adverterit circa quod concors turba doctorum scribit beatam Virginem synagoga Bethlehem dimissa non sine illius jussione quem pepererat majoris templi petiisse limina ut magno offerentis voto loci celebritas responderet &c. *Postea sequitur* Parco Scripturis, ne cum filio meo contentiosus inveniar, et consulens negotio, volo juxta votum venerabilis (fol. 102a) domini abbatis et prioris conventus nostri Eboraci magistri fratris Johannis Bate, ut locum prædictum filius noster quem infecit et populum ipsum sese declarando sine devio colore reficiat. *Et sequitur* Debuit filius noster eo cautius prævidisse et vitasse periculum quo audivit præsentius constitutionem capituli nostri jam ultimo Oxoniæ (1) celebrati contra tales in prælatorum præjudicium prædicantes &c.

XXXIX. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad priorem et conventum Jernemutanum (2) super quodam percussionis facinore perpetrato in conventu.

Magistro et ceteris patribus &c. Salutem et studium observantiæ salutare. Obriguit cutis mea et vultus expaluit audito visoque tam horrendi casus scelerato processu qui non juniores quosque aut infirmi respectus homines infecit, sed ut illud Scripturæ inferam, jam in angelis suis Deus reperit pravitatem. Et quorum scemate vernare debeat religio horum turbido fastu (quantum in eis erat) jam lapsum sustinet inauditum. Lugeo nempe sacri claustri silentii in furiosas congressiones, item in sancto dormitorio loca esse perversa,

(1) Capitulum provinciale Oxoniæ a. 1426 celebratum cujus acta deperdita sunt.

(2) Yarmouth.

lugeo juvenum scandala, insolentum exempla bellandi, seniorum et sanctorum patrum diruptam esse quietem, cum hoc quod doctoralis honor et reverendum fastigium de temeratissimo ausu maculam gerit in gloria. Hi sunt fructus et nocturnorum conventuum et potationis serotinæ. Hæ sequelæ de circulis tabernarum et villanæ frequentiæ non raro proveniunt. His gaudeat qui claustralis continentiæ non gaudet sancta sentire. Jam ergo cum priore vestro exploratis eventus hujus mali causis pro communi providebam remedio. Credatis nostra esse quæ vobis exponet. Quantum autem ad facinus percussoris non nostra manus sed altissimi patris nostri remedia beneficii plenioris accersat. Post pœnitentiam carceris per integri mensis spatium pro pœnitentia Ordinis ad nostram obtinendam licentiam in litteris nostram item non omittat præsentiam visitare.

XL. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad magistrum fratrem Thomam Aschewelle super diffamatione quorumdam.

Reverendissime magister salutatione præmissa. Æquum duxi fraternitati tuæ consolationis verba transmittere ne tristitia absorberetur, sed confido plusquam æquanimiter satis et spe recta in Christo Jesu novit adversa sustinere quæ accidunt. Morbum enim cordis statuit et naturam spoliat viribus imprudenter qui omnium occasioni mœstitiæ luctus adversæ fortunæ viam concedit. Tamen hæc et similia innumera etiam cor viri justi per vices occupant. Sicut carnes Abrahæ volucrum turmæ quas occidere non potuit sed abigebat. Didicisti nempe quomodo tristibus suis dixerit Paulus expertus casum: Confortamini in Domino et omnia vestra in caritate fiant. Gratias age si tibi flagella sua contemperet qui sine flagello filium non dimittit. Flagellat enim omnem filium quem recipit. Et flagellorum instantiæ causant saltem in filiis Dei incrementa prudentiæ et in-

gentis monumenta cautelæ. Priusquam humiliarer ego deliqui, dicit psalmista. Ceterum, dulcis magister, quando cum extraneis verba te habere contingat, sit sermo sale conditus et quantumcumque videatur esse fidus cui loqueris occurrat tibi cur dictum sit : maledictus homo qui confidit in homine. Et ne omnem fidem absumere videar inter amicos inter spem et metum libret verborum brachia prudentia colloquentis. Corrigetur hac de causa frater Willelmus C. de quo acerba fama discurrit quod improperiose dixerit cuidam mercenario London tuis in partibus multa de civibus nostræ civitatis London. Audies forsan in posterum. Non vacat plus scribere nuntio festinante. Vale in auctore salutis Christo Jesu (fol. 102b).

XLI. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad magistrum generalem.

Tuis litteris venerande pater in Januario receptis tuam intellexi jussionem ut ad sacrum generale concilium nuntios providerem, et qualitas oneris de mente mea non excidit. Verumtamen quia percepi locum antefixum ecclesiæ non placere nec esse adhuc quicquam grande agendum inter convocatos ad idem, adhuc supersedeo de mittendis magistris quousque alia percipiam nova de majoris cœtus accessu, et maxime domini nostri Papæ vel Cardinalium sine quibus nihil grande potest ibi cum effectu concludi, vel quousque aliud quicquam de iterata tua missione percipiam. Parcat mihi magna tua paternitas si ego ipse in persona non accessero. Tot enim fatigatus laboribus ultramarinis et tantam officii mei in absentia ruinam perpendens, statim quantum sine tua contradictione sufficio, quod mihi semper absit ne ultra maris nostri terminos passum pedis extendam. Duos idcirco venerabiles viros, et non dubium in religione, in scientia, in omni morum honestate perspicuos juxta patrum in capitulo provinciali vota delegi, scilicet magistrum Wil-

lelmum Thorpe et magistrum Johannem Beston, (1) primum Oxoniensem, secundum Cantabrigiensem. Primum jussionis vestræ nuntium, secundum æque tuæ paternitatis obsecuturum ut spero. Sed novæ expensæ grandes sumptus cervicibus pauperum violentum pondus imponunt. Mitto tibi insuper per præfatum Thorpe ut hactenus ipse jussisti consuetam taxationem. Sed rogatam habeo paternitatem tuam quatenus per te aut per ipsum innotescat mihi verbum si quomodolibet recepisti. Jam enim pro anno præterito et expensis tuis in concilio misi tibi etiam per eundem magistrum LXVI florenos seu seminobilia nostra et nullum adhuc audivi de receptione responsum. Quod si hac vice non venerit verbum formidabo alias mittere, fraudem metuens delatorum. Custodiat tuam præsidentiam longævis temporibus qui præsidet universis.

XLII. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad magistrum fratrem Willelmum Costall priorem conventus Burdegalensis.

Patri semper amando &c. Salutem et antiquæ semper officia servitutis. Misi tuas ad manus jam anno præterito LXVI florenos seu seminobilia ulterius magistro generali destinanda, de quibus nondum accepi responsum, quod igitur pavesco. Attamen jam infra triduum accersit me quidam Thomas qui se litteras tuas recepisse testatur quas mihi per alium quemdam se misisse confirmat, longo et incerto maris tractu offensus. Has igitur renovare digneris si sic certificari promerui de tua receptione auri prætacti, simul et hujus summæ quam habes accipere de novo e manibus cujusdam mercatoris Nabdyn appellati ad eundem patrem generalem suæ taxationis loco pro hoc anno celeriter et provide destinandam. Necdum de scriptura quam olim tibi exposui habeo quicquam responsi, saltem si tutus esset pro nostra gente

(1) Vide supra P. 405.

illuc accessus, mittere illuc unum confratrem nostrum ad prædictum opus explendum. Rogo ne te pigeat respondere prædictis.

XLIII. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad priorem et fratres conventus Cadomensis pro fratre Thoma Kypas in Anglia oriundo.

Reverendæ religionis viris &c. Salutem et habitare fratres in unum. Paternitatibus vestris ut moris est et debiti intimare curavi qualiter frater Thomas Kypas (1) filius et confrater nostræ provinciæ Angliæ oriundus postquam per aliquod tempus jugo religionis excusso sæcularis conversationis vomitum repetebat. Divino tandem instinctu congregationem fratrum in unum quam ipse pro posse suo disperdidit jam rediens recollegit. Suscepimusque ipsum inter fratres et de pœnitentia diuturna quam ut in litteris vestris prospexi libenter explevit gaudemus et auctoritate nostri provincialatus officii absolvimus quantum potuimus, ad celebrationem sacrorum admisimus, consequenter in partes quoque vestras regressum liberum sibi concessimus ut amicis et fratribus salutatis quibus non parum tenetur (fol. 103a) ut dicit, tandem sine mora in provinciam nostram unde exiit protinus revertatur.

XLIV. Ex epistola ejusdem Thomæ Walden ad magistrum generalem.

Reverendo &c. Salutem et obedientiæ munus semper ad vires. Longe distat a filiis tuis tua paternitas quasi remotus et inaccessibilis locus plus placeret. Nos filii tui de provincia Angliæ de conspectu tuo secernimur, ut abjecti deserimur, negligimur ut ingrati. Idcirco, dignissime pater, proborum patrum actus consilio baccalaureum Oxoniensem fra-

(1) Thomas Kypas Nottinghamiensis a. 1392-3 subdiaconus ordinatus per episc. Lichfeldensem et Coventriensem.

trem Johannem Kenynghale tuam perlustrare sanctitatem et visitare ex omnium persona mandavimus, ut ejus relatione nosse poteris cui cura de nobis principalis incumbit, quæ et qualia geruntur apud nos, qualiterque cultus Dei et religionis status invigilet et nos iterato tuarum jussionum et statutorum sive generali capitulo seu ex privata tua monitione quicquid de nobis filiis tuis providere et accurare (sic) digna-ris; una cum aliis aliarum partium nostris confratribus communem portionem nostram assequi valeamus. Restat aliud quod nulla ex parte censeo transeundum, quod jamdudum hoc anno circa festum Purificationis Londonii litteras quasdam accepimus venerabilis et ex toto corde dilectissimi patris mei et magistri Willelmi Costall prioris Burdegalensis annotantes objectum mihi multiplex crimen apud tuam sanctitatem de quibusdam sinistre dicentibus, quod excessu rigoris quo utor jam declinare fecerim post Satan circiter centum fratres, quod tuas gratias fratribus passim concessas violenter disrumpam et abstraham, et in scandalum meum potestatem tuam et reverentiam dignitatis injuriose pertractem. Si Johannes Wewelle (1) tanti apud excellentiam tuæ paternitatis momenti locum habeat, ut talia audeat et valeat sine juridica probatione conferre, lugeo me ad tam vilem coram egregio magistro devenisse respectum. Quia numquam aliquid certius credidi quam me semper patere debuisse morsibus malignorum. Si enim talibus complacerem Christi servus non essem. Si enim extremi non sunt, si non audaces aut frequentes apostatæ, si non fures et raptores famosi, si non carceribus in omni pene loco pro sacrilegiis suis aut incontinentiis et spurcitiis assueti, qui talia fabulantur, cadam in conspectu eorum et ipsi gratulentur avide malis meis, et tamen cum his omnibus misericorditer abundarem, timeo ne

(1) Seu Orwelle, aliunde incognitus.

impunitatem illorum in caput meum adduxerim. Si talium rumoribus ex innata prudentia cohæres, miror cur me filium tuum dissimulas impetere et ceterorum valentium patrum pro certitudine veritatis habenda testimonium degustare non vis. Si ipsis non credis, quid ego deliqui ut talem communem infamiam non evado? Sed absit ut talibus faciliter tam prædigna paternitas (1). Scis enim de more nostri generis esse correctores suos moleste ferre punitos. Sed in istis nolo talis inveniri nec tam crudelis, ut spero. Sed neque meipsum judico. Vellem, reverende magister, quod aliis loquentibus audires, percipies forsitan quod in grandi reverentia semper ut debui litteras tuas habuerim, etiam quas tuo mandato debueram cancellare, et novit Deus qui per apostasiam recesserunt, nescio si peccatis meis exigentibus tale lamentum promerui. Sed scio quod non tam propter rigorem meum quam propter illorum levitatem suum facinus delegerunt. Sed scio etiam quod non tot apostatarunt in cura mea quot diebus aliis solebant, et quot ab antiquo facinorosi diebus istis ad pœnitentiam Ordinis reversi sunt, et suscepti cum gaudio, alias sunt dicendi. Quotque provecti juvenes ad Ordinem intromissi sunt, cum expertus es gaudeas in Domino. Accusatus mihi videor apud sanctitatem tuam et quicquid ore meo dixerim in favorem meum jactanter inveherem, sed opera quæ ego facio ipsa testimonium perhibent de me. Est jam unus confrater noster Laurentius Clerke de conventu Sandvici, qui propter invalescentem pestem in conventu nostro London, in quo XXIV annue obierunt, ad succurrendum conventui per capitulum nostrum provinciale Gyppisvici per litteras amotus est. At ille nulla alia jam interveniente causa ex parte nostri verbo, jussu vel littera, postquam tamen scriptam obedientiam expectaret XI septimanis, tandem ut (fol. 103b) prior

(1) Aliquid omissum.

ejus retulit, facta seditione sæcularium in villa ad interfectionem prioris et combustionem conventus apostatando recessit, et ut litteratim ad te scripsit, quoniam talis remittatur impunis omnimode miraremur, et saltem quousque plenam informationem receperis omnino ne facias, quia nisi cum grandi instantia permitti non potest a nobis impunitum tantum flagitium. Tui sumus, venerande pater, obedientiæ filii et pluris ut credimus apud tuam sanctitatem quam unus filius contumax esse possit. Neque justum æstimamus ut nobis sic per eum spretis et contemptis ipse solus tuam apud sanctitatem gratiam consequatur. Nec tamen crudelitati studemus, quod Deus novit et nobis absit. Sed magis volumus unum perversum digne puniri quam centum oves ex ejus impunitate disperdi. Incolumem te conservet Dei Mater. Scriptum in nostro conventu Gyppisvici VIII die Martii A. D. MCCCCXX (1).

Finis epistolarum Thomæ Walden.

(1) i. e. 1421 juxta stylum hodiernum.

Epistolæ B. Baptistæ Mantuani

I. PETRO SPAGNOLO patri suo
Frater Baptista Mantuanus Carmelita (1)
Salutem plurimam dicit.

Miraris fortasse, mi pater, ut arbitror, et tecum ipse cogitas qua causa factum sit ut noviter relictis terrenis illecebris me inter electos magnæ Matris Dei milites ascribi fecerim, qui solebam paulo ante inter diaboli commilitones versari; sed ut mirari desinas omnem rem tibi a principio narrabo. Qua audita non dubito quin factum laudes, et ad perseverandum me tuis verbis incites. Quod ut facias oro. Nam forsitan et procul dubio plus deinceps me admonendo proficies quam hactenus potueris. Facilius enim in bene disposita materia introducitur forma quam perturbata. Sed ne longiori utar exordio quæ dicturus sum breviter explicabo, exclusis omnibus rhetoricis coloribus, ne videar potius fictam velle verosimilem reddere quam veram simpliciter aperire. Veritas enim nudis et simplicibus verbis explicari semper postulat.

Postquam eo cognitionis perveni, ut discernere potuerim quid bonum quidve malum sit, cognovi quantum religio mundana vita præstaret, per quam tot felices animæ ad cœlestia exutis corporibus evolarunt, ut difficile sit numero comprehendere. Nihilque ad eam me magis capessendam retardabat quam mala hominum mundanorum conversatio.

(1) MS. Selden 41 supra. De B. Baptista Mantuano vide supra P. 261. Eidem Petro Spagnolo patri suo opus *De Vita Beata* inscripsit.

Nam si fortasse aliquando post multa delicta humana fragilitate commissa facti pœnitebat, proponebamque in animo nolle amplius peccare, ecce cum in sodales meos incidebam more juvenum hic se foris pernoctasse gloriabatur, ille aliquod flagitium commisisse jactabat. Nec inter illos quisquam acceptus erat nisi qui tale quid fecisset. Et hiis (ut me ipsum accusem) magis quam Omnipotenti Deo placere studens, me quoque interserebam, ut postea ad me rediens tanta efficerer verecundia quod nequibam sanctorum imagines in templis pictas respicere. Hujus rei testis est immortalis Deus, qui solus novit hominum cogitationes. Nec te moveat quod ea quæ de me prædico nullo fortassis signo umquam perceperis. Nam hoc unum scias velim, scilicet nullam rem apud me magis exosam semper fuisse, quam boni ostentationem ut semper maluerim esse quam videri; teste omnipotente Deo, quem omnes visuri sumus in judicium procedentem.

Neque hoc dici putes magis cupiditate laudis quam veritatis exprimendæ causa. Similiter de se Divus Hieronymus prædicat. Ait enim id sibi aliquando fuisse quod choreis interfuisset. Nam scribens librum de Viris Illustribus se quoque inter illos connumerat. Quæ res non laudum cupiditati (quæ in viro sancto nulla erat) sed animo verum volenti exprimere magis imputanda est. Erubescebam itaque peccata mea considerans, et in hac consideratione mihi in mentem veniebant hæ binæ sententiæ, scilicet oportere omnes homines semel mori, et Deum unicuique secundum opera sua redditurum. Advertebam similiter nobis rationem attributam ut ea uteremur ubi opus esset. Opus autem videbam uti ea contra varios animi motus illicitos, scilicet iram, invidiam, luxuriam et pleraque alia immortalis animæ vulnera exitialia. Conabam interdum ab his me penitus abstinere, sed si semel fortisan restitissem, decies victus succumbebam. Quis enim posset sine similagine in pistrino frequenter versari? Deliberabam

omnino mundum relinquere, quod utinam puerulus fecissem. Non enim æterni tantum Judicis majestatem miser offendissem. Si tamen præstat aliquando quam numquam bene operari et mentem meam explere, semper aliquod ante pedes offendiculum inveniebam. Nam modo longa jejunia considerans expavescebam, et quod magis est et maximum omnium propriæ voluntatis abdicatio me desperare cogebat et plura similia me impediebant. Inter quæ unum hoc quod te credo adhuc latet: apud te juvenis cum semel Tiresiæ portam egressus essem ut Divi Benedicti cœnobium, quod ab urbe distat decem milia passuum mutandæ gratia vitæ peterem, cœpi mihimetipsi dicere: Demens, quo tendis? Oportet ut priusquam illuc venias Padi transeas alveum quod nequaquam sine portorio valebis, et licet transieris si forsan monachi te repellant, quo redibis? Domumne? Non equidem. Nimis enim crudem experire patrem. Et hac causa retentus domum redivi, et statui quidnam mundus esset et quid in se boni haberet experiri.

Tunc, ut nosti, Paduam perrexi. Ubi anxietates varias passus sum, scilicet sitim, famem, nuditatem et servitutem. (1) Rursus Mantuam reversus omnia perturbata reperi et suspicionem falsam piget dicere, sed dicam, quæ me per diversa pericula extra limen paternum rejecit et quasi sub pelagi fluctibus submersum. Hoc demum concludere possum, ubicumque fuerim me semper adversam habuisse Fortunam, et semper illam senili facie et contractis superciliis, quod iracundiæ indicium est, vidisse minantem, et me forte in desperationem compulisset, nisi Omnipotentis Dei validissimum illud antidotum prius recepissem. Hoc est: *si vos de mundo essetis, mundus quod suum esset diligeret. Sed quia de mundo*

(1) Videtur in manus feneratorum incidisse, qui eum expoliaverunt.

non estis vos mundus odio habet. Et habeat; par pari referens ego quoque illum odio habebo. Vivat mundus cum suis pompis, illecebris et deliciis, ut demum in profundum inferni corruat. Ego pauper, despectus, pannosus procul a turbis hominum degam, ut tandem cœlestem adipiscar patriam. Sic quoque sancti fecere patres, qualem Hieronymum, qualem novimus eremitam Paulum et Antonium et horum principem Johannem Baptistam. Hoc pacto vivens cum propheta cantabo: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

Nec volo existimes me naufragii timore id voluisse. Et tamen quoniam ex voto feci si libet audire causam voti tibi recludam. Patavii eram et ibidem contagiosa pestis dominabatur. Ecce nescio quo dierum instar glandis sinistro in femore mihi intumescit. Quid facerem nisi timerem. A quo auxilium peterem nisi ab illo inexhaustæ pietatis fonte Maria Virgine? Petivi. Impetravi. Nonne æquum est ut servem pactum? Justum est utique. Petieram enim ea conditione ut si me liberaret, Illi in perpetuum servirem. Volui illico religionem induere, sed nescio quibus retentus laqueis distuli. Et cum a patria Venetias iterum navigarem Salvatrix mea negligentiam meam intelligens, fluctus maris proram misere ferientes in oculos meos excitavit, ut in memoriam voti redirem, nec amplius differrem. Cum data fuit commoditas mature executus sum. Nunc vero jucundissima fruens quiete melius et liberius intelligere possum, quid sit humana conditio, quæ recte potest puerorum animis comparari, qui modo irascuntur, modo pacantur, nec umquam in eodem permanent statu. Sic humana conditio in qua cum stabilitum te putes et firmatum, tunc magis ruina timenda sit.

Hoc tu ipse nonne expertus melius me tenes, nihil in ea tutum nihil perfectum? Si opes quæris, vide quid Marco Crasso propter eas acciderit, qui aurum flammis liquefactum

bibit. Si imperium vis, in morte Julii Cæsaris speculare. Si eloquentiam desideras, adverte qualem Ciceroni finem dederit, cujus caput cum dextera pro rostris ubi sæpius peroraverat, suspensum fuit. Sunt igitur hæc omnia vanitates, et potius laquei sub gramine latentes, quibus imprudenter capimur, captique tenemur, donec anceps adveniat qui nova præda lætetur et exultet. Et hæc tria quæ prædixi sunt illa in quibus pene omnis humana spes versatur. Quod si ea quæ tantum æstimantur vana sunt, quid ea dicam quæ non tantum reputantur? Nonne vanissima? Sunt nimirum. Visne igitur in vanis spem meam collocem? Non ut existimo. Quod si velles, salva pietate nollem. In hoc enim esse crudelem maxima est pietas, teste Hieronymo qui ait: *si pater in limine prostratus fuerit, percalcato perge patre.* Recte dictum est illud; debeo namque patri præferre quem et animæ meæ præponere jubeor. Cur Deus nos creavit nisi ut spectatores operum suorum assistentes Illum diu noctuque laudaremus, et ejus præcepta omni dignitati, omnibus operibus nobisque ipsis præponeremus? Quod inclyti martyres fecere, qui potius tormentis pene intolerabilibus mori voluerunt, quam Deum verum relinquentes sculptilia quædam et deos fabrefactos adorare. Non ergo te capiat admiratio, si a te corpore procul secessi; mente enim semper tecum sum et ad Deum pro te labia mea suppliciter aperio. Nec aliud oro nisi ut postquam bene beateque vixeris, in cœlis præmia æterna consequaris. Quid melius, quid justius? Aliquando inter orandum recordor injuriarum quas in te satis impudenter gessi. Timerem me numquam posse veniam impetrare, ni tu pater et ego filius essem. Quæ teste Hieronymo nomina sunt pietatis, vincula naturæ et secunda post Deum fœderatio. Ut spero mihi filio parces, qui primus feci ut pater dicereris. Si aliquid pietate vacuum in te habui misericors esto, si vis consequi misericordiam. Æquo animo patere si tecum in eodem do-

micilio non vivo, si tuis necessitatibus coadjutor non intersum, quoniam major dominus me ad se vocavit. Nonne si velles servum comparare et princeps Mantuanus illum peteret, illi cederes? Quanto magis dandus est Deo locus et magnæ Matri Mariæ, sine quorum voluntate princeps ille prædictus nec supercilium quidem movere potest? Nec tamen mihi persuadere possum quod graviter patiaris me vitam et mores in melius convertisse. Tu enim me semper hortatus es ad bene vivendum. Sanctiorem vitam quam religionem hac tempestate nullam scio. In qua rarius peccatur, citius resurgimus per confessiones assiduas. In religione mutua charitas, læta paupertas, fraterna dilectio, et quod optimum est Dei timor inhabitat. Unde divinus cultus, abstinentia peccati et omnia immortalia descendunt opera. Non debes tristari, si facio quod mihi sæpius faciendum monuisti; potius me carpere debes, quoniam tantum prolongaverim.

Dices fortasse: poteras inter nos bene vivere. Poteram equidem aliquando, sed difficile operari, si forsitan me contagio mundanæ pestis (qua totus orbis refertus est) corripuisset. Præterea nonne stultissimum est omnium, si post terga hostes prementes habueris in medios campos currere, cum in arcem munitam te recipere posses? Quis audeat hoc negare, hostem continue post terga habemus, qui die noctuque investigare non cessat quo pacto nobis insidietur. Et plura sunt hujus quam Pyrrhi aut Alexandri aut Scipionis fuerint stratagemata. Oportet igitur contra hunc majori prudentia uti, quam in Hannibalem usus fuerit Quintus (Fabius) Maximus qui « cunctando restituit rem ». Campus est vita sæcularis, arx munita ipsa est religio; religio igitur potior et tutior. Qui in mundo habitant continuis diaboli morsibus patent.

Dices forsitan, ut commune est sæculi proverbium, religiosos inertiæ, ventri et somno deditos. Sed si ipsi qui hæc

aiunt religionem experti essent aliter sentirent. Si quæris quid operemur uno verbo dicam : Oramus. Interrogatus sanctus quidam pater quis esset omnium laborum gravissimus, respondit orare. Nam qui orat undique expugnatur. Variæ occurrunt cogitationes quæ orationem interrumpunt, opus est reiteretur iterum atque iterum priusquam eo modo quo dicenda est dicatur. Hujus rei veritatem experientia melius invenire poteris ; quod si semel dices Dominicam orationem sine ulla cogitationis intermissione me mentiri confitebor. Nec tamen orare appello semper genibus flexis prostratus jacere sed quotiescumque aliquid quod nobis a majoribus injunctum fuerit expleverimus oramus. Præterea nec ventri indulgemus. Nam si curiose computare voluero octo menses anni in jejuniis ducimus. Semper autem pythagorici sumus quoniam a carnibus abstinemus. Nec somno operam damus. Semper enim ad matutinas laudes nos media nox invenit. Nec mireris si dicam me singula hæc observare qui tibi forte debilis videor. Quid enim est quod divina potentia facere non possit ? *Deus noster in cœlo est, omnia quæcumque voluit fecit.*

Hæc mea vita est in qua pedem firmiter fixi. In hac omnis mea cura. In hac omne meum solatium. Tamdiu in bivio steti, jam vero dexterum cornu pythagoricæ litteræ stando. (1) Ament alii opes, dignitates et potentias, ac cetera similia viciorum irritamenta, quæ cæcatos mortalium animos seducunt a bonis operibus. Ego paupertatem, ignominiam, servitatem, despectionem et cetera quæ me Deo copulare possunt quantum in me erit amabo. Et pulcherrimos Tibulli versiculos tota die cantabo :

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus. (2)

(1) Desideratur aliquid.
(2) L. I, 5.

Id est, mens mea cœlesti illustrabitur lumine.

Hæc sunt, pater mi, quæ jamdiu ad te scribere volui, sed partim negligentia (ut mei ipsius accusator sim), partim in discendo divino officio impeditus, adhuc, ut vides, distuli. Et hæc omnia de intimo mentis meæ secessu deprompta tibi enucleavi, ut quo pacto se omnis res haberet, non ignorares. Vale.

Ex Ferraria Kalendis Aprilis. (1)

II. Epistola ejusdem Fratris Baptistæ Mantuani ad Fratrem Arnoldum Bostium Gandensem.

Frater Baptista Mantuanus Italus, Carmelita, Fratri Arnoldo Bostio Gandensi ejusdem religionis. S. P. D.

Non mediocri gaudio affectus sum, cum intellexerim plures ex nostris antecessoribus claros viros fuisse, et superesse adhuc in mortalibus membris animos qui virtutum splendore delectati, dum præclara quæque facinora aggrediuntur, sæculum nostrum præsentia sua decorant. Vivant hujusmodi homines, quibus hæreditario jure melior vita debetur. Neque enim fas est hujusmodi hominem, qui vitalibus negotiis semper deditus, et vitam præsentem animo superat, et cœlesti vitæ mentis gressu magis ac magis in dies appropinquat (2). Hi sunt heroici viri qui Divino numine pulcherrimas virtutes assecuti, urbium ac populorum in se oculos et ora convertunt. Videnturque a superioribus mundi circulis ad hanc terrenam habitationem dimissi, ut sint qui doctrina et exemplo ad immortalis Dei contemplationem cæca hominum pectora ducant. Isti igitur vere viri sunt, quibus omnis posteritas debet, qui in agro Domini non steriles arbores fuerunt, qui de scientiæ suæ thesauris veteris ac novæ legis mysteria protulerunt, et ad intelligenda summi Dei arcana

(1) 1464, die Paschatis.
(2) Desideratur aliquid.

sunt admissi. Isti sunt lux firmamenti, et qui domus Dei columnas confirmaverunt; qui dixerunt iniquis ne inique agerent, et delinquentibus ne in superbiam extollerentur. Isti in domo Dei maximi erunt, qui sanctissima Dei præcepta et docuerunt et observaverunt. Dati sunt hi nobis in exemplum, ut eos imitemur, ut eorum comparatione nos desides et ignavi torporem nostrum excutiamus, ut sancta æmulatione expergefacti dictum illud spiritualiter intelligamus: *Maledicta sterilis quæ non parit.* Et ut posteris eadem calcaria subdantur, ut nepotes nostri iisdem pungantur aculeis. Sunt istorum præclara gesta litteris mandanda, et miris laudum extollenda præconiis.

Quare frater carissime Arnolde studium et diligentiam tuam laudo, qui lucernæ tuæ lumine aliis in ignorantiæ suæ tenebris constitutis, bona quibus excitentur ostendis, et ut aliquando pueri esse desinant hortaris. Nam ut Cicero noster inquit *Ignorare quod ante nos factum sit, id est prope pueros esse.* Perge igitur, et sparsas margaritas collige (1). Audivi quemdam Henricum in ea parte Germaniæ quæ Pannoniam attingit astrorum et cœli scientia clarissimum ante paucos annos decessisse. Hunc quoque Ordinis nostri non inutile membrum curato aliis inserere. *Et infra.* Quoniam ad studium me hortaris, et ad aliquid digni congerendum vel excogitandum recte facis. Et ego si aliquando dabitur otium id opere complebo quantum in me erit, et divino pneumate juvabor. Debet solum multis in hiberno tempore imbribus fœcundari, ut vere novos flores et suo tempore maturos pariat fructus. Et ut Boetius vir omnium peritissimus inquit: Quod præcipiti via certum deserit ordinem lætos non habet exitus. Semper Hieronymum imitari studui, in eo præcipue

(1) Agitur hic de libro Arnoldi Bostii *De illustribus viris*, anno 1475 edito.

quod se doctrinæ amore ferbuisse semper dicit, nec juxta quorumdam præsumptionem seipsum docuisse. Perrexi et ego post magni et incomparabilis viri Gregorii Tipherni disciplinas Mantuæ imbibitas Patavium, deinde Ferrariam, postremo Bononiam (quæ sunt optima Italiæ gymnasia), ut doctior fierem, et adhuc discipulus sum (1). Si Dominus vitam et otia dederit et nos de paupere substantia nostra in gazophylacium Domini aliquid ponemus.

Vale et me omnium patrum tuorum orationibus commenda. Ex Bononia die 20 Octobris A. D. 1475.

Epistola Johannis Pici de Mirandola

Johannes Picus Baptistæ Mantuano Carmelitæ S. D. P. (2)

Olim ad te non scripsi, Pater optime, sed interim legi quæ scripsisti, divina scilicet atque sanctissima tua poemata, in quibus ea rerum majestas, is splendor est eloquentiæ, ut certatim in illis palmam sibi vendicare verba atque sententiæ videantur. Felix qui velis optima eadem et possis. Feli-

(1) MS. Bodley 73, fol. 118 a. Ex Juliano Hasart: « Baptista Mantuanus magnæ spei juvenis est, qui Ordinis honori adhuc studebit abunde. Hic secundo post religionis ingressum, scil. a. 1465 scripsit *De beata Vita.* » Anno 1466 in capitulo provinciali Brixiensi orationem habuit *De laude Ordinis*. Extat in MS. Selden 41 supra. Inc. Quotiescumque mecum ipse. Eodem anno Ferrariæ habuit orationem de laudibus fratris Petri Brixiensis novi sacerdotis, ibidem. Inc. Si pro causa. MS. Bodley 73 fol. 18 b: « Mantuanus legebat Sententias Romæ in conventu Areliacensi (sic) tempore capituli generalis a. 1469. » In capitulo Astensi 1472 ordinatus fuit baccalaureus in conventu Bononiæ pro anno sequenti. Ad magisterii honorem videtur sublimatus circa 1476.

(2) Extat in III tomo Operum B. Mantuani Parisiis 1513. Celeberrimus philosophus Johannes Picus de Mirandola, natus fuit a. 1463, obiit 1494; circa ipsius studia doctrinasque cf. Stœckl, *Geschichte der Philosophie des Mittelalters* III, 167 sqq.

ces nos quibus non solum legere quæ scripsisti, sed etiam te amare, te videre, te alloqui datum est. Dives hic mihi materia et quæ non epistolam sed justum volumen impleat, si evagari me in laudandis tuis poematibus vel imbecillitas sineret nostra, vel pudor tuus. Hoc unum dixero, delectari me adeo lectione tuorum carminum, ut fere quotidie cum me vel tædium vel fatigatio ceperit, in illa quasi in hortum deliciarum solitus sim secedere, unde animo tanta semper oboritur voluptas ut nihil cupiat magis quam iterum fatigari ut iterum recreetur. Philostratum de Apollonii vita si satis illo es usus, desidero; et Zachariæ philosophi quem te nactum Romæ dixisti exemplar cura ut aliquando habeam. Præterea que indicem bibliothecæ vestræ Bononiensis, si tuo id commodo fieri potest. Vale, et Beroaldum nostrum saluta. Florentiæ XIX Septembris MCCCCXC.

III. Alia ejusdem Baptistæ Mantuani ad Johannem Picum Concordiæ comitem. (1)

Frater Baptista Mantuanus Carmelita, doctor theologus, Domino Johanni Pico Mirandulæ, Concordiæ comiti S. D. P.

Hodie mihi in sacrario nostro cum Beroaldo, ut sæpe soleo, fabulanti, redditæ sunt litteræ tuæ, et tanta cum utriusque nostrum voluptate perlectæ, ut videatur nobis referenda ista dies inter fastos, et niveo, ut aiunt, numeranda lapillo. Certe et eloquentiæ tuæ, et amoris in te nostri vis tanta est, ut nihil magis optemus, quam tuis crebro epistolis recreari. Sed cum sumus tibi responsuri, eo maxime tristamur, quod sermonis paupertate impediti non habemus unde par pari referamus. Si de poematibus nostris tam magnifice sentis ut scribis, punctum omne tulisse arbitror. Tuo namque absolutissimo perfectissimoque in omni disciplinarum genere judicio non est qui umquam auserit refragari. Sed vereor, Pice

(1) MS Selden 41 supra.

doctissime, ne tibi acciderit quod esurienti ac sitienti mihi aliquando evenit: ut ea scilicet sint visa palato ingenii jucundissima, quæ fuerant sitibundo et anhelanti primum objecta, et voluptatem in te hanc tantam excitarit non sua ipsius rei perfectio quam gustasti, sed anxia potius aviditas animi lucubrando jam exhausti, et delectationem quasi quietem ac laborum intermissionem affectantis. Hac ratione fessis videtur nuda humus cubile mollissimum. Et nudo ac inopi trita lacernula grande ornamentum. Quicquid id fuerit, bene habet, et est cum libellis meis satis bene actum; non enim possum non multum exultare, quod acumine lectoris tam arguto non relegati fuerint ad incudem; et quod a tanti judicis censura exierint non solum non damnati, sed commendati, donati, honorati. Scire tamen te volo, Pice jucundissime, libellos hos meos fuisse ante tempus ablactatos et ante emendationem formatos et editos. Nam dum ego Romæ gravius admodum reipublicæ meæ negotiis insudarem, eo tempore quo tu quoque ut meministi, tantis illis æmulationum fluctibus laborabas, amici Bononiæ putantes debitum amicitiæ officium se præstare, me inscio protocollum meum, quod eis ut nauci et peripsema quoddam reliqueram divulgarunt. Et quod ut Augusti utar adagio cito tarde seu mature fieri debuisset, præcipiti caritate properantes ad impressoris officinam detulerunt. Hoc ut rescivi dolui quidem. Verum, ne amicos contristarem, et quod videbam remedio jam amplius locum non esse, tacui et dissimulavi, statuens tamen si umquam me vivente iterum formarentur emendare et emaculare multos locos, quod et faciam, si talis umquam redibit occasio. Philostratum tuum prius lectione ejus apprime oblectatus tradidi Beroaldo perlegendum. Studebo pro viribus, imo et supra vires, votorum te tuorum compotem reddere, nec ero ego prius voti compos, quam tibi paruisse et votis tuis satisfecisse me intellexero.

Vale, et Politianum nostrum salutato.

Kalendis Octobris A. D. 1490.

IV. Frater Baptista Mantuanus Carmelita Johanni Francisco Pico Concordiæ comiti. S. P. D.

Illustris Comes ac Domine!

Patrui tui viri doctissimi ac eloquentissimi apologiam, vel magis apologiæ prologum legi tanta animi voluptate, quanta veritate subnixa est, quanta luculentia splendet, quanto amore ac reverentia ejus auctorem semper prosecutus sum. Sed eam legendo dum cupio sedare sitim, sitis altera crevit, desiderium scilicet videndi reliquum. Quod cum tuæ dignationis munere consecutus ero, magnam felicitatis partem adeptum me putabo. Supergressus est patruus tuus Johannes Picus judicio meo omnes ætatis nostræ philosophos his potissimum rationibus; quod aliis in Aristotelis et Peripateticorum tantum dogmatibus ævum consummentibus, ipse herculea audacia omnium philosophorum sectas ac familias veteres ac novas miro ingenii vigore scrutatus est. Et quod neotericis nullum orationis florem sequentibus, ipse ita philosophiam cum eloquentia conjunxerit, ut antiquam et veram academiam instaurasse dici possit, quæ tanto majore admiratione digna sunt, quanto celeriore studio et paucioribus annis ad tantam virtutis et gloriæ sublimitatem ascendit. Nec videtur scientiam ut ceteri labore ac studio multisque lucubrationibus quæsivisse, sed totam simul casu reperisse, ut his accidere solet, quibus longe aliud agentibus ex insperato thesaurus occurrit. Felix ergo tanto alumno tua familia; felix nostra ætas, tanto viri hujus illustrata splendore.

Vale, princeps dignissime, et memento quantum te niti oporteat, ut patrui habearis dignus imitator. Odio habeo ista ocorum intervalla. Cupio enim tecum esse, ut possemus

studiorum, tu meorum et ego tuorum, participes esse. Iterum bene vale et Deum time.

Mantuæ, die 39 (sic) Octobris A. D. 1494.

V. Alia epistola ejusdem Fratris Baptistæ Mantuani Carmelitæ.

Nuper audita morte Johannis Pici avunculi tui, viri clarissimi atque doctissimi, sic animo consternatus sum, ut neque pes neque mens satis suo fungeretur officio. Parum abfuit quin et de Deo et de natura sim conquestus, quod tantum lumen e mundo tam cito sustulerint, tantum Italiæ ornamentum, tantam ætatis nostræ gloriam, quasi terrenæ reipublicæ bonis invideant, nulla habita nostri ratione succiderint. Succiderint, inquam, dum cresceret, dum floreret, dum copiosissima ingenii sui fertilitate pasceret universos; sed recordatus sententiæ Pauli qua inquit *Judicia Dei abyssus multa*, continui me, ne mala de Deo et de operibus ejus impia temeritate sentirem. In occasu viri hujus passa sunt magnam eclipsim studia litterarum, scientia rerum, integritas morum. Erat enim, ut scis, in patruo tuo sic vitæ sanctimoniæ conjuncta linguarum eruditio, et humanarum divinarumque rerum cognitio, ut in uno eodemque homine viderer videre Hieronymum et Augustinum revixisse; atque utinam opus illud de Concordia Platonis et Aristotelis antequam decederet absolvisset! Pollicebatur enim titulus ejus omnem antiquorum philosophiam et reconditissimarum ac scitu dignissimarum rerum apertionem. Omnia ejus opuscula quæ absolvit, quæ etiam imperfecta reliquit, sunt omni studio et diligentia conquirenda. Nam cum a tanta ingenii felicitate profluxerint, non possunt non esse dignissima quæ ab omni posteritate legantur, amentur et adorentur, ad quod officium te provocarem nisi te sic persuasum et animatum satis crederem. Deerat hoc familiæ tuæ decus immortale, ut apud nobilitatem antiquissimam, divitiarum et opum affluentiam, rei militaris

gloriam collocaretur etiam excellentia tantæ sapientiæ, ut omnia quæ apud mortales summa laude digna sunt in unam domum tuam confluerent. Te vero, Johannes Francisce, summa ope niti decet ut patrui tui virtutem hæreditate possideas, et ut spiritus ejus in te duplicetur, sicut Heliæ spiritus in Heliseo. Hoc a te expectamus, hoc requirimus. Cum ejus opuscula collegeris, precor ut me quoque participem reddas, et erit mihi operæ pretium istuc tantæ voluptatis gratia me conferre cum sciero.

Epitaphium Johannis Pici comitis, per eundem.

Picus Johannes, cœlos, elementa Deumque
Doctus adhuc juvenis sanctificatus obit.

Vale princeps optime, et me ama.

Mantuæ die 17 Novembris 1494.

Præcedentis epistolæ titulus: Baptista Mantuanus Carmelita Johanni Francisco Pico Salutem d.

VI. Alia epistola ejusdem ad Johannem Franciscum Picum.

Frater Baptista Mantuanus Carmelita Joh. Francisco Pico S. P. D.

Dilatio honestissima tuæ responsionis credi fecit litteras meas in via periisse, et dum propterea novas ad te dare statuerem, jamque incepissem eas exarare supervenerunt tuæ desideratissimæ, ornatissimæ, jucundissimæ, nocte insecuta. Credo ex eo quod die cogitaveram dormienti mihi sub aurora, tempore quo cerni somnia vera solent, visa imago patrui tui jam vita functi supervenire, et mecum multa de angelorum natura, de spirituum aeriorum ac terrestrium, aquaticorum etiam speciebus, nominibus, officiis cum summa utriusque nostrum voluptate disserere. Et cum eum interrogassem cur balbus esset (balbus enim videbatur), id signum esse respondit imperfecti et inabsoluti sermonis, quem de rerum natura et de philosophia jam dudum inchoarat.

Videbar accensus desiderio percunctandi de rebus occultis, plurima quæ nobis mortalibus mirabilia sunt et ignota, et nescio quo pacto id primum occurrit, quid scilicet amuleta prodessent infantibus, ut corallia et id genus alia, quæ infantulorum collo alligantur ; respondit in his aliquando aliquid virtutis inesse, et hoc ad magiam naturalem pertinere. Sed ut plurimum damnatas consuetudines et superstitiones esse ; his dictis evanuit. Et ego expergefactus diu multumque cogitavi, quæ collocuti fueramus in somniis, quia non inania sed pensi aliquid habere videbantur. Scribo autem hoc non quia in somniis ullam fidem adhibeam, id enim est et a professione mea et a natura alienum, sed quia non satis mirari possum, quonam pacto fiat ut dormientes disputent, doceant, discant, et ea vel certe difficile habent (1), certe nescio quid divinitatis animæ nostræ, et si sancte ac pie viveremus, nec tot negotiorum ambagibus circumagerentur animi nostri, haberent nobiscum spiritus separati magna commercia. Sed de his hactenus.

Quod velis (ut scribis) patrui tui vitam conscribere et laudo, et ut maturius id agas hortor et obsecro ; id enim officii maxime tibi congruit, et tibi pluribus de causis est assumendum. Nam et stylo et eloquentia plurimum vales ; quod est naturæ et industriæ et Dei donum singulare. Item quod gentilis ejus sis et tam mirabili viro arctissima cognatione propinquus, quo fit ut ejus gloriæ non esse particeps non possis. Nec ullo modo pati debeo, ut clarissima familia tua quicquam tanti ornamenti ac splendoris amittat. Accedit ad hæc quod nulli magis quam tibi nota esse debet ejus vita, quam tibi jampridem imitandam proposueras ; et quidem sapientissime. Erat enim egregium quoddam sanctimoniæ et religionis exemplar, in quo totius sapientiæ lumen appare-

(1) Locus corruptus.

bat. Dicam ergo tibi quod Christus dixit apostolis: Colligite fragmenta ne pereant, et id tanto studiosius agendum, quanto nobis qui superstites sumus et futuræ posteritati magis est profuturum.

Procul dubio etsi video magis ei gratulandum, qui postquam tam brevi navigatione tantum spiritualium opum congessit, tam feliciter in portum pervenit, non possum tamen de tanti viri jactura tecum non dolere. Mors Georgii Merulæ primum condiscipuli, postea præceptoris mei (nam sub Gregorio Tiphernate commilitavimus), tristitia me affecit, sed erat ille jam grandævus, et senio ingravescente jam inutilis et functus officio. Sermolei et Politiani duorum illustrium virorum lamentabilis occasus attulit et mihi et omnibus litteratis grave cordolium. Sed altius hoc nullus insedit, et longe majorem in Pico nostro jacturam passa est res litteraria. Eloquentiæ campi lugent, mathematicarum artium studia conciderunt. Philosophia omnis ac metaphysices et theologiæ altissimæ speculationes, quas ille amplificare ac illustrare jam ceperat, deinceps obmutescent. Sed parco jam, ne dolore justo plus indulgeam. Curandum magis est, ut ei et scientiarum studiis ac exercitiis ac morum integritate, ac religione similes evadamus, et pari cum eo negotiatione ditati perveniamus olim quo ille jam pervenisse se gaudet. Quamprimum potero veniam ut divi ejus ingenii reliquias immortales, quæ apud te sunt, videam et adorem. Interea scribendi ejus vitæ da operam, et me ama.

Bene valeat dominatio tua cui me commendo.

Mantuæ die 3 Januarii 1495.

VII. Alia epistola ejusdem Johanni (Francisco) Pico.

Frater Baptista Mantuanus Carmelita Johanni (Francisco) Pico Mirandulæ S.

Confiteor et accuso apud te delictum meum: quod fuerim hactenus negligens in scribendo. Habeo tamen unde me ex-

cusem, publicas scilicet occupationes quæ cogunt etiam corpus a patria, et ingenium a studiis peregrinari. Et quotiens datur ad studia reditus, datur autem raro, propter longa litterarum jejunia supra modum esuriens animus usque adeo lectioni se immergit et ingurgitat, ut concoquere nequeat quæ voravit. Quo fit ut cum negotium habeo, negotiosus sim, cum vero non habeo negotiosissimus. Inter salebras et spineta Johannis Scoti, exigentibus sic discipulis, hiemem consumpsi, corrigendo etiam poemati nostro *De regibus Hispaniarum* operam impendi, unguem applicui et ei summam manum imponere propero ; possem, inquam, negligentiam meam sic expurgare, et clipeum hujus excusationis prætendere, sed parco, quod existimem me facilius ab hoc reatu per veniam quam per satisfactionem absolvi posse, apud judicem tantæ humanitatis et clementiæ. De his hactenus.

Traductionem illam Hieronymi diu multumque desideratam, quæsitam ubique et nusquam inventam, grato animo recipiam, nesciens tamen quæ tibi, quæ tali reddam pro munere dona. Quod patrui lucubrationes contra astronomos editas studio et industria tua excribraveris, debent omnes viri tam indocti quam docti publice gratulari et ingentes vobis, hoc est tibi ac patruo, semper (gratias) exsolvere, qui communem hanc pestem et vanissimam istam curiositatem de medio abstuleritis, Hydram hanc extinxeritis, Harpyas eas expuleritis quibus homines fascinantur, nitor fidei obscuratur, bona ingenia deluduntur. Quanto desiderio ardeam videndi opus hoc tam egregium, tam singulare, tam sublime, tam arduum non possum litteris explicare, quamprimum potero (ne dubita) temporis aliquantulum suffurabor. Veniam repente, improvisus adero, saturaturus ingenii ligurrientis ingluviem. Habet ingenium gulam sicut et sensus; habet palatum, habet Venerem cui nescio an peccatum sit nimis

indulgere. Bartholomæo Susæ nostro noli succensere, quod adventum meum siluerit; nam cum necessarium esset e vestigio discedere, jussi ut id silentio præteriret, cujus ignorantia non nocebat, scientia displicitura erat; et in hoc silentio tibi magis quam nobis consulebam, ne videlicet tristareris te ita a me præteriri. Dare igitur veniam bonæ huic intentioni potes et debes, quoniam si erratum est, in rem tuam erratum est. Alios semel vidisse satis est, te autem propter virtutum tuarum raritatem non satis est vidisse semel, juvat usque morari et conferre gradum. Res Ordinis trahebat me in Etruriam, et quorumdam fides ac jucunda societas moram excludebat.

Argumentum in opus patrui legi, tantum placuit ut adulationis suspicio dicere non sinat. Ante quinque annos dum essem Romæ vidi et perlegi Centiloquium Ptolomæi, nuper a Johanne Pontano translatum cum commentationibus ejusdem. Vide ergo ne is sit quem te reperisse scribis inter libellos et scedas Pici nostri. Consulo ut omnes patrui philuras excutias, scrinia omnia perlustres, ramenta omnia colligas, reliquias omnes tam excellentis ac prope divi ingenii asseras, nihil perire sinas, in eum ordinem digeras, quem res ipsæ præ se ferunt, et qui prudentiæ tuæ melior apparebit; si non cohærebunt, si non pendebit unum ex altero, singula per se stabunt, propria nitentur bonitate. Tomi erunt; aphorismi erunt; nihil abjicito, nihil supprimito, nihil enim in eis puto quod salem suum non habeat, quod sit languidum, quod enerve, quod frivolum, quod otiosum. Collige omnia; audiamus mortuum loquentem, a tacente plurima discamus quam a loquente liceat intueri. Tantum naturæ conatum juvenilis ingenii miraculum temporum nostrorum ornamentum. Ceterum ex tanta rerum copia sublimitate præstantia cognoscimus homo homini quid præstet, et dubitare cogamur an

omnes animæ naturæ sint unius, quas tantum videamus differre in operationibus.

Tu vero vale et patruum in omnibus imitare, hoc excepto quod diu vivas et quod ejus annis ablatum est tuis addatur. Et sicut in Heliseo nostro duplex factus est Heliæ spiritus, sic in te patrui spiritus duplicetur.

Idibus Februarii Mantuæ.

VIII. Alia epistola.

Frater Baptista Mantuanus Carmelita Johanni Francisco Pico Salutem.

Legi litteras et poema tuum, Johannes Francisce Pice, vir illustris. Amorem pristinum erga te meum scito nedum esse conservatum, sed in dies magis confirmatum et auctum. Nam cum audirem infortunia tua, quæ quidem fuere magna et ingentia, te ferre fortissime ac decentissime, visus es mihi dignus amore tanto majore quanto in te virtus major apparuit. Et ut quod sentio loquar ingenue, major mihi nunc videris quam cum regnabas. Regnare enim possunt æque boni ac mali, at regno esse digni non possunt nisi boni, hoc est nisi fortes, nisi justi, nisi prudentes, nisi modesti. Plus ergo longe est regno esse dignum quam esse regem. Te ergo amo, te colo, te observo, quod si neque litteris neque ore te salutavi, fuit in causa quod assidue fortuna te jactante raro ubinam esses intellexi. Animo et desiderio tecum semper fui, et orando tibi affui, non ego solum sed et omnes quotquot mihi sunt in Christo fratres. Omnes enim pari te affectu prosequuntur, et tibi gratulantur, quod apud Albertum consobrinum tuum principem optimum cum uxore et liberis et dulcissimo studiorum commercio tranquillissime vivas, jucundissimo fruaris hospitio. Ego illud regnum extimem mihi infelix quod consuetudine tali me privaret, et talis ac tanti viri congressus assiduos philosophicorum studiorum suavitate conditos, ego omni regno anteferrem more impe-

ratoris Diocletiani, qui pertæsus molem imperii silvarum opaca silentia et hortorum amœnitatem prætulit imperatoriæ majestati. Sed de his hactenus.

Poema quod religiose, eloquenter et docte conscripsisti neque laudare neque admirari satis possum. Habet enim sine mollitie et impudicitia salem ac leporem, et delectat non ut Flora sed ut Diana, non ut Venus sed ut Minerva, miscens quemadmodum præcipit Horatius dulcedini utilitatem ac pulchritudinem. Poemata obscena et impudica sunt judicio meo inter vera poemata quales inter probas matronas fornicariæ meretrices. Ego enim poema verum et quod omne punctum ferre possit esse non puto nisi sit grave, castum ac sanctum. Quod Horatius innuit dicens

> Rem tibi socraticæ poterunt ostendere chartæ (1),

nec audiendi sunt poetæ molles et effeminati, quibus nihil sapit nisi turpe, impurum, luxulentum et olidum. Sunt nimirum similes scarabæis, qui pro ingenuitate naturæ suæ ex stercore bubulo pedibus aversis pillulas volutant. Poema hoc tuum simile fluvio qui currendo crescit, quo magis procedit videtur venustius, dulcius, grandius, quod est indicium fortioris ingenii, fortioris, inquam, ingenii quod exercitio non flacescat, sed laborando vires acquirat. Sapiens igitur poeta si decimum annum, ut Horatius monet (2) faciendum expectare non velit, cum spiritu majore se videt elevatum, et illa fluentiora vena redundantem ad ea inspicienda revertatur, quæ ex vena tenuiore profluxerunt. Ista præcipientem me ridere potes, qui more medicorum ea præcipio quæ non observo. Sed respondeat pro me Horatius :

(1) De arte poetica, 310.
(2) Ib. 388 : nonumque prematur in annum.

..... fungar vice cotis: acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi (1).

Nolo te longiori cantilena detinere. Bene vale, et illustrissimo principi Alberto consobrino tuo me commenda.

Mantuæ, V Idus Julii.

IX. Epistola magistri generalis

Fratris Baptistæ Mantuani ad Fratres de Congregatione Albiensi. (MS. Harley 1819, fol. 117a). Dilectissimi in Christo Fratres.

Sicut a principio memini me favisse congregationi vestræ, quum ad instantiam domini episcopi Albiensis misi fratrem Eligium qui adhuc superesse dicitur, sic et postea semper animo in vos et in profectum vestrum inclinato semper favi, nunc quoque faveo et favebo quoad Deus me conservabit in vita. Et privilegia nuper a sanctitate domini nostri Papæ vobis et congregationi vestræ concessa laudo, approbo, commendo (2), et vos hortor ut susceptum propositum bene vivendi numquam deseratis, sed quotidie fortius et frequentius inhæreatis. Sic enim facientes salutem animarum vestrarum lucrabimini, et aliis qui per latam viam incedunt dabitis incentivum resipiscendi et in professionis suæ memoriam et considerationem revertendi. Unum est quod ab omnibus vobis velim obtinere, ut scilicet pro me assidue Deum oretis, ne sub isto gravi pondere (3) deficiam, et ut possim cum lucro animarum et virtutis proventu in vinea Domini laborare. Datum Mantuæ die 27 Octobris 1513. Frater Baptista Mantuanus, prior generalis.

(1) Ibid. 305.

(2) Bulla Leonis X Dum fructus, 15 Sept. 1513 (Bull. Carmel. I, 450).

(3) Generalatus ad quem nuper evectus fuerat.

Juvat hic afferre documentum ineditum circa eandem materiam.

(MS. Harley 1819, fol. 108 a).

Fundatio Congregationis Albiensis

Ad perfectionem cum aliqua res uno solo indigeat vanum putatur id non addere ut perfecta sit. Hæc apud se meditans sane non absque divina quadam industria pius præsul Albiensis dominus Ludovicus de Ambasia sub hac forma Carmelitas Albienses ad primum suæ institutionis modum reducere curavit. Cum enim sanctorum Dominici et Francisci familias pius pater non sine maximis sudoribus et expensis reformasset, cogitavit statim de Carmeli sodalitio spiritu divino quodammodo tactus. Consilio quoque magistri Johannis Stondon doctoris Parisiensis et magistri collegii (fol. 108 b) Montis Acuti advocavit quemdam Ordinis Prædicatorum fratrem Durandum de Fraccinis nomine, quem novit virum quasi infatigabilem et sacræ religionis zelatorem præcipuum, eidemque dixit : Nosti, reverendissime frater, quantos labores susceperim pro renovanda et amplianda vita regulari, jamque nihil restat nisi Carmeli reformatio ; unum tantum obstat quod nullus est in tota Gallia locus ex illa familia reformatus. Vis ob amorem Dei et Virginis gloriosæ adire Italiam ad ipsam Carmeli congregationem, quam Mantuanam vocant, dabo tibi largissimas expensas. Bonus pater acquievit episcopi votis, et Italiam perveniens duos solum obtinuit a congregationis vicario Baptista Mantuano, qui erant Hannonienses natione fratres, scilicet Albertum de Condeto et Eligium Dionysii (1) quorum primus

(1) Eligius Dionysius, jubilarius, obiit Parisiis in capitulo sepultus 20 Julii 1519 (MS. Harley 1819, fol. 3 b). Adrianus Echaut,

de conventu Valencenarum sanctiorem sitiens vitam illuc usque pervenerat, ut olim Magister frater Adrianus Echaut Gandensis. Alter vero cum mercantiis Italiam petens cum adhuc juvenis esset in conventu Parmensi vel Palmarum habitum susceperat. Primus erat vir doctus, alter quoque venerabilis senex. Hos sic licentiatos secum deduxit Romam. Nec defuit eis sors immatura. Nam frater Albertus maxima infirmitate gravatus in conventu sancti Chrysogoni terris valedixit. Venit tamen Durandus cum uno fratre usque ad episcopum. At postquam retulisset casum condolens episcopus dixit : Video quod intentione frustramur. Absit, inquit Durandus, potens est adhuc Deus hæc omnia deducere in bonum finem. Addidit quoque plures esse studentes Parisiis in collegio Montis Acuti qui libenter essent religiosi. Vadas, inquit episcopus, cum fratre Eligio, et experiaris. Duxitque secum de collegio Montis Acuti viginti sex studentes, ex quibus viginti duo effecti sunt Carmelitæ in uno die ad expensas episcopi, quos etiam episcopus in propria domo nutrivit, et educari fecit ultra quam per mensem in disciplina regulari per præfatum Eligium, et interim Durandus ivit ad Flandriam, ubi duos habuit ex conventu Gandensi. Post habitam vero deliberationem advocat episcopus provincialem Aquitaniæ, explicatque sibi propositum suum. Ac per eundem omnes conventuales vocans ad mensam, ceteros (quibus indumenta præcedenti die parari fecerat) latenter introduxit in conventum in die s. Laurentii A. D. 1499. Nam eodem die in domo episcopi erant omnes induti per præfatum provincialem et fratrem Eligium, duodecim ab uno in capella episcopi, et decem ab alio. Conventuales vero percepto casu

teutonicus, doctor Bononiensis, a. 1476 decanus universitatis Pataviensis, obiit Gandavi 1499, actu prior (MS. Harley 3838, fol. 230 a).

non modicum turbati, nolentes quoque colla submittere reformationi, dispersi sunt undique per provincias. Ceteri quoque conventum obtinuerunt, et erant postea maxima sanctitate famati, et quidam ex ipsis erant doctores parisienses (fol. 109 a), quidam episcopi, quidam prædicatores egregii. Posuit quoque episcopus omnia ædificia de novo, et tamquam filios in Christo hos semper enutrivit.

Nec defuit eis auxilium divinum. Nam Melduni quædam mulier negans fratribus de eadem congregatione cum opprobriis consuetam eleemosynam, non poterat nec arte nec ingenio sibi et familiæ solito more conficere panes. Contristata mulier casum miratur. At filia inquit : Scias minime contentari Virginem gloriosam, quia suis fratribus consuetam negas eleemosynam. Flevit inde mater, spoponditque Virgini gloriosæ præfatum fratribus quamdiu vixerit in humanis se daturam cum restitutione etiam illius quod defuerit, vel quod retinuerit, vovitque cum oblationibus visitare imaginem in conventu qui Nostra Domina de Vita a vulgo dicitur. Ac post votum emissum omnia ex intentione successerunt. Multaque alia miracula Melduni et Albiæ facta fuerunt.

Et fuerunt inter fratres qui etiam miraculis claruerunt. Nam unus eorum (qui de collegio Montis Acuti venerat) Vlissinensis natione, frater Sebastianus Brant nomine, vir miræ simplicitatis et innocentiæ ac non minoris sanctitatis ; hic statuit sibi regulam strictissimam in comestione, in somno et in regimine corporis, quæ post mortem inventa fuit. Hic tempus suum studiis, abstinentiis, orationibus et corporis castigationibus mirabiliter transegit, infirmis ministrando et compatiendo vexatis, qui circa tricesimum ætatis suæ annum peste extinctus est ; floruitque miraculis post mortem, adeo quod a pluribus visitabatur cum lumine et oblationibus consuetis. Unam familiam suis meritis commendatam a peste præservavit, in qua licet quidam obierint et quidam

ægroti fuerint, postea tamen quam fecerunt sibi votum omnes convaluerunt, et nullus ex tunc defunctus est. Et alia prodigia hujus meritis ostensa fuerunt. Hic semper accedens ad divina propria zona vel flagello se nudum castigabat ad effusionem sanguinis, et semper antequam descenderet ad matutinas horas vel missam unam pro peccatis sibi dedit arctissimam disciplinam, provocavitque se cogitationibus intimis ad fletum, cunctis se subjecit et humiliavit, sordida loca mundavit, pro mortuis sine intermissione oravit, et pauperibus pia gestabat viscera, et obiit A. D. 1502 in vigilia S. Bartholomæi.

Alius quoque frater Petrus Pigun de Attrebato multum simplex et humilis tempore pestis tempus et horam sui exitus fratribus prædixit audiendo campanas.

Frater Johannes Egidii conventus Miniatensis, vir doctus, castus et sanctus, audiens Carmelitas Albienses esse reformatos, illuc cum plena devotione pervenit, et cum eis vitam angelicam duxit. Hic quodam tempore cum in ambone (fol. 109b) populo prædicaret, vidit quod testudo ecclesiæ incipiebat cadere, stetitque attonitus, ac clara voce testudini stare præcepit, donec populus exiret ecclesiam; stetitque (quod mirabile fuit videre) et sic liberatus fuit populus ille a maximo periculo. Alia quoque vice cum in synodo coram uno Cardinali duobusque episcopis et aliis prælatis et universo clero prædicaret, ascendens ambonem oblitus est sui processus. Aspiciensque imaginem Virginis gloriosæ e regione, submissa voce dixit: O Virgo gloriosa, erit hodie confusus Ordo Carmeli? Confestimque ut pedem levare cœperit ut descenderet de ambone, vidit quosdam radios splendentes ad oculos suos usque venientes, et coram se clare vidit totam materiam suam, prædicavitque per horam non sine maxima omnium admiratione. Contigitque eum quoque semel societatisque gratia carnibus vesci quodam die Mer-

curii, ceciditque bis ipsa die de asino suo, quod ascribens illi levitati deinceps illum diem semper tenebat jejunum. Numquam aut rarissime cœnabat, redditus fratres habere pro suo posse inhibuit, dicens numquid sufficiens est Dominus vobis providere de necessariis? Oblatam sibi pecuniam non conventui sed pauperibus dedit. Ac ne ad altiora promoveretur studium dimisit, orationi, contemplationi abstinentiisque vacans. Fuit non minus disputator acutissimus, et prædicator insignis, qui et varios inter cetera scripsit sermones, solumque fuit licentiatus ad baccalaureatum in theologia, licet invitus. Hic fini appropinquans exitus sui horam fratribus prænuntiavit, ecclesiæ sacramenta petiit et tandem obdormivit in Domino. Cujus facies in signum sanctitatis suæ post transitum ut alabastrum resplenduit, quod in omnium oculis miraculum putabatur, cum ante mortem niger et quodammodo turpis fuerit, variisque signis et sanctimoniæ notis floruit. Et obiit A. D. 1517 in festo Purificationis Virginis gloriosæ. (1)

Alius quoque frater Guillermus e Cabanis nomine, quondam eremita, qui religionis habitum in conventu Lemovicensi susceperat, audita reformatione Albiam venit, ubi plurima sanctitate vitam duxit, tempus et horam sui exitus prædi-

(1) Frater Johannes Egidius, Gothus, conventus Miniatensis, obiit sexagenarius (alias septuagenarius) in conventu Albiensi. « Quod ore prædicabat ut verus Christi discipulus sequentibus signis atque miraculis confirmabat. Præsentatus ad baccalaureatum, vir miræ devotionis et sanctimoniæ, doctrinæque singularis, scripsit sermones de decem præceptis &c. Quædam vero falso ipsi attributa fuerunt. Iste venerabilis pater multa alia composuit et varios sermones ad clerum in synodis..... Quasi singulariter a Deo signatus crucem visibilem in capitis superficie carni inseparabiliter impressam detulit quamdiu vixit in humanis. (MSS. Harley 3838, fol. 236a ; 1819, fol. 118a, 123a).

xit, et coram Crucifixo manibus junctis in magna devotione vitam terminavit.

Frater Johannes de Campo conventus Gandensis, quem cum alio socio Durandus præfatus de Gandavo ad Albiam usque perduxerat, quasi pater in reformatione fuit, et continua sanctitate claruit, qui nec officium divinum pro quacumque infirmitate dimisit, sed et febribus laborans chorum semper frequentavit.

Ex isto conventu reformati sunt Meldunensis, Parisiensis, Rothomagensis et Tolosanus. Ex isto conventu ad Parisium in prima reformatione destinati fuerunt duo fratres, viri religiosi, frater Bartholomæus de Bosco Lugdunensis, (1) et frater Guillermus Wyle, Scotus, senex venerabilis et baccalaureus Parisiensis. (2)

(1) Bartholomæus de Bosco, Lugdunensis, studens Parisiis, doctor Tolosanus, de conventu et congregatione Albiensi, episcopus in Hispania floret (MSS Balei, passim. Vide supra P. 422).

(2) Vide supra P. 441. Non debet præteriri frater Nicolaus Desiderii conventus Meldunensis, « in theologia præsentatus, vir doctissimus, a juventute sua maximæ et ferventissimæ devotionis fuit. Hic semel missam celebrans ita ardebat in amore divino ut populo conspiciente levaretur supra terram ultraque quam per unum pedem, vociferavitque populus mirum in modum, timensque inaniter gloriari cepit fugam ad remotiora loca. Rumore tandem finito reversus est. Hic rarissime cum hominibus vel religiosis conversatur vel loquitur, nisi fuerit sermo de Christo. Contemplationi et orationi semper vacat, propterea rapitur quandoque in extasim. Hic fuit aliquando vicarius congregationis Albiensis, et suscepit ad religionis observantiam mag. fratrem Desiderium Desiderii virum omni eruditione plenum, doctorem Parisiensem et priorem conventus Albiensis » (MS. Harley 1819, fol. 123, cf. supra P. 419.)

Mathæus Chantonis, doctor Tolosanus, quondam prior Albiensis, regens in Castro Sarraceno 1480, itidem Albiæ 1485 quo tempore in s. pag. lic. existebat, « scripsit in decretalem de Baptismo

cujus ad totius Europæ doctiores viros extant epistolæ, ait Baleus.

I. Arnoldus Bostius Carmelita Gandensis, (1) amantissimo P. Cornelio Aurelio S. P. D.

Litteras tuas humanissimas, pater alme, lætus accepi, similiter et carmen prædevotum et perelegans de Passione Domini, ducentorum videlicet versuum lyricorum, cujus laudes etsi vellet nequiret exprimere calamus. Gratissime suscipio has amoris in me tui primitias, quæ certe præmonstrant qualis sit illa tua Mariada tribus distincta decadibus. Sed et multa reliqua quæ et prosa et versibus elegiacis et sexcentis, ut mihi scripsit Erasmus, lyricorum carminum generibus in opere alphabetico præclare cecinisti. Prodeant igitur, oro, omnia opera tua luculentissima in lucem, et imprimantur, ut instituant absentes, totamque posteritatem et ad doctrinam et ad pietatem provocent. Poetæ moderni plurimi aures sane prurientes delectant, verum nihil spiritui conferunt. Tua autem sancta et casta poemata lectiones sunt evangelicæ. Quisque devotus Carthusiensis ea legere gauderet, eruditus modo sit. Supra hæc ne minore quidem fulgent elegantia quam veterum poetarum et ubique receptorum, ut abbas Spanhemensis suis in litteris de te fateri non ambigit.

et ejus effectu, quam legit publice a. 1491, inc. Sanctissimæ scientiæ professores celeberrimi. Item in laudem scripturæ sacræ vel potius theologiæ. Hic fuit vir doctissimus et castissimus rexitque scholas in episcopatu Albiensi, reformationi se dedit in conventu Albiæ et obiit 1506 ». (MS Harley 1819, fol. 118 a et alibi).

(1) Obiit 4 Aprilis 1499 ætat. anno 54.

Doleo quod tantum terrarum tantumque maris inter nos est. Gloriatur magnopere Erasmus vir omnium nostræ ætatis facile doctissimus de tua eruditione et amicitia, nec Ægidium Delium poetam tibi scribit comparabilem, et optimam scribendi venam te habere fatetur. Peto igitur ut historiam de sancto Joachim et Anna componas, et ut vitam cœlestem quo omnes tendimus tuis elegantissimis lucubrationibus cunctis amantiorem facere pergas.

Vale et Deum ora pro me. Ex Gandavo.

II. Ad Fratrem Johannem Palæonydorum. (1).

(MS. Selden 41 supra, in fine, fol. 108 a). Frater Arnoldus Bostius patri suo Johanni de Aquaveteri S.

Iterum tibi scribo, pater optime. Recepi felicia nova nuper ex Lugduno quæ ad longum litteris patefeci priori vestro Francofordensi, quomodo magister Laurentius Burelli pulcherrimam erexerit imaginem de marmore solido sanctorum et Joachim et Joseph in Carmelo Lugdunensi. Insuper quomodo idem impetrarit ab archiepiscopo Lugdunensi confraternitatem sancti Joachim confirmari. Quomodo pollicitus est in proximo generali capitulo (ubi, ni fallor, generalis instituetur) se procuraturum festum duplex per totum Ordinem de eo celebrari. (2). Et quod maximum est omnium, quod etiam ipse adjutorio Jodoci Badii confecerit et compleverit opus binum de Ordine nostro. Prosaicum unum ad modum dialogi. Aliud metricum. Quorum quodlibet habebit libros

(1) A beato Joh. Soreth Mechliniam missus, ubi die 6 Aprilis 1455 habitum induit; obiit a. 1507 æt. 74.

(2) Capitulum generale a. 1498 ordinavit quod de S. Joachim fieret festum duplex die 16 Septembris sicut de S. Joseph. In Ordinali a. 1532 conscripto et a. 1544 Venetiis impresso habetur sub die 19 Martii : *Joseph nutricij domini duplex ex cap. Neomausi;* et sub die 16 Septembris : *Joachim patriarchæ duplex ex cap. Nemausi.*

tres. Primus erit de Laudibus Ordinis et antiquitate; secundus de Patronatu Mariæ; tertius de Viris illustribus. Primus liber operis metrici procedet carmine heroico; secundus carmine lyrico; tertius carmine elegiaco. In utroque opere amplissimus erit laudum locus sanctorum Joachim, Joseph et Annæ. Nec umquam puto fuerit consimile opus de Ordine factum. Petivit a me Badius noster multa sibi mitti (et opus inter alia tuum); habereque cupit ante Quadragesimam. Sed tarde nimis venerunt litteræ licet tempestive satis fuerint scriptæ. Librum etiam vestrum non habeo. Ille enim quem mihi misisti Antwerpiæ vel direptus est vel deperditus. Misit mihi lector Godfridus Candelarii suum videndum quem olim remisi.

Vale, ex Gandavo, 3 die Februarii (1496).

III. Frater Arnoldus Bostius Carmelita domino suo Johanni Aquilerio poetæ S.

Nuper mihi misit communis amicus Johannes Blasere epigramma tuum de sancta Jesu Circumcisione perinsigne, dignum utique cum aliis tuis non minoris præstantiæ lucubramentis orbi toti communicari. Armor ex eo in mea opinione quod tu solus Mariæ, qui te pascit genitorem heu nimis neglectum Joachim florem patriarcharum poteris sæculo toti et præsenti et (fol. 108 b) futuro facere celeberrimum. Quod ut facere velis iterum atque iterum oro. Et si limes veteris testamenti sit, initium etiam et radix est novi. Non igitur magis est negligendus et omittendus quam sancta sua conjux Anna, qui ea non minus sanctus extitit, non minus præelectus, prædotatus et in cœlis non minus superexaltatus. Quicquid altum, sanctum, meritoriumve de ea legitur similiter et de illo referri debeat. Notum etiam est activum principium passivo præstare, sicut materiæ forma. Ut autem amplius ad id inflammeris suscipito quæ tibi per præsentium latorem destino, epigrammata Gulielmi Bibaucii, nunc Car-

thusiani, quæ opto ad potiora te succendant. Frater denique Cornelius Gerardus Goudensis regularis canonicus nunc Parisius residens Joachimum maxime commendat in opere suo Mariada quod in libros triginta absolvit. Et in duobus libris *De morte,* quos et mihi dicavit.

Vale, ex Gandavo.

IV. Frater Arnoldus Bostius patri suo Johanni de Veteri Lympha (Palæonydoro) S. P. D.

Receptis olim ex Spanhem tuis litteris jam pridem, pater optime, respondi. Dubito tamen cum citra de te nihil percipiam, an responsales nostras susceperis. Gaudeo te tam doctissimorum optimorumque virorum abbatis Trithemii et Rogeri Sicambri aliorumque non minus notitiam quam amicitiam nactum, teque eis in sacrarum litterarum cultu collaborare. Libenti animo viderem tripartitum tuum Carmeliticæ religionis temporum fasciculum, quem in fine Augusti præteriti Rogerus scripsit domini abbatis sollicitudine imprimi. Librum etiam tuum de purissima Mariæ Virginis conceptione quem in catalogo illustrium Germaniæ te condidisse legi et quidem lubentissime. Necesse est enim Virginis Mariæ titulo peculiariter insignes candidatum ejus in primis contutari. Gaudeo etiam quod Wigandum candidatus ejus oppugnatorem epistolis pluribus corripueris, teque murum pro superpurissima cœli regina opposueris. Scripsi et ego ad eundem fratrem Wigandum epistolam, misique domino abbati utique longiusculam, an tamen ad portum venerit ignoro. Gratissimum mihi feceris si mihi crebrius de his amicis nostris et eorum fructuosis operibus scribas. Intellexi nuper ex litteris Jacobi Wimphelingi in initio anni 1496 imprimendos esse Sebastiani Murrhonis commentarios (fol. 109a) in tria opera Baptistæ Mantuani concarmelitæ nostri, scilicet in utramque Parthenicen et in opus Calamitatum. Sunt et Parisiis impressa omnia opera Baptistæ nostri olim

Bononiæ impressa, sed non est facta in correctura quantam vellem diligentia. Magister Gratianus de Villanova, decor Ordinis nostri et procurator dudum ejusdem in curia Romana mutavit et Ordinem et habitum (quod mihi non parum displicet), et est generalis prior nunc Ordinis S. Spiritus cujus gestat et habitum. Valetque sibi duodecim ducatos. Habet et alia non pauca beneficia. Solæ divitiæ rapuerunt a nobis virum, imo appetitus earum. Utique ni fallor noster prædictus fuisset prior generalis si reliquisset alia quæ tunc habuit beneficia. Verum bulla quæ fratrem Ordinis mendicantium prohibuit officium in Ordine gerere et beneficium in ecclesia, non prohibuit fratrem alienæ professionis in Ordine S. Spiritus. Benedicatur itaque Spiritus Sanctus.

Pollicitus est Sebastianus Brant Basileensis utriusque juris doctor elegantissimi styli mea se adhortatione opus de Laude nostræ religionis conditurum. Adhorteris etiam ut faciat. Compatior tibi qui nunc in senio a nativo sis loco in Casselensi Carmelo Hassiæ et subprioratus officio fungaris.

Vale, ex Gandavo, XIII Kal. Junii a. 1496.

V. Frater Arnoldus Bostius carissimo confratri Johanni de Aquaveteri S. P. D.

Litteras tuas recepi, mi pater amate, penultimo die Aprilis, quas ex Francfordia ipso die Parasceves destinasti, et cum eis litterarum fasciculum communis amici Rogeri Sicambri. Habeo tibi gratias quod miseris litteras nostras ad abbatem Trithemium et alios. Miror quod scribis te unicam meam recepisse epistolam, cum plures dederim. Lector Johannes Tay (1) vir devotus Carmeli tui Mechlinensis alumnus obiit mor-

(1) Johannes Tay « lector Bruxellensis, familiaris mag. Soreth, cui ut Heliseus Heliæ ministravit, qui postquam in sancta conversatione 58 annis in Ordine vixisset magistrum suum imitando a. 1497 Mechliniæ ubi se reformationi dederat obiit » 4 Maji (MS.

tem in die Ascensionis Domini. Magister Baptista Mantuanus etiam mortem obiisse dicitur (1). Spero rumorem hunc non esse verum. Vidi tuam epistolam præpositam libro fratris Johannis Lamshem de fraternitate rosarii Mariæ, cujus ut audio libri omnes nunc sunt impressi. Qui Johannes nunc prior est Rogeri Sicambri. In cujus monasterio gaudeo certe doctos tot esse adunatos, videlicet ipsum priorem, Rogerum, Johannem Empolidem, Rainerum de Hardwijc et Gasparem de Mersenhem, quorum omnium lucubrationes vidi et quidem præclaras (fol. 109b). Penultima die Maji fuit mecum mag. Mathæus Herbenus, qui simul inter conferendum dicti abbatis Trithemii, Rogeri, tui quoque et aliorum nostrorum amicorum Rhenensium mentionem fecimus. Scribas mihi precor quod de mag. Baptista Mantuano audieris.

Recepi hymnos aliquot fratris Rogeri sancto Joachim præconizatos. Vellem crebrius instiges eum et abbatem aliosque tantum patriarcham apud eos celebrem fieri. Sed et tu ipse tum laudes tum præconia undique colligas, dilates, spargas, et ad nos usque venire sinas. Habeo quod et de eo nuper cecinit mihi magnus ille dominus Robertus Gagninus, minister generalis Ordinis SS. Trinitatis. Qui et ad me dudum edidit librum de Conceptione purissimæ Virginis Mariæ adversus Vincentium de Castro novo. Misi propriam missam de S. Joachim præfato abbati Trithemio, cujus introitus est Dispersit &c. Est et apposita vitæ ejusdem a me utcumque congestæ.

Vale, ex Gandavo, 8 die Maji 1497.

Bodley 73, fol. 29b; cf. Anecdota hagiogr. Boll. 1895, 421 sqq.) Scripsit vitam reclusæ Petronillæ (Pyronæ) Hergods tertii Ord. S. Francisci, cujus confessarius fuerat.

(1) Revera Baptista Panetius, doctor Bononiensis, Vicar. congreg. Mant. 1485-7, 1493-5, prior Ferrariensis, in linguis latina, græca, hebræa et chaldæa peritus.

VI. Frater Arnoldus Bostius patri suo Johanni de Lympha veteri Francfordensi S.

Carissime mi pater, ultimis tuis litteris ipsa die Parasceves mihi oblatis jampridem late respondi. Responsalesque dedimus amico nostro communi Mathæo Herbeno, qui tunc me visitarat Kalendis Julii cum tribus imaginibus tibi dirigendis. Pridie litteras accepi a reverendo priore vestro mag. Philippo de Nussia statim in theologia licentiando, quibus etiam jam respondeo. Scripsit quod fasciculus vester temporum Ordinis Carmeli impressus in nundinis Francfordiæ comparebit venalis. Cito precor veniat ad me. Mittatur etiam ad minus unus ad Laurentium Burellum per Lugduni mercatores Francfordiæ existentes. Vellem etiam Jodoco Badio prioris vestri amico singulari Lugduni nunc residenti Ordinis honoratori maximo unum nunc destinari. Continuatur fama de obitu Baptistæ nostri Mantuani. Perquire, supplico, veritatem et de operibus suis noviter editis, ut sunt de captione Granatensi, de Speculo Ordinis, de Ortu et progressu religionum, de Apologia Petri Novolarii et de aliis. Scripsit etiam mihi reverendus prior vester prædecessorem suum patrem Rumoldum Laupach bonæ memoriæ fraternitatem de S. Joachim instituisse celebrem multis in ampliorem ejus commendationem. Exhortatus sum equidem virum ut fraternitatem s. Annæ ab eo primitus institutam extenderet ad S. Joachim, ut sic fraternitas (fol. 110a) Dei parentum diceretur.

Intellexi etiam ex litteris dicti prioris vestri te reportasse eidem a domino Trithemio nostro opusculum fratris Philippi Kersbeele nostri Carmeli (1) bonæ memoriæ in vesaniam Vincentii de Novo Castro editum. Etsi jam plures tractatus Mariæ defensui impressi sint, nullus tamen adhuc meo judi-

(1) Vide supra P. 432.

cio imprimitur tam abunde habeat (1) videlicet et sententiarum subtilitatem et sermonis elegantiam. Transposuit enim ex nostri Philippi stylo satis agresti Carolus Fernandus, vir disertissimus; fac igitur ut imprimatur. Intelligo quoque lectorem Petrum Laupach meo adhortatu quid dignum posteritati parare.

Vale, ex Gandavo, 6 die Julii A. D. 1497.

VII. Frater Arnoldus Bostius patri suo Johanni Outwater S. D. P.

Carissime pater, suscepi litteras abs te 14 die Maji Francfordiæ scriptas cum tractatu tuo de Ordine nostro de quo immensas habeo tibi gratias, similiter et de tractatu fratris Philippi Kersbeele propria manu scripto, quem impressioni libentissime dare vellem. Scripsi ad Jodocum Badium Lugduni commorantem ut et ipse susciperet onus imprimendi, sin autem nescio quis vellet. Fuit reverendus prior vester etiam apud me hoc Majo ad unum solum diem, et cum eo venerabilis pater Godfridus Candelarii (2) vir certe doctus. Retulit mihi prior de tractatu lectoris Petri Laupach in quo laborat adhuc. Manuale tuum primum nondum vidi. Intellexi ab eodem priore tuo ivisse te visitatum dominum abbatem Spanhemensem qui a multo jam tempore nihil mihi scripsit, cum ego creberrime scripserim. Rogerus Vernay quem nosti de S. Joachim dialogum composuit, sed et Boldicus et Johannes de Rivo Solis de laudibus ejusdem scripta componunt. Non desistamus precor donec Joachim ita celebris fuerit ut Anna. Sumamus fortem animum. Si tantum potuit olim una simplex et indocta virgo in partibus Leodiensibus

(1) Locus corruptus.

(2) Anno 1479 prior Aquensis ubi demum 1499 obiit. Koch nomen vertit *Leuchter*, sed potius vertendum *Kerzmacher* sicut pluries in documentis scriptum invenitur.

reclusa, Soror Eva nomine, ut festum sacrosanctissimi Sacramenti cujus antea nulla fuerat memoria, per totum orbem solemnissime celebrari procurarat, nos viri barbati litteras utique docti, non sic reclusi, vel aliquid poterimus in cultu sanctissimi Joachim promulgando, si tamen diligentes esse velimus. Vidi exemplar litteræ Urbani IV ad dictam sororem Evam in hanc formam: Habes intentum (fol. 110 b) filia. Instituimus festum sacrosancti Sacramenti celebrari sub indulgentiis &c.

Sermonem de S. Joachim a me editum (quem tibi mitto) reserves. Meliorem vellem hanc litteram priori tuo condonari (sic), fac ut imprimatur in fine libri lectoris Petri Laupach vel tui de Conceptione Mariæ Virginis. Mitto et tibi epitaphia tria quæ de tribus nostri Ordinis patribus Rogerus Vernay communis noster amicus condiderat, et manu propria quam nosti scripserat. Eadem transcripsi. Priori vestro dedi epitaphium prædecessoris sui. Etiam Coloniensi priori antecessoris sui epitaphium destinavi. Magister Baptista quem putaveram ex rumore defunctum adhuc fautore Deo vivit.

Vale, ex Gandavo. 25 die Maji.

VIII. Frater Arnoldus Bostius patri suo Johanni de Veteri Lympha S. P. D.

A reverendo patre Godfrido Candelario priore nuper Carmeli Aquisgranensis (qui nunc Antwerpiæ residet) læte receperam, mi pater amande, ubi scribis destinare te mihi unum tuum tractatum impressum de laude nostræ religionis. Quem nondum recepi. Vellem magistro Baptistæ Mantuano qui adhuc superstes est, licet alii de eo fuerint rumores, unum abs te destinari. Similiter et magistro Laurentio Burello, si non, ut promiseras mihi (ni fallor) scriptis per antea miseris. Similiter et priori Parisiensis Carmeli mag. Bertrando

Stephani (1) zeloso patri et Ordinis magno dilectori. Fratri quoque Mathæo de Cruce qui olim fuerat prior Carmeli Leodiensis et primus subprior noster in Carmelo Gandensi, dum nobiscum steterat, qui et adhuc est pater sororum nostri Ordinis prope Nannetas in Britannia, qui cum reverendissimo sanctæ memoriæ magistro Johanne Soreth tunc a nobis recessit te præsente circa festum Epiphaniæ A. D. 1467. Bonus utique valde pater est, qui et scripsit sanctam vitam beatæ memoriæ Franciscæ olim Britanniæ ducissæ, postea sororis nostri Ordinis et priorissæ conventus S. Mariæ prope Nannetas, cujus confessor fuerat annis 18. Gaudeo quod etiam scribis impressum esse aliud breve Manuale tuum de laude Ordinis pro terminariis et junioribus fratribus. Age ut liber de purissima Conceptione Virginis Mariæ Philippi nostri Kersbeele imprimatur, qui a doctoribus plerisque (fol. 111a) Parisiensibus examinatus est et approbatus, præsertim a magistro Johanne Scandonc (Chanton ?) et aliis. Habet etiam nunc abbas noster Trithemius orationem longam quam olim de hac materia scripsi in Vincentium de Novo Castro. Habet et vitam S. Joachim nostram. Et librum majusculum de eodem sancto patriarcha jure honorando. Quem rogo extollas et ipse. Magister Laurentius Burelli provincialis nunc Narbonæ et magister Bertrandus Stephani prior Carmeli Parisiensis capitulum generale adibunt, et cum eis provincialis noster Franciæ qui solicitabunt pro institutione solemnitatis divi patriarchæ Joachim. Audio inter reverendissimum Ordinis magistrum et Laurentium Burellum ortam esse quamdam dissensionem, sicque minorem esse spem de promotione sua ad generalatum quam olim fuerat. Et quod sic etiam tepuerit in libris illis a Badio nostro imprimi procu-

(1) Supra P. 415.

randis, et aliis nostri Ordinis doctoribus in publicum proponendis.

In festo Nivis (5. Aug.) ultime transacto consecrata fuit prope Nannetas in conventu sororum nostri Ordinis (ubi Francisca ducissa mortem obiit) sacellum in honorem Mariæ Virginis et sanctorum Parentum ejus Joachim et Annæ a domino (in marg: Olivero) episcopo Cistrensi doctore ex Ordine nostro assumpto. Magister Baptista Mantuanus (ut dixi) adhuc vivit. Mortuus est autem magister Baptista Panetius Ferrariensis. Primus horum edidit Speculum Ordinis, alter Chronicam Ordinis in qua multum laboravit, ad habenda testimonia autentica laudum Ordinis nostri.

Vale, ex nostro Gandensi Carmelo, IX Kal. Octobris 1497.

IX. Frater Arnoldus Bostius patri suo Johanni Palæonydoro S. P. D.

Recepi, pater amantissime, librum vestrum a Godfrido Candelarii concessum quia noster manet prædictus. In eo multa sunt minus placentia. Multa inseruisti quæ meo judicio ex certa scientia fuissent omittenda. Utpote quod locus de Monte Dei fuerit Ordinis nostri, et idem qui Mons Quarantenæ, ad quem sive Bernardus sive Guillermus abbas S. Theodorici longam illam scripsit epistolam seu potius librum. Scio talem locum Carthusianorum esse, et parum distare a civitate Rhemensi, allocutus sum dudum illius loci priorem in conventu nostro Gandensi; fuit enim vir venerabilis Brugensis natus, ibi tamen indutus. Vix tantum locus distat a nobis quantum Colonia. Et fuit hæc domus fundata tempore beati (fol. 111b) Bernardi ut satis expresse patet in eadem epistola. Non igitur fuit hoc monasterium constructum ab Helena regina, et in Cypris apud Famagustam, tuncque fuisset a beato Bernardo dictum esse in Oriente, non in Occidente, sicut dicit in principio sic: Fratribus de Monte Dei Orientale lumen et antiquum illud in religione Ægyptium fervo-

rem tenebris occiduis et gallicanis frigoribus inferentibus occurrere.

Fratri Nicolaö Symonis nimis etiam adhærere videris, qui sine fundamento omnes antiquos monachos et monachas ponit Carmelitas. Utique si ad me venisset ea quæ proponitur ad me epistola Johannis domini Spanhemensis cum codice tuo (quæ mihi mitti scribitur) multa ejus non probassem, sed consuluissem omittenda esse. Nunc autem correctio omnis est extra tempus. Vellem me vidisse Statuta in Monte Carmeli facta ante dispersionem, et antequam habuimus scapulare novum. Manuale etiam tuum cupide videbo.

Vale, pater optime.

Expliciunt epistolæ quædam fratris Arnoldi Bostii.

Finis tomi primi.

INDEX

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

Y

Z

Addenda et Corrigenda

P. 104, l. 3 a fine, legas *Gentilis.*
P. 120, l. 6 a principio legas *MCCCXXXIIJ.*
P. 150, l. 18. Cod. Vatic. lat. 3991 fol. 39b habet *Caturci.*
P. 178, l. 3 a fine. Idem habet fol. 31b *præterquam in extremitatibus ubi poterit esse parum de osse.*
P. 183, l. 25 legas *brigam* loco *bugam.*
P. 197, l. 5 a fine legas : *Johannem de Clarano.*
P. 200. n. 1. Aix (Aquæ Sextiæ) — n. 4. Béziers.
P. 221, l. 8 a fine, legas *movebant.*
P. 238, l. 20 legas : *et habuit* loco *et hoc.*
P. 241, l. 12 a fine. Habetur sic in manuscripto, sed e contextu eruitur legendum esse : *Christophorus* loco Pontius.
P. 275. « Dans la Montagne Noire, nommée alors par les historiens orientaux la Montagne Sainte, ou la montagne admirable, se trouvaient encore plusieurs monastères de religieux arméniens, grecs, syriens, ainsi que de nombreux anachorètes. Ce fut là, dans les cellules taillées dans le roc, non loin du couvent de S. Georges, que s'établirent en 1210 les premiers disciples de S. François venus en Terre-Sainte ; pendant plusieurs années ils y menèrent la vie érémitique avant d'être réunis en communauté. » (Rey, Supplément aux familles d'Outremer, P. 26.)
P. 287, post l. 14 adde : « Paschasius Brusaert peregrinus Hierosolymitanus et lector conventus Yprensis ob. 1469 » (MS. Bodley 73 fol. 78 b).
P. 293, l. 7 legas *sententia mea.*
P. 301, l. 4 legas *occupabat.*
P. 305, l. 14 « *Aldendorpius.*
P. 315, n. 1. Eadem habebatur, et quidem iisdem verbis (unde colligitur e Grossi *Viridario* desumpta fuisse) in codice Roberti Barthelot episcopi Damasceni. Cf. Speculum Carmel. I, 521.
P. 318, l. 14 legas *conferebant.*
P. 323, l. 9 « *ulli.*
P. 340, n. 3. Daniel a Virgine Maria l. c. perperam citat Lezanam qui verba illa nequaquam Gulielmo Coventriensi attribuit, sed tan-

tummodo autumat Gulielmum nostrum in libro *Scutum Carmelitarum* (longe ante Lezanæ tempus deperdito) relationem de visione S. Simonis Stock e Chéronis fragmento mutuatum fuisse. Utrum vero Gulielmus hac de re scripserit neque Lezanæ neque cuicumque alio compertum esse potuit. Sunt etiam qui citant codicem veterem Mechliniensem (Spec. Carmel. l. c.) qui tamen cum quædam e Balduino Leersio continuerit sæculo decimo quinto exeunte antiquior non erat.

P. 379. *Augerius* designatur anno 1321 provincialis prov. Provinciæ et lector in curia romana.

P. 384. In libro Ordinis vocatur *Orla*.

P. 388. *Johannes Godoner*. Prior Bruxellensis a. 1333-5, baccalaureus Parisiensis 1336, iterum prior Bruxel. usque 1340, et pro tertia vice a. 1344. A. 1346 promotus ad doctoratum Parisiis. MS. Brux. 16492 f. 17 b. ubi habetur vera nominis forma : *Guldenaere*.

P. 389. *Joh. Morenge* a. 1372 designatur sententiarius Paris. pro secundo anno, et 1375 prior Parisiensis.

P. 393. *Marcus de Florentia* a. 1354 Biblicus Paris. pro primo anno et Sentent. pro secundo, 1357 provincialis Tusciæ et 1362 (sub nomine Marcus Bartholmius) magister regens Florentiæ.

P. 399. Errat Barret asserens *Gul. Decani* fuisse magistrum Parisiensem, erravi et ego autumans eundem fuisse ac *Gul. Præpositi*. Designatur enim a. 1369 biblicus Tolosæ pro secundo anno, et sentent. ibidem pro quarto.

P. 402. *Thomas Scotus*. Per decretum capituli gen. a. 1513 ordinatur Joh. Scoth biblicus et sententiarius in universitate Cadomensi pro anno sequenti.

P. 410, l. 23. Dele quæ dicuntur de titulo « totius Ordinis », quippe qui perinde s. xiv invenitur, immo in actis capituli Montispessulani a. 1287.

P. 429. Joh. Gluell (nescio quisnam fuerit) in studio Londinensi exstans, ordinatur presbyter per archiepisc. Cantuar. 22 Sept. 1380.

P. 435, l. 12. Agitur probabiliter de magistro *Thoma Gilbert* sive Gilbards, qui a. 1462 prior Cantabrigiensis fuerat, deinde loco generalis provinciam canonice visitaverat ac demum 1496 Londini obiit.

Monumenta historica Carmelitana

PRIMUS FASCICULUS

CONTINENS

ANTIQUAS ORDINIS CONSTITUTIONES

anno 1324 exaratas, necnon

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM

ab Anno 1327 usque ad Annum 1362 celebratorum

edidit

R. P. Benedictus ZIMMERMAN

Fr. BENEDICTUS-MARIA a S. Cruce)

O. C. D. Prior Wincantonensis

LIRINÆ

EX TYPIS ABBATIÆ

1905

J. † M.

Fr. EZECHIEL A SS. CORDE JESU

Vicarius Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.

Cum Rev. adm. P. BENEDICTUS-MARIA a S. Cruce, sacerdos professus Provinciæ nostræ Angliæ, Ordinisque nostri historiographus, opportunum duxerit in lucem edere *Monumenta historica Carmelitana*, Constitutiones nempe Ordinis per Capitulum generale anno 1324 approbatas, necnon acta capitulorum generalium ab anno 1327 usque ad annum 1362 celebratorum, in codice manuscripto Musæi Britannici contenta; Nos, audito judicio duorum theologorum Ordinis, perlibenter licentiam concedimus ut prædicta monumenta prelo committantur, servatis tamen de jure servandis.

In quorum fidem etc.

Datum Romæ ex Ædibus nostris Generalitiis S. Theresiæ, die 8 Septembris 1905.

Fr. EZECHIEL A SS. CORDE JESU
Vic. Gen.

(L. S.)

Fr. PLACIDUS a S. Alberto
Secret.

OPERA AD ORDINEM SPECTANTIA
(anglice conscripta)

CARMEL IN ENGLAND

Historia Missionis Carmelitarum Discalceatorum in Anglia, ab Anno 1615 usque ad Annum 1849.
Auctore
R. P. Benedicto Zimmerman, O. C. D.
Londini 1899, apud Burns & Oates, Ltd (28 Orchard Str.W.)
6/- Neo-Eboraci, Cincinnati, Chicago apud Fratres Benziger.

THE ORIGIN OF THE SCAPULAR

Disquisitio critico-historica
Auctore
R. P. Benedicto Zimmerman, O. C. D.
(Dublini, 1901-1904,) **2** / —. Supersunt pauca exemplaria apud auctorem.

VITA S. M. N. THERESIÆ

juxta autographum anglice reddita,
opera
Domini David Lewis.
Nova editio, revisa, Introductione et adnotationibus illustrata,
cura
R. P. Benedicti Zimmerman, O. C. D.
Londini 1904, apud Thomam Baker, 72 Newman Str. W. **8/—**.

Sub prelo:

CASTELLUM ANIMÆ

S. Matris N. Theresiæ a Jesu.
juxta autographum.
Nova translatio, opera cujusdam Monialis Ord. S. Benedicti.
Revisa, Introductione et adnotationibus munita,
cura
R. P. Benedicti Zimmerman, O. C. D.
Londini, 1906, apud Thomam Baker, 72 Newman Str. W.

Monumenta historica Carmelitana.

Cum mihi Generale Capitulum mense Aprili 1901 celebratum injunxerit ut novam Ordinis historiam præparem, juvat notam facere publicationem seriei documentorum ad Ordinem spectantium quæ ex variis bibliothecis et archiviis feliciter haurire potui.

Initio ducto a Constitutionibus Anno 1324 exaratis, Acta Capitulorum Generalium ab Anno 1327 ad 1362 publici juris deinde faciam.

Primus fasciculus mense Decembri jam præstabit pretio trium Francorum.

Cui operi cum sit magni momenti enixe rogo ut nomen dare sine mora dignentur monasteria et conventus Ordinis nostri, omnesque Carmelo amici ac devoti, necnon amatores ecclesiasticæ historiæ, præsertim Medii Ævi. Multum enim pro felici tanti operis exitu a numero subscriptorum pendebit.

Editor Ephemeridum „ *Chroniques du Carmel* " (VAUX-SOUS-CHÈVREMONT) subscriptiones e **Belgio** libenter acquiret. 3 frs.

In **Gallia** vero præstabit opus apud M. H. Welter, librairie française et étrangère, rue Bernard Palissy, 4, PARIS. 3 frs.

In **Hispania** apud editorem ephemeridis „ *El Monte Carmelo* " (BURGOS). 3 Pesetas oro.

In **Italia** apud editorem ephemeridis „ *Il Carmelo* " (Chiesa del Corpus Domini, MILANO). 3 lire it.

In **Austria** apud RR. PP. Carmelitas Discalceatos, (Unter Dœbling, WIEN, XIX). 2 Kr. 50.

In **Germania** apud RR. PP. Carmelitas Discalceatos, (Kumpfmuehl, REGENSBURG). 2 M. 50.

In **Anglia** et pro ditionibus Anglicis apud infrascriptum. 2/6.

St. Luke's Priory,
WINCANTON (Somerset) Anglia.

P. BENEDICTUS ZIMMERMAN
O. C. D. Prior.


[illegible] A B

Name P. Supp...ith

Index Number 2648

Nothing is to be written in this margin.

Subject Geometry.



Let ABC be a triangle, and let AD bisect the base BC.

To prove that $AB^2 + AC^2 = 2BD^2 + 2AD^2$.

p. 53 student costs ~~2~~20 grossi a year, + 70 pro[illegible]
p. 119 the grossus antiquus = 12 parvi mezzanes

~~p. 15~~

p. 54 magister regens has 300 grossi a year

p. 55 magister regens has 30 florins; this would be 90s sterling
simple student, 15 florins + 6 florins pro [illegible]

[illegible] accident [illegible]
a florin [illegible] 1345 =
10 grossi antiqui
at florin = from 32d
[illegible] sterling: Thorne values it at 3/-

Macsre ~~£550-1423-B~~ = 45/- = 225s sterling
[illegible]

21 florins = 62/- sterling.